1102


Castillo. 60
Son 2 tom.

12979

THOMÆ

SYDENHAM

M. D. DOCT.

COLLEGII MEDICORUM LONDINENSIS

Celeberrimi

OPERA MEDICA

TOMUS PRIMUS



EDITIO QUARTA

THOMÆ SYDENHAM

MED. DOCT.

AC PRACTICI LONDINENSIS

Celeberrimi

OPERA MEDICA

EDITIO NOVISSIMA variis variorum Præstantissimorum Medicorum Observationibus quàm maximè illustrata & aucta.

TOMVS PRIMVS.

Cum ELENCHIS RERUM & INDICIBUS *Necessariis.*

GENEVÆ.

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXVI.

Cum Privilegio S. CÆSAREÆ MAJESTATIS.

BIBLIOPOLÆ
LECTORI.

PRæclariſſimi Viri Thomæ Sydenham, Medicinæ Doctoris, & Practici quondam Londinenſis longè Celeberrimi, Opuſcula quot quot hactenus ſeorsùm prodiere omnia, unicô Volumine comprehenſa, Tibi, Lector Humaniſſime, ſub majore quàm anteà formâ, ac præteritis Editionibus multò correctiora, rursùs exhibemus. Hic proin habes, & Obſervationes Medicas, in Conſtitutionibus Epidemicis Londinenſibus annorum 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674. & 1675. occurrentes; quales illæ evulgatæ fuere in Nobiliſſimi Autoris Noſtri Operum Londinenſi Editione, anni 1676. Et alias præterea quæ in Conſtitutionibus annorum 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. imò etiam ex parte ad annum uſque 1684. ſe obtulerunt: Item Diſſertationes Epiſtolares ſuper Lue Venereâ, Affectione Hyſtericâ, Podagrâ & Hydrope: Quales itidem in ejuſdem Doctiſſimi Autoris Noſtri Editione Londinenſi quartâ, annô 1685. ſuperadditæ ſunt. Imò Schedulam Monitoriam de Novæ Febris ingreſsû, & Febre Putridâ

Variolis Confluentibus ſuperveniente, cum Diſſertatiunculâ de mictû Sanguineô à Calculô renibus impactô, & Proceſſibus integris in Morbis ferè omnibus curandis, à Fæliciſſimô hôc Practicô, ut credunt, adhibitis, annexô etiam de Phthiſi Tractatulô; qualia in Noſtrâ Genevenſi Editione, anni 1696. adjecta ſunt. Utinam Accuratiſſimus Autor quicquid ad Medicam Praxim ulteriùs perficiendam, pari quàm quæ ab ipſô perſcripta ſunt, diligentiâ adnotatum, typis mandaſſet! Sic abundè ſanè inſtruerentur Medicorum Filii iis auxiliis quibus ſecuriùs, magnô Ægrorum ſuorum emolumentô, in morbis curandis progrederentur. Verùm cùm tot tantaque ab unius Viri, etiam laborioſiſſimi, ævô quantumvis longiùs protractô, ſperare minimè liceat: A Doctore Medicô, nobis amiciſſimô, quique ea quæ jam propoſuimus ſignificavit, impulſi ſumus ut in eorum quæ deficiebant aliquale ſupplementum, ſelectiora plura, undiquaque ex Accuratioribus Practicis conquiſita, ac ea præprimis quæ Methodo Sydenhamianæ maximè affinia forent, huic ipſi noſtræ Editioni inſereremus; quò ſcilicèt, ſi non integram prorsùs Medicam Praxim, illam ſaltem minùs mancam, Tibi jam ſiſteremus. Cui Clariſſimo Viro, tanquam in hiſce materiis, ut ex ipſius multiplicibus Operibus conſtat, verſatiſſimo, lubentes admodùm annuentes, illud omne quod magis ad rem faciens præ manibus habebat, donec plura in ſequentibus per otium exquirere, aut etiam ex propriô, ut pollicetur, penû promere, aliquando liceat, ab illô acceptum Tibi tradimus. Inter quæ non minimâ ſanè commendatione digna videntur, quæ jam exhibentur ſuper Conſtitutionibus Epidemicis, in variis Europæ noſtræ Urbibus & Regionibus, variis annis ac temporibus graſſantibus;

tibus; & ad normam quam olim Magnus Hippocrates ſuô ſuaſerat exemplô, quamque Sibi Excellentiſſimus Noſter Sydenham prudentiſſimè in pleniorem Artis Medicæ perfectionem, à Syſtematicis Autoribus forſan non parum retardatam, præſtituerat, eventilatis atque examinatis. Atque hæc de noſtrâ Editione ſatis. Additamenta autem quod ſpectat, quibus in ipſô Operis decursû Argumenta pro connexione quam cum ipſô Autoris Textû habent indicandâ præfiguntur; eorum ſpecialis Nota in ſubſequenti paginâ reperitur. Circa quod rursùs obſervandum venit, quòd Capita quædam Conſtitutiones Epidemicas particulares variarum Sacri Imperii Urbium ac Regionum ſpectantia eô ipſo ordine quo in prædictâ indicantur Notâ non exhibentur, quòdque pars eorum ad hujus Operis Sydenhamiani calcem refertur propter rationes in Admonitione ibidem adjectâ ſignificatas.

CATALOGUS TRACTATUUM & DISSERTATIONUM huic

THOMÆ SYDENHAM Operum, Editioni adjectorum.

BErnardini Ramazzini, in Mutinensi Licæo Medicinæ Professoris, *Dissertationes tres, de Constitutionibus annorum* 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. *in Mutinensi Civitate & illius Ditione.*

Lucæ Schroeckii, Academ. Cæsar. Leopold. Natur. Curiosor. Præsidis, *Historia Constitutionis Epidemicæ Augustanæ, anni* 1695.

Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1693. & 1694.

Johannis Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1695.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1695.

Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1695.

Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1696.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1696.

Conradi Bertholdi Behrens, *Constitutio Epidemica Hildesiensis, anni* 1695. & 1696.

Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana, annorum* 1697. & 1698.

Joh. Jac. Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1698.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1697. & 1698.

Sylvestri Samuelis Anhornii, *Constit. Epidem. Sangallensis, anni* 1697.

Caroli Raygeri, *Constitutio Epidemica Posonienſis, annorum* 1695. 1696. & 1697.

Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1699. & 1700.

Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1699.

Joh. Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1699.

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Constitutio Epidemica Tubingensis &c., anni* 1699. & 1700.

Ambrosii Stegmanni, *Constit. Epidem. Mansfeldiaca, anni* 1697. & 1698.

Gustavi Casimiri Garhliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1700.

Constitutio

Conſtitutio Epidemica Vratislavienſis, annorum 1699. 1700. 1701.

Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, anni 1702.

Lucæ Schroeckii, *Conſtitutio Epidemica Auguſtana, annorum* 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

Ejuſdem, *Conſtitutio Auguſtana, annorum* 1706. 1707. 1708. 1709. & 1710.

Joh. Jacobi Harderi, *Conſtitutio Epidemica Baſileenſis, anni* 1700. & 1701.

Guſtavi Caſimiri Garhliep, *Conſtitutio Epidemica Berolinenſis, anni* 1701. 1703. & 1704.

Marci Gerbæſii, *Conſtitutio Epidemica Labacenſis, anni* 1709. & 1710.

Joh. Georgii Hoyeri, *Conſtitutio Epidemica Mulhuſina, anni* 1700.

Rudolphi Jacobi Camerarii, *Conſtitutio Epidemica Tubingenſis, anni* 1701. & 1702.

Joh. Guilhelmus Bayerus, & Bernardinus Ramazzinus, *de Frigore Hyemali anni* 1709.

Lucæ Schroeckii, *Conſtit. Epidem. Auguſtana, anni* 1711. 1712. & 1713.

Marci Gerbæzii, *Conſtit. Epidem. Labacenſis, anni* 1712. 1713. & 1714.

Gualteri Harris, M. D. ac Celeberrimi Medicorum Londinenſium Collegii Socii, *de Lue Venerea, ejuſque origine, naturâ & curatione, Diſſertatio.*

De Contagioſâ Epidemiâ quæ in Patavinô Agrô, & totâ ferè Venetâ Ditione in Boves irrepſit Diſſertatio, habita à Bernardinô Ramazzino, in Patavinô Lycæô Practicæ Medicinæ Profeſſore Primariô.

Davidis Hamilton, Equitis Aurati, Regalis Societatis Londinenſis utriuſque Socii, nec non Magnæ Britanniæ Reginæ Medici Ordinarii, *Tractatus de Febre Militari, ſeu Veſiculari: adjectô ſuper eâdem febris hiſtoriarum faſciculô.*

Caroli Drelincurtii, Lugduni in Batavis Profeſſoris Medici Senioris, *de Calculô Renum & Veſicæ, Diſſertatio.*

Martini Liſter, D. M. è Societate Regiâ Londini, *Diſſertatio Medicinalis de Calculô Humanô.*

Caroli Leigh, Med. Doctor *Phthiſiologia Lancaſtrienſis.*

Guilhelmi Muſgrave, M. D. Inclyti Medicorum Londinenſium Collegii, & Societatis Regiæ Socii, *de Arthritide Symptomaticâ, Diſſertat.*

Ejuſdem, *de Arthritide Anomalâ, ſive Internâ, Diſſertatio.*

SERIES
TRACTATUUM & CAPITUM.

OBSERVATIONES Medicæ circa *Morborum Acutorum Historiam & Curationem.* Pag. 19

SECTIO PRIMA.

CAPUT I. *De Morbis acutis in genere.* Pag. 19
II. *De Morbis Epidemicis.* 21
III. *Constitutio Epidemica Annorum* 1661. 62. 63. 64. *Londini.* 27
IV. *Febris continua hujus constitutionis.* 29
V. *Febres intermittentes.* 46

SECTIO SECUNDA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica Annorum* 1665. & 1666. *Londini.* 62
II. *Febris pestilentialis & pestis.* 63

SECTIO TERTIA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica Annorum* 1667. 68. *partim etiam* 69. *Londini.* 78
II. *Variolæ regulares.* 79
III. *Febris continua hujus Constitutionis.* 98

SECTIO QUARTA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica partis Anni* 1669. *atque integrorum* 70. 71. 72. *Londini.* 104
II. *Cholera Morbus.* 106
III. *Dysenteria.* 108
IV. *Febris continua hujus Constitut.* 116
V. *Morbilli.* 120
VI. *Variolæ anomalæ hujus Constitut.* 123
VII. *Colica biliosa.* 127

SECTIO QUINTA.

CAP. I. *Constitutio Epidemica partis Anni* 1673. *atque integrorum* 1674. & 75. 134
II. *Febris continua hujus Constitut.* 136
III. *Morbilli.* 143

IV. *Variola Anomalæ hujus Constitut.* 145
V. *Tusses Epidemicæ cum pleuritide & peripneumonia supervenientibus.* 150
VI. *Anacephalæosis.* 156

SECTIO SEXTA.

CAP. I. *Febres intercurrentes.* 159
II. *Febris Scarlatina.* 162
III. *Pleuritis.* 163
IV. *Peripneumonia notha.* 167
V. *Rheumatismus.* 170
VI. *Febris Erysipelatosa.* 174
VII. *Angina.* 176
THOMÆ SYDENHAM Epistola Responsoria *de Morbis Epidemicis* ab Anno 1675. ad Annum 1680. ad Robertum Brady M.D. 180
Bernardini Ramazzini, *Dissertationes tres de Constitutionibus annorum* 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. *in Mutinensi civitate & illius Ditione.* 202
Lucæ Schroeckii, *Historia constitut. Epidemicæ Augustanæ, anni* 1695. 273
Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1693. & 1694. 276
Johannis Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1695. 277
Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1695. ibid.
Michaelis Bernardi Valentini, *Constitutio Epidemica Hassiaca, anni* 1695. 283
Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1696. 284
Gustavi Casimiri Garhliep, *Constit. Epidem. Berolinensis, anni* 1696. 288.
Conradi Bertholdi Behrens, *Constitutio Epidemica Hildesiensis, anni* 1695. & 1696. 292
Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidem. Augustana, anni* 1699. & 1700. 300
Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constit. Epidem. Berolinensis, anni* 1699. 306
Joh. Jacobi Harderi, *Constitutio Epidemica Basileensis, anni* 1699. 310
Rudolphi Jacobi Camerarii, *Constitutio Epidemica Tubingensis, anni* 1699. & 1700. 311
Ambrosii Stegmanni, *Constitutio Epidemica Mansfeldiaca, anni* 1697. & 1698. 315
Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constit. Epidem. Berolinensis, anni* 1700. 318

Constitutio Epidemica Vratislavienſis, annorum 1699. 1700. & 1701. 321
Constitutio Epidemica Berolinenſis, anni 1702. 342
Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, annorum* 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705. 347
THOMÆ SYDENHAM, Epistola Responsoria *de Luis Venereæ Historia & Curatione* ad Henricum Paman M. D. 354
Gualteri Harris, *de Lue Venerea, ejusque origine, natura & curatione* Dissertatio. 370
THOMÆ SYDENHAM, Dissertatio Epistolaris ad Guilielmum Cole M. D. *De Observationibus nuperis circa Curationem Variolarum Confluentium; nec non de affectione Hysterica.* 382
Bernardini Ramazzini, *de Contagiosâ Epidemiâ, quæ in Patavino Agro & totâ ferè venetâ Ditione in Boves irrepsit*, Dissertatio. 437
THOMÆ SYDENHAM Tractatus *de Podagra & Hydrope.* 457
Guilhelmi Musgrave *De Arthritide Symptomaticâ Dissertatio.* Vide sub finem Operis.
Ejusdem *de Arthritide Anomala, sive Internâ, Dissertatio.* Vide ibidem.
THOMÆ SYDENHAM *Schedula Monitoria de Novæ febris Ingressu.* 507
Davidis Hamilton, *Tractatus de Febre Miliari, seu vesiculari: accessit Febris miliaris Historiarum Fasciculus.* 531
THOMÆ SYDENHAM, *de Febre Putrida Variolis Confluentibus superveniente.* 593
EIUSDEM, *de mictu sanguineo à Calculo Renibus impacto.* 599
Caroli Drelincurtii, *de Calculo Renum & Vesicæ Dissertatio.* 605
Martini Lister, *Dissertatio Medicinalis de Calculo Humano.* 619
THOMÆ SYDENHAM, *Processus integri in Morbis ferè omnibus curandis, unà cum graphicâ Symptomatum delineatione, & Tractatulo de Phtisi nunc primum edito.* 641
Caroli Leigh, *Phthisiologia Lancastrienſis.* 685
Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1697. 713
Ejusdem, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1698. 718
Iohannis Iacobi Harderi, *Constit. Epidem. Basileenſis, anni* 1698. 720
Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constit. Epidem. Berolinenſis, anni* 1697. 721
Ejusdem, *Constitutio Epidemica Berolinenſis, anni* 1698. 724
Sylvestri Samuelis Anhornii, *Constit. Epidem. Sangallenſis, anni* 1697. 727
Caroli Raygeri, *Constitutio Epidemica Posonienſis, annorum* 1695. 1696. & 1697. 729

Lucæ Schroeckii, *Constit. Epidemica Augustana, anni* 1701. *& sequentium.* 735
Ioh. Iacobi Harderi, *Constit. Epidem. Basileensis, anni* 1700. *&* 1701. 746
Gustavi Casimiri Gahrliep, *Constit. Epidem. Berolinensis, anni* 1701. 747
Ejusdem *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1703. 751
Ejusdem *Constitutio Epidemica Berolinensis, anni* 1704. 756
Guntheri Christophori Schelhameri, *Constitutio Epidemica Holsatica anni* 1706. 761
Marci Gerbezii, *Constitutio Epidemica Labacensis, anni* 1709. 762
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis, anni* 1710. 765
Ioh. Georgii Hoyeri, *Constitutio Epidemica Mulhusina, anni* 1700. 767
Rudolphi Iacobi Camerarii *Constit. Epidem. Tubingensis, anni* 1701. 779
Ejusdem, *Schediasma ad Historiam Epidemicam, anni* 1702. 781
Iohannes Guilielmus Baierus *de frigore Hyemali, anni* 1709. 788
Bernardinus Ramazzinus *de frigore Hyemali anni* 1709. 791
Lucæ Schroeckii, *Constitutio Epidemica Augustana, anni* 1711. 1712. *&* 1713. 798
Marci Gerbezii *Constitutio Epidemica Labacensis anni* 1712. 803
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis anni* 1713. 809
Ejusdem *Constitutio Epidemica Labacensis anni* 1714. 813
Guilhelmi Musgrave *de Arthritide Symptomaticâ, Dissertatio.*
Ejusdem, *de Arthritide Anomalâ, sive Internâ, Dissertatio.*

ELENCHUS RERUM.

OBSERVATIONUM

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De Morbis Acutis in genere.

Morbus naturæ conamen in ægri salutem, Pag. 19. *Morbi partim ab aëre, partim à varia Fermentatione, & Humorum Putrefactione*, ibid. *Pestis & Arthritidis Naturæ Medicatricis instrumenta*, p. 20. *Ratio Morborum Acutorum*, ibid. *Febres Intermittentes Acutis, licèt minùs propriè, accensendæ*, 21. *Chronicorum ratio*, ibid. *Acuti ab aëris alteratione impressi Epidemici dicuntur*, ibid. *Acuti à particulari corporum* ἀνωμαλίᾳ, *quovis cujuslibet anni tempore invadentes, Intercurrentes seu sporadici dici possunt*, ibid.

CAPUT II.

De Morbis Epidemicis.

Epidemicos, tum à propriis quibusdam symptomatis, tum à medendi ratione dispari, differre ab invicem constat, p. 21. *Febrium Continuarum Epidemicarum diversæ species, diversa omnino Methodo sunt curandæ*. ibid. *Febres Stationariæ ab occultâ alteratione in terræ visceribus aërem contaminante pendere videntur*, p. 22. *Stationariæ dicuntur, quæ Generalem anni Constitutionem sequuntur, neque extra illam comparent*, ibid. *Intercurrentes quæ omnibus annis competunt* ibid. *Sensibiles aëris qualitates ad has producendas facere possunt, non ad illas*, ibid. *Unde Epidemicorum alii Regulares*, ibid. *Alii Anomali*, p. 23. *Epidemici vel sunt Vernales, vel Autumnales*, ibid. *Vernalium alii circa Æquinoctium Vernum ad statum perveniunt, circa Solstitium æstivum evanescunt; alii Æquinoctium Autumnale, Brumaleque Solstitium præstolantur*, ibid. *Cholera morbus per unum mensem, Dysenteria, Febres Quartanæ, & Tertianæ Autumnales, vix ultra duos Epidemicè grassantur*, ibid. *Intermittentes Autumnales aliquamdiu sub Continuarum specie nonnunquam latent* p.24. *Epidemici prædominantis genio* σύγχρονοι *omnes se accommodant*, ibid. *Quo ab hyemis frigore presso, inferioris*

ferioris ordinis Epidemici se efferunt, p. 25. *Diversarum Febrium rationes à causa morbifica in humano corpore aggestâ perperam deducuntur*, ibid. *In novis Febribus ad magna remedia tardius procedendum*; *Indicationem à Ladentibus & Juvantibus præsertim esse sumendam*, p. 26.

CAPUT III.

Constitutio Epidemica annorum 1661. 62. 63. 64. Londini.

TErtiana hujus Constitutionis ab intermittentibus Tertianis aliis differentia, p. 27. *Febris continua hæc intermittentium quasi compendium*, ibid. *Unica hæc fuit Febris Continuæ species ab An.* 61. *ad An.* 65. p. 28. *Quo ordine morbi Epidemici hanc Constitutionem pervadebant, & se mutuo excipiebant*, ibid. *Febris Continua hujus Constitutionis aliarum omnium præcipua videtur*, ibid. *Cæteris etiam frequentior*, ibid. *Symptomata ejus magis peculiaria*, ibid.

CAPUT IV.

Febris Continua hujus Constitutionis.

FErmentationis atque Ebullitionis vocabula minus propriè in Febrium negotio usurpantur, p. 29. *In quibus differt sanguinis ebullitio à liquorum vinosorum fermentatione*, ibid. *Febrilis sanguinis commotio vel ad materiæ Heterogeneæ secretionem dirigitur, vel ad immutandam sanguinis Diathesin*, ibid. *In utroque casu id maximè indicatur, ut sanguis intra modum naturæ proposito congruentem contineatur*, p. 30. *Quibus nocet Venæ-sectio*, ibid. *Quibus eadem prodest*, p. 31. *Quibus Emeticum est propinandum, quibus ab eo abstinendum*, ibid. *Id si prætermissum fuerit, ubi indicabatur, Diarrhœa insequitur* ibid. *At non semper in Febribus malignis*, ibid. *In quo consistit hujus Diarrhœæ periculum*, ibid. *Et ab exhibito Emetico, non verò ab astringentibus statim sistitur*, p. 32. *Emetica Antimonialia periculosa nisi copiosè diluantur*, ibid. *Ubi indicatur utrumque, Venæsectio Vomitorium debet præcedere*, ibid. *Emeticum in morbi initio propinandum, vel quovis morbi tempore, modo vires ferant*, ibid. *Periculum à vomitione cohibita, Emetico priùs non propinato*, p. 33. *Post Emeticum haustus Paregoricus hora somni exhibendus*, ibid. *Nonnunquam etiam Diascordii dosis satis larga præscribenda est, Vomitoria ex infusione Croci Metallorum nullis infra adolescentiam constitutis tuto exhibentur*, ibid. *Sanguinis æstus in nonnullis Venæ-sectione repetitâ, in aliis Clystere alternis diebus injecto frænandus*, p. 34. *Plura de usu Enematum*, ibid. *Cardiaca quibus conferunt, & quo morbi tempore exhibenda*, p. 35. *Materiæ Febrilis concoctio nihil est aliud quàm peccantis materiæ à sanâ separatio*, ibid. *Despumatio circa diem* 14. *peragitur*, p. 36. *Refrigerantia post diem* 14. *exhibita morbum protrahunt*, idid. *Cardiaca moderatiora in morbi principio*,

cipio, calidiora in progressu adhibenda, ibid. *Formulæ Cardiacorum*, ibid. *Si Fermentatio rectè procedat nullis omnino remediis est opus*, p. 37. *Circa diem* 15. *Potio purgans sumenda est, ne scilicet sedimentum à Fermentatione hic illic depositum in sanguinem remigrans recidivam conciliet*, ibid. *Quare Purgatio non ita necessaria est post Febres, aliosque etiam morbos Vernales, atque post Autumnales*, ibid. *Purgationis omissio post morbos Autumnales, plurium morborum fons*, p. 38. *Catharsis ad diem decimum septimum quandoque est differenda*, ibid. *Diæta & regimen Convalescentium*, ibid. *Vinum Maloganum annosum vel aliud è generosis, senibus in morbi fine confert ad phlegm. viscosum expectorandum*, ibid. *Errores medentium quandoque in morbi malignitatem, & Scorbutum solent transferri*, ibid. *Non tamen negatur Febres alias malignas esse, alias cum Scorbuto complicari*, p. 39. *Refrigerantia & Enemata seriùs exhibita materiæ morbificæ despumationem, maximè in grandævis, retardant*, ibid. *Adolescentulorum juxta cubantium calor his præ cæteris omnibus prodest. Cujus ratio redditur*, ibid. *Symptomata quædam hujus Febris propriam sibi curam postulant*, p. 40. *Phrenitis & vigiliæ quo pacto tractandæ*, ibid. *Narcotica vigente Febre non prosunt, at in morbi declinatione præclaros effectus edunt*, ibid. *Ejus rei ratio redditur*. ibid. *Ante diem duodecimum, vel etiam decimum quartum, non sunt exhibenda*, ibid. *Æger, si id commodè fieri possit, prius est purgandus*, p. 41. *Vigiliæ post Febrem quo modo consopiendæ*, ibid. *Oleum Amygdal. dulcium in Tussi reliquis anteferendum, parcè at frequenter sumendum est*, ibid. *Narium Hæmorrhagia huic Febri symptomatica ut curanda sit*, p. 42. *Ea nonnunquam permittenda; utpote quæ morbus Criticè aliquando solvitur*, ibid. *Post Hæmorrhagiam immodicam quamlibet gurgandus est æger, ne recidivam patiatur*, ibid. *Singultus, senibus maximè accidens post copiosas evacuationes, sæpe mortis est prænuncius*, ibid. *Diascordii dosis liberalior specificis omnibus in eo sedando præfertur*, p. 43. *Diarrhœa, ob vomitorii in principio exhibendi omissionem oborta, Emetico sistenda est. Si ea exhibito Emetico nihilominus supervenerit, Enema Astringens injiciendum*, ibid. *Ad genuinam sanguinis depurationem duplex secretio requiritur, & quæ per Fœces fit, & quæ per flores*, ibid. *Hæc sensim & paulo pleniori διαπνοῇ potius quàm sudore manifesto peragitur ut plurimum*, ibid. *Separatione hâc per flores jam factâ, minus periculosa est Diarrhœa*, ibid. *Passionis Iliacæ causa duplex, obstructio & irritatio*, p. 44. *Quo pacto ea producitur*, ibid. *Argenti vivi & Globulorum usus in Ileo parum conducunt, noxam sæpe inferunt*, p. 45. *Methodus quâ Ileus curandus est*, ibid. *Ventriculus prius est roborandus, quam ingeratur Cathartieum, alias Emeticum evadet*, ibid. *Diæta & regimen hoc morbo laborantis*, ibid. *Et ab eo jam convalescentis*, ibid.

CAPUT V.

Febres Intermittentes.

IN Febrium Intermittentium Paroxismis tria tempora spectanda sunt, Exhorrescentia, Ebullitionis, Despumationis, p. 46. *Ratio harum omnium redditur*,

tur, ibid. *Qui in Febris Paroxismo pereunt Exhorteſcentiæ tempore fato funguntur*, ibid. *Unde eſt, quod redeunt Paroxiſmi*, ibid. *Paroxiſmorum deſcriptio*, p. 47. *Paroxyſmorum reduplicatio vel à materiæ Febrilis exceſſu atque activitate, vel à proſtratis ægri viribus producitur: in hoc caſu Paroxyſmus Adventitius Primarium inſequitur, in illo eum antevertit*, ibid. *Utriuſque ratio indicatur*, p. 48. *Febres Intermittentes Vernales ſunt, vel Autumnales*, ibid. *Quæ quidem Eſſentialiter diſtinguuntur*, ibid. *Vernales omnes vel quotidianæ ſunt, vel tertianæ*, ibid. *Quare paucæ Febres Continuæ Vere occurrant, niſi in Conſtitutione Epidemicâ*, p. 49. *Intermittentes Vernales rariſſimè diuturnæ, ſemper verò ſalutares*, ibid. *Tertianæ vernales à Phlebotomia & Catharſi indebitè celebratis, protrahuntur*, ibid. *Ægrorum ab his Convaleſcentium nonnulli in Maniam incidunt*, ibid. *Tertiana Autumnalis Epidemica haud ſemper vacat periculo*, p. 50. *Quartanæ Autumnales natu grandiores quandoque jugulant*, ibid. *Juniores non niſi appetente Solſtitio Brumali, frequentius etiam Æquinoctio Verno, ab iis liberantur*, ibid. *Qui ſemel Quartanâ laboraverit, haud diu ab ea ſecunda vice multabitur*, ibid. *Intermittentes Vernales ſuo arbitrio poſſint permitti, cum neminem jugulent*, ibid. *Curantur nunc Emetico*, ibid. *nunc Diaphoreticis, nunc etiam Enematis*, ibid. & p. 51. *Phlebotomia manu liberaliori celebrata diuturnas eas reddit*, ibid. *Intermittentes Autumnales haud ita facilè ſubmoventur*, ibid. *Earum Paroxiſmi plerumque una eademque diei hora variis ægris contingunt*, ibid. *Harum Typus, præcipuè Epidemicarum, primis invaſionis diebus difficulter diſtinguitur*, ibid. *Quartanæ genuina Autumni ſoboles*, ibid. *Quotidianam hac tempeſtate nullam obſervavi unquam*, ibid. *Intermittentes Autumnales oriuntur à ſanguine in decidentiæ ſtatu conſtituto, & proinde impreſſioni morbificæ magis obnoxio*, p. 52. *In Febribus Autumnalibus tam Continuis quàm intermittentibus, Fermentatio, naturæ ductu, ſpatio horarum*, 336. *aut circiter peragitur*, ibid. *Excipiuntur tamen iſtæ Febres, quæ à levi aliqua offenſa ex ſex rerum nonnaturalium abuſu ortum ducunt*, p. 53. *Adoleſcentulorum item Febres & eorum, qui ſanguine ſpirituoſo ſunt præditi*, ibid. *Quæ ad Fermentationem requirantur*, ibid. *Febres intermittentes aquæ ac continuæ iis ſunt curandæ, quæ ad deſpumationis opus perficiendum adhibentur* ibid. *Catharſis (niſi modo infra dicendo inſtituta) præſertim verò Phlebotomia in Intermittentibus Autumnalibus ubique nocent*, p. 54. *Intermittentium Tertianarum Autumnalium Curatio*, ibid. *Tertianæ Duplicis Curatio*, p. 55. *Cortex Peruvianus inducias ſæpius quartanæ impetrat, quàm eam debellat*, ibid. *Magno cum ægri emolumento exhibetur qui paullum ab ejus uſu reſpirat à morbo*, p. 56. *Methodus exhibendi corticis*, ibid. *Idem & in Tertianis quâ Vernis, quâ Autumnalibus cum fructu exhiberi poteſt*, ibid. *In Infantibus, & florentibus ætate, ſive Tertianâ ſive Quartana laborantibus, tota res naturæ permittenda*, ibid. *In provectioribus Fermentatio Cardiacorum & Corroborantis Diætæ beneficio ſuſtinenda*, ibid. *Aeris mutatio his neceſſaria eſt, jam perfectâ ſanguinis deſpumatione; ante hoc tempus minus convenit*, p. 57. *Saltem oportet ut medicamento Cardiaco forti hoc temporis articulo utantur*, ibid. *Ca-*

lidiora citiùs exhibita, vel morbum duplicant, vel in Febrim Continuam permutant, ibid. *Sublato morbo ager sedulo purgandus est*, ibid. *At non nisi elapso mense uno à quo non Paroxismi tantùm, sed etiam ea alteratio, quæ diebus iis, in quos incidere debuerat Paroxismus, persentiscitur, prorsus evanuerint*, p. 58. *Purgatio quoties repetenda, & quibus intervallis*, ibid. *Quorsum haustus Paregoricus horâ somni assumendus singulis vicibus*, ibid. *Symptomata Febribus Intermittentibus Vernis pauca superveniunt in declinatione, Autumnalibus plura & graviora*, ibid. *Hydrops hic symptomaticus unde oritur*, p. 59. *Juvenes rarò obsidet, nisi à Catharticis per febris decursum sæpe iteratis, accersitus fuerit*, ibid. *Recens Catharticis & Aperientibus facilè sanatur*, ibid. *Hydrops ex Febre Intermittente natus non nisi post Febris discessum Catharticis expugnandus, at infusionibus rad. Raphani rusticani, fol. Absinthii, Baccarum Juniperi. Cinerum Genistæ, & similibus tentari potest*, ibid. *Infantum ventribus inflatis, Tussi, & Rachitidi quo pacto subveniendum, quoties à Febribus Autumnalibus ista nascuntur.* ibid. *Curatio non aggrediendæ priusquam Febris penitus evanuerit*, ibid. *Abdominis inflatio in pueris, & crurum tumor in adultis, Febres has brevi solvendas prænunciant*, p. 60. *Veræ Rachitides rariùs occurrunt, nisi iis annis quibus Intermittentes Autumnales prædominium habent*, ibid. *Tonsillarum dolor post Febres sive Continuas sive Intermittentes, cum raucedine, oculis cavis, & facie Hippocraticâ mortem certò imminentem pramonstrant*, ibid. *Mania peculiaris Intermittentes diuturniores excipiens, modo longè diverso ab aliis ejus speciebus, Cardiacis sc. generosioribus sananda*, ibid. *Nec Vena-sectionem nec Catharsin, nec Enemata potest ferre*, ibid. *Mania communis alio modo tractanda est*, p. 61. *Ejusdem curatio*, ibid. *Febris Continua atque Intermittentes jam descriptæ, soli ferme erant morbi Epidemici qui per annos* 1661. 62. 63. 64. *emicuere. Eædem ab anno* 1664. *ad hunc usque Annum quo hæc edimus, rarissimæ Londini comparuere*, p. 62. *De Variolis hujus Constitutionis nonnulla*, ibid.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica Annorum 1665, & 1666, Londini.

Febris Continua Epidemica novi generis unà cum morbis aliis Inflammatoriis grassari incipit, ibid. *Ejus signa Diagnostica*, ibid. *Diarrhœa, quam in priore Febre diximus assumpto Emetico præcaveri potuisse, hîc ab eodem provocabatur* p. 63. *Pestis sævissimè debacchatur. Varia ejus tempora*, ibid.

CAPUT II.

Febris Pestilentialis & Pestis.

Febrium nonnullarum, quæ pro Malignis vulgò habentur, symptomata, non à morbi indole, sed à Therapeia perperam ad ministratâ proficiscuntur, ibid.

Febris verè maligna cum Peste specie convenit, nec ab eâ nisi ob gradum remissiorem discriminatur, ibid. *Variolæ & Pestis ostendunt morbos Epidemicos à diversâ Aeris massæ crasi pendere*, ibid. *Qualis ea sit planè ignoratur*, ibid. *Pestis vix Britanniam nostram frequentius quàm post annorum circiter 40. revolutionem devastat*, ibid. *Febres quæ anno uno vel altero post graviorem pestem grassantur pestilentes sunt, & similem medendi rationem sibi vendicant*, ibid. *Præter aeris διάθεσιν, requiritur etiam μιάσματος à pestifero aliquo corpore vel immediatè, vel mediatè transmissi fomes ad pestem excitandam*, ibid. *Quæ ab aere jam infecto latiùs propagatur*, ibid. *Quoties Epidemica est tempore inter Ver ac Æstatem ambigente exoritur*, ibid. *Alio aliquo tempore oppido rarò*, p. 65. *Aeris dispositio quantumvis λοιμώδης, Pesti, excitandæ per se impar videtur*, ibid. *Nec Pestis Epidemica erit nisi accedente idoneâ aeris Diathesi*, ibid. *Modus invadendi describitur*, ibid. *Repentina Exanimatio nisi in pestis admodum funestæ exordio vix contingit*, ibid. *Quibus tumores sine Febre & gravi aliquo symptomate prorumpunt, ii nullâ egent Curatione*, ibid. *Morborum Essentiæ perinde ac Animalium stirpiumve nos latent*, p. 66. *Non causarum, sed methodi experientiâ comprobatæ cognitione, affectuum plurimorum curatio absolvitur*, ibid. *Pestis est Febris sui generis, à particularum sanguinis spirituosiorum inflammatione originem ducens*, ibid. *Febres Pestilentes ab inflammatione sunt remissiore*, ibid. *Ignis sacer Pestis imago quædam*, ibid. *Pestem ab inflammatione oriri pluribus arguuentis conficitur*, p. 67. *Alexipharmaca aliaque calidiora medicamenta per accidens, tantùm prosunt, sc. quatenus Diaphoretica sunt*, p. 68. *Vinum liberalius haustum & Antidota fortiora complures verisimiliter in Pestem præcipitarunt*, ibid. *In curandâ Peste, aut Naturæ succurremus ejusdem ductum sequendo, aut methodum tutiorem ab ejus methodo diversam substituendo*, ibid. *Alexiteria tam in hoc quam aliis morbis omnibus, evacuationem potius sollicitando, quàm virtute aliquâ specificâ prodesse videntur*, ibid. *Pestis per Abscessus in Emunctoriis, Febris Pestilens, per Diaphoresin maximè ex Naturæ lege solvi videtur*, p. 69. *Diversa itaque his morbis medendi ratio adhibenda est*, ibid. *Sudores in Peste excitati nonnunquam funesti*, ibid. *Bubonis eruptionem materiam aliovorsum distrahendo sæpe impediunt*, ibid. *In aliis morbis Naturæ ductum sequi in Peste ei renunciare Medicus tenetur*, p. 70. *Vel per sanguinis missionem, vel per sudores Pestis expugnanda videtur*, ibid. *Phlebotomia largâ manu ac repetitis vicibus celebrata, nullo tumore protuberante, nemini adhuc, quod scimus, unquam funesta*, ibid. *Parca, vel tumore jam conspicuo, instituta, quare semper damnosa*, ibid. *Venæ sectionem in Peste convenire plures iique gravissimi Scriptores jampridem senserunt*, ibid. *Botalli testimonium luculentissimum, exemplis probantis innumeris, Venæ-sectionem in omni Peste supra omnia remedia salutarem esse*, ibid. *Confirmatur idem Historiâ admirandâ & irrefragabili hîc apud nostros*, pag. 71. *Pestilentis Fermenti per διωφόρησιν dissipatio Evacuationi per Venæ-sectionem quo nomine anteferenda*, p. 72. *Quibus illa urgetur difficultatibus*, ibid. *Maculæ purpureæ Pestilentiales à Fibrarum sanguinearum dissolutione oriri videntur*

dentur, non secus ac Vibices à plagâ fortiori inflictâ ibid. *Diaphoresi justo præmaturiùs abruptâ, Bubones prodire jam incipientes vel remaneant, vel nunquam ad legitimos Abscessus perducuntur*, ibid. *Idem in Variolarum Abscessulis etiam accidit eâdem de causâ*, ibid. *Quibus argumentis Author inductus est ut aliam ab eâ quam hactenus cum successu usurpaverat methodum, novæ huic Febri adaptaret.* p. 73. *Febres Continuæ circa veris finem & initium æstatis vel in Intermittentes, vel in Pleuritides aliosque Generis Inflammatorii morbos promptissimè facessunt*, ibid. *Febris Pestilentialis (dubitatur an non vera Pestis illa fuerit) tam Peste jam incipiente grassari, quam eâdem parciùs sæviente ab Authore Venæ-sectionibus repetitis curata fuit*, p. 74. *Sanguis hîc aut sufficienti quantitate, aut non omnino detrahendus*, ibid. *Quam ob causam Author ab hâc methodo desistere coactus est*, ibid. *Ejus rei Historia*, ibid. *Qualem deinde medendi rationem substituit*, p. 75. *Venæ-sectio Diaphoresi præmissa, eam & tutiorem reddit, & expeditiorem*, ibid. *Capitis obtectio ad sudores ciendos multùm confert*, ibid. *Vbi primum materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis se exporrigunt, alvi profluvium & Vomitiones ab iisdem orta ultrò sedantur*, ibid. *Historiâ id confirmatur*, ibid. *Diaphoresis ad naturalis diei spatium semper continuanda*, p. 76. *Ab absterstone sedulò cavendum*, ibid. *Nec indusium nisi post horas 24. à sinitis sudoribus mutandum*, ibid. *Si sudores citius abrumpantur, recrudescit illicò symptomatum sævitia*, ibid. *Objectioni Diemerbroechii respondetur, contra profluxiorem Diaphoresin*, ibid. *Ostenditur ægros haud inde debiliores reddi, at vires è contra recipere*, ibid. *Æger in sudoris vigore jusculis ac sorbibilibus Confortativis refici potest*, ibid. *Cathartieum postridiè exhibendum*, p. 77. *Mirus hujus Methodi successus in Febre pestilentiali*, ibid. *Tumore jam enato venam aperire Author non sustinuit*, ibid. *Quâ lege tutò id tentari posse videtur*, ibid. *Authoris sinceritas*, ibid. *Quid per Naturæ nomen intelligi is velit.* ibid.

SECTIO TERTIA.

CAPUT. I.

Constitutio Epidemica Annorum 1667, 1668., partim etiam Anni 1669, Londini.

Variolæ in Constitutione Pestilentiali rarissimæ comparebant, Pag. 78. *Quo anni tempore invalescebant maximè, quo minuebantur*, ibid. *Novum Febris genus cum Variolis exoritur, invalescens quoties illæ minuerentur, quoties invalescerent, recedens*, ibid. *Cum Variolis unà etiam disparuit*, p. 79. *Diarrhœa se his comitem adjungit*, ibid. *Morbus hic nihil aliud esse videbatur quàm Febris quæ tum regnabat, introversa*, ibid. *Hæ Variolæ Genuinæ præ cæteris, ac Regulares; à quibus ut in suo genere perfectissimis, tum veræ morbi Historia, tum medendi Methodus est desumenda*, ibid. *Non tantùm Febris quædam*

dam propriâ, sed & peculiare Variolarum genus cuilibet Constitutioni peculiari competit, ibid.

CAPUT II.

Variolæ Regulares.

QVo anni tempore ingrediuntur Variolæ Regulares, quo etiam Irregulares, ibid. *Variolæ vel distinctæ sunt, vel Confluentes*, ibid. *Discretarum symptomata ubi primùm invadunt*, ibid. *Eruptio quo tempore accidit & quo se habet modo*, p. 80. *Discretarum Historia*, ibid. *Confluentium Historia*, pag. 81. & *Morbi magnitudo unde æstimanda*, p. 82. *Salivatio in Adultis, in infantibus Diarrhœa, Confluentes ferè semper comitatur*, p. 83. *Febris in insultu primo usque ad Eruptionem, dein circa tempus maturationis Pustularum præcipuè dominatur*, ibid. *Sub Vesperam exacerbatur morbus*, ibid. *Variolis Discretis laborantes octavo, Confluentibus verò, undecimo die maximè intereunt*, p. 84. *Illorum Catastrophe describitur*, ibid. *Regimen calidius quibus minus officiat*, ibid. *Horum item*, ibid. *Alia symptomata utrique generi Variolarum communia recensentur. Phrenitis sc. Affectus Comatosus, maculæ purpureæ*, p. 85. *Mictus sanguineus, sanguinis sputum, à qua causa hîc nascantur*, ibid. & *Vrinæ suppressio totalis quibus maximè contingit, & quo morbi tempore*, p. 86. *Symptomata à frigore suscepto oriunda pauca sunt & raro occurrunt*, ibid. *Inflammatio videtur hic morbus tum sanguinis, tum reliquorum etiam Humorum*, ibid. *Duo habet tempora, separationis & Expulsionis.* ibid. *Indicationes Curativæ duæ.* 1. *Vt æquabilis tenor Ebullitionis conservetur.* 2. *Vt absessûli sustineantur debito modo*, ibid. *Cavendum ne nimiùm assurgat Ebullitio, & quamobrem*, p. 87. *Quo diutiùs natura separationem molitur, eo certiùs & universaliùs eandem absolvit*, ibid. *Regiminis justo calidioris noxæ*, ibid *Nondum constat vel unum ex eo periisse, quòd Variolæ primò non eruperint*, ibid. *Ebullitio Venæ sectione, Clysteribus, Emeticis, Catharticis è contrario non est minuenda*, p. 88. *A Venæ-sectionis atque aliarum Evacuationum usu promovetur sæpissimè Eruptio, nunquam impeditur*, ibid. *Argumenta contra remedia Evacuantia*, ibid. *Regimen calidius non tantùm secretionis, sed quovis morbi tempore vitandum; & quâ de causâ*, ibid. *Cavendum pariter à frigore: à quo etiam pustularum Eruptio impeditur*, pag. 89. *Gradus caloris earum expulsioni promovendæ accommodatissimus Naturalis omnino est*, ibid. *Cardiacorum usus quando indicatur*, ibid. *Repetitis Ebullitionibus in sanguine excitatis ægrorum mors potiori jure tribuenda est, quàm Venæ-sectioni*, ibid. *Curatio*, ibid. *Variolæ ante diem quartum, qui Eruptioni proprius est, haud temerè in cutem propellendæ*, p. 90. *Nimiâ hâc diligentia ex distinctis Confluentes possunt fieri*, ibid. *Non opus est ut æger ante diem quartum lecto addicatur*, ibid. *Sanguinis mictus, & maculæ Purpureæ ætate florentibus ideo nonnunquam supervenient, quòd lectulo præpropere nimis affigantur*, ibid. *Cardiacum blandius die quarto exhiberi potest, si Eruptio parum pro votis*

succedat. Laudanum liquidum & Diascordium reliquis præferuntur, p. 91. *Nec vel urgente Diarrhœa citiùs est illud propinandum*, ibid. *In quo casu sanguis mittendus est*, ibid. *In Genere Discreto atque æstivo tempore, æger singulis diebus per horas aliquot è lecto potest surgere*, ibid. *Ejus commoda*, ibid. *In lecto quoties jugiter cubandum est, non sunt adjicienda stragula præter ea quibus sanus consueverat*, p. 92. *Sudores non sine ingenti periculo promoventur*, ibid. *Vinum Canarinum, vel aliud Cardiacum in fine morbi exhibendum, nè halitus putridi in sanguinis massam postliminiò revertantur*, ibid. *Diæta etiam calidior eandem ob causam*, ibid. *Discretum Genus ex sua natura omni vacat periculo*, ibid. *Phlebotomia regimen calidius minùs periculosum reddit*, ibid. *Unde est quod tenuioribus æquior sit hic morbus? quàm divitibus*, ibid. *Variolæ confluentes haud minùs à Discretis discrepant, quàm ab illis ipsa Pestis*, p. 93. *Æger hîc in lecto assiduè continendus, at modicè tectus, nec uni ejus parti affixus. At persæpe versandus, ut evitentur sudores*, ibid. *Ptyalismus, qui Evacuationi per pustulas pleniori hic substituitur, in vigore conservandus*, ibid. *Cum Eruptione incipit & die undecimo minuitur*, ibid. *Tumor faciei dicto die evanescit; cum quo si salivatio unà dispareat in lubrico sunt res ægri*, ibid. *Salivatio quo pacto promoveri possit*, ibid. *Narcotica ad sustentandum Ptyalismum præ cæteris quibusque faciunt*, ibid. *Quare non nisi Adultis ea sunt indulgenda*, p. 94. *Paregorica quæ adferunt Adultis commoda*, ibid. *Post plenam eruptionem ad morbi usque finem tuto & utiliter sumuntur*, ibid. *Qua horâ potissimùm exhibenda sunt*, ibid. *In Variolis Confluentibus haud minùs certò Infantes Diarrhœa comitatur, quàm adultos Ptyalismus*, ibid. *Diarrhœa in hac Variolarum specie salutaris, in distinctâ non item. Mulierc ularum eandem sistentium operâ multa infantium millia periere*, ibid. *Facies ultimis morbi diebus Oleo Amygdalarum dulcium inungenda*, p. 95. *Sub hoc regimine à Cicatricibus non valde metuendum*, ibid. *Olea & Linimenta officiunt hîc magis quàm prosunt*, ibid. *Curatio symptomatum*, ibid. *Ad promovendum faciei intumescentiam Paregoricum debet propinari*, ibid. *Nonnunquam die octavo, sanguis è brachio copiosè extrahendus*, ibid. *Aurea etiam liberiori exponendus*, ibid. *Non quod pustulæ recedant perit æger, sed quod facies non turgescat*, ibid. *In quo Variolarum genere, & quo in casu Phrenitis Vena-sectionem indicat*, ibid. *Phreneticorum exempla suadent ut aere liberiori isti refocillentur*, p. 96. *Historia miranda cujusdam pro mortuo expositi, & eo pacto convalescentis*, ibid. *In Variolis Confluentibus, si æger die undecimo à saliva jam viscidiore pæne suffocetur, Gargarismate, vel etiam Emetico fortiori sublevandus est*, ibid. *Coma etiam sanguinis contemperatione ac ventilatione curatur*, p. 97. *Vt & maculæ Purpureæ*, ibid. *Mictus sanguineus, & sanguinis è pulmonibus eruptio ubique mortem prænunciant*, ibid. *Vrinæ suppressioni quo pacto occurri potest*, ibid. *Pustularum depressio, & Diarrhœa in Variolis Discretis medicamenta Cardiaca postulant*, ibid. *Unde natus videtur rumor de crebrâ pustularum retrocessione*, p. 98. *Post morbum atrociorem sanguis quare è brachio extrahendus*, ibid. *Æger ad tres vel quatuor vices purgandus est*, ibid. *Crurum tumor sponte non facessens, quo modo tolli debet*, ibid.

CAPUT

CAPUT. III.

Febris Continua hujus Constitutionis.

Describitur hæc Febris, ibid. *Ejusdem cum Variolis prosapiæ omnino fuit*; p. 99. *Methodo tamen eâdem quâ illæ curari non debuit*, ibid. *Natura hîc evacuationem per Ptyalismum designasse videtur*, ibid. *Vnde oritur Diarrhœa tam in hoc morbo quàm aliis Inflammatoriis*, ibid. *In Febre Constitutionis Intermittentibus Epidemicæ, materia erat crassior, non nisi prævià Digestione à sanguine separanda*, p. 100. *In hâc non item*, ibid. *Ejus Curatio* ibid. *In hâc Febre, aliisque morbis Inflammatoriis, Phlebotomia & Refrigerantia parùm prodesse solent, si æger in lecto indesinenter se contineat*, p. 101. *Æger in hoc morbo à sudoribus non levabatur, sed inde pejus habuit*, ibid. *Quibus rationibus ductus Authorum plerorumque Theoriæ hîc adversatur*, ibid. *Febris hæc à nudo potiùs calore, quàm ab humore aliquo è sanguine expellendo, pendere videtur*, ibid. Cocta, non cruda sunt medicanda, *tam sudores respicit quàm Dejectiones*, p. 102. *Vena-sectio & sanguinis Contemperatio Diarrhœam huic morbo familiarem, præ cæteris sistebant*, ibid. *Regimen Calidum & periculosius erat, & pluribus gravabatur symptomatis*, ibid. *Febris hæc per Salivationem non rarò solvebatur*, p. 103. *Quâ obortâ nulla convenit Evacuatio*, ibid. *Refrigerantia Salivationem promovent, quam reprimunt Cardiaca Calefacientia*, ibid. *Diarrhœa Epidemica sine Febre, ejusdem cum hâc Febre essentiæ videbatur, eadem planè habens symptomata, & parem medendi Methodum postulat*, ibid.

SECTIO QUARTA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica partis Anni 1669. atque integrorum 1670. 1671. 1672. *Londini.*

Qvi morbi ineunte Augusto 1669. sunt ingressi, p. 104. *Cholera morbus mense Augusto ferè finiebatur*, ibid. *Quare Tormina sine Dejectionibus Dysenteriæ durationem non æquabant*, ibid. *Febris Dysenterica, Dysenteriâ se ad tempus subducente, magis grassabatur*, ibid. *Morbilli Variolis Anomalis Constitutionis Dysentericæ viam sternebant*, p. 105. *Quo ordine varii morbi se ostendebant per annum* 1670. ibid. *Quo etiam, anno* 71. ibid. *Quo item, anno* 72. ibid. *Mensis Iulius certissima est Febrium Autumnalium Epocha, uti Vernarum Februarius*, 106. *Morborum circulus per omnem hanc Constitutionem*, ibid. *Vti morbi Epidemici in subjectis particularibus, ità etiam Constitutiones Generales suas habent periodos*, ibid.

CAPUT

CAPUT II.

Cholera Morbus.

Cholerae morbi descriptio, ibid. *Cholera sicca*, p. 107. *Curatio Cholerae morbi nec Catharticis, nec Astringentibus est tentanda, & quamobrem*, ibid. *Quo pacto perficitur*, ibid. *Aegro in extremis ferè versante ad Laudanum rectà confugiendum est*, p. 108. *Cholera morbus qui quovis alio anni tempore invadit, ab hoc Legitimo toto cœlo distat*, ibid.

CAPUT III.

Dysenteria.

Tormina sine Dejectionibus nec suâ naturâ nec Curationis methodo multùm à Dysenteriis dissidebant, ibid. *Dysenteria Autumni initio solet invadere, appropinquanti Hiemi cedens pro tempore*, p. 109. *Dysenteriae descriptio*, ibid. *Cardiacorum & regiminis Calidioris in hoc morbo incommoda*, ibid. *Intestina quandoque Gangrenâ afficiuntur*, ibid. *Aphthae mortem imminentem ut plurimum denunciant*, ibid. *Hic morbus licèt Adultis, maximè Grandævis, sæpe exitialis, Infantibus perbenignus est*, p. 110. *Epidemici ubi primùm oriuntur principio magis spirituoso videntur inhaerescere, & ad occasum vergentes magis crassi indies atque humorales redduntur*, ibid. *Id contigit ob refractas particularum inimicarum vires à quibus pendet Constitutio Epidemica*, ibid. *Probatur exemplo Pestis & Dysenteriarum*, ibid. *Curatio*, p. 111. *Dysenteria haec Febris videtur in intestina introversa*, ibid. *Humores acres venâ sectâ revellendi & per Cathartica educendi. Sanguis Contemperandus*, ibid. *Paregoricum quare temperatiùs hic exhibendum quàm post Purgationes solet*, p. 112. *Aqua Cardiaca temperatior post Venae-sectionem & Catharsim semel celebratam concedenda; maximè Grandævioribus*, ibid. *Hi etiam lectulo magis addicendi*, ibid. *In morbo contumaciori Paregoricum singulis diebus manè & serò ad septimanas aliquot tutò potest, & debet exhiberi*, ibid. *Curatio alvi fluxus ad diarrhoeam tantum assurgentis*, p. 113. *Infantes quo pacto in hoc morbo tractandi*, ibid. *Laudani Liquidi simplicior praeparatio*, ibid. *Narcoticorum vis non tam ab artificiosâ praeparatione, quam ipsius Opii excellentiâ nativâ videtur pendere*, ibid. *Opium est remedium Cardiacum praestantissimum, si non unicum, hactenus cognitum*, ibid. *Dysenteriae, incipiente illâ Constitutione, ad modum ferè Cholerae morbi optimè curabantur, non item sequentibus annis*, p. 114. *Dysenteria eodem modo in Africâ per ea tempora sanabatur*, ibid. *Exempla aliquot adducuntur*, ibid. *Tenesmus sub finem hujus morbi non est ab ulcere Recti, sed à materiâ mucosâ quâ intestina duplicantur*, p. 115. *Topicum qualecunque hic nocet*, ibid. *Sola Diaeta Analeptica prodest*, ibid. *Dysenteriae inveteratae Venae-sectione repetitâ curatae exemplum*, p. 116. *Dysenteria, cum non sit Epidemica, Laudani solius usu est curanda*, ibid.

CAPUT

CAPUT IV.

Febris Continua hujus Constitutionis.

Febris Dysenterica describitur, ibid. *Aphthæ unde tam in hâc Febre, quàm in Dysenteriis pervicacioribus*, p. 117. *Aeris qualitates manifestæ non sunt causæ Epidemicorum productivæ; eos tamen vel excludunt, vel admittunt pro tempore*, ibid. *Febris Stationaria quæ ad Epidemicum prædominantem attinet, Iulio potissimum sævit: Autumno verò appropinquante, magno Epidemico cedit*, ibid. *Nominatæ Febres Symptomata varia à suâ naturâ alienâ, à manifestis qualitatibus mutuantur*, ibid. *Vnde tot Febres Novæ vulgò audiunt*, ibid. *Febris speciem optimè dignoscet qui ad alios morbos eodem anno ingruentes diligentiùs attenderit; & ad Symptomata modum Evacuationis spectantia*, p. 118. *Ad Methodum insuper, vel medicamentum, à quibus Febris facillimè vincitur*, ibid. *Febrium Stationariarum Symptomata vel intensiora sunt, vel remissiora, prout intenduntur vel remittuntur Symptomata Epidemicorum ad quos pertinent*, ibid. *Febris hæc eâdem Methodo quâ Dysenteria curabatur* ibid. *Nisi quòd Paregorica Purgationibus interjecta obessent*, ibid. *Tardiùs convalescentibus Laudanum in parva dosi, biduo triduòve à postremâ Catharsi elapso rite concedebatur*, p. 119. *Aura liberior usus viribus renovandis imprimis conferebat, Febre Fugatâ* ibid. *Vnde ansa ad hanc Praxin instituendam data est*, ibid. *Ad comprobandam medendi Methodum in Acutis requiritur ut morbus quasi suopte genio cedat*, ibid. *Adolescentes stupore ad Carum accedente perculsi, maximè qui in sudoribus extorquendis operam collocarant, nulla Arte sublevari poterant*, ibid.

CAPUT V.

Morbilli.

Morbilli quo anni tempore regnant, p. 120. *Eorum descriptio* ibid. *Et historia*, ibid. *Regimen justo calidius quæ hic adferat incommoda*, p. 121. *Et quo pacto iisdem possit subveniri*, ibid. *Morbillorum curatio*, ibid. *Morbillis & naturâ & Medendi ratione cum Variolis convenit*, ibid. *Infantes Febre, Dyspnœâ aliisque Accidentibus post Morbillorum discessum laborantes, Venæ sectione solâ liberantur*, p. 122. *Phlebotomia haud minus tuta Infantibus quàm Adultis*, ibid. *Convulsionibus Puerorum Dentientium præ Specificis quibuscunque opem fert*, ibid. *Infantum item Pertussi, vel Tussi Convulsivæ*, ibid.

CAPUT VI.

Variolæ Anomalæ hujus Constitutionis.

Variolæ Anomalæ Distinctæ quibus discriminabantur à Genere Distincto Regulari, p. 123. *Ad Confluentium naturam illæ propiùs accedebant, inflammationis*

majoris participes, p. 124. *Confluentes Anomalæ quibus discrepabant à Confluentibus Regularibus*, ibid. *Curatio Variolarum anomalarum utriusque generis*, p. 125. *Inflammatio in his quàm in Regularibus intensior, regimen temperatum magis adhuc efflagitabat*, ibid. *Fluxus Mensium, tempore non consueto, liberalem liquorum Rifrigerantium usum suadet & quare*, p. 126. *Remedia Cardiaca & regimen calidius hìc adhibita plurimas mulieres pessundederunt*, ibid. *Historia cujusdam fluxu mensium unà cum Variolis laborantis insignior*, ibid. *In genere Discreto satis erat ut æger pro sitis modo Cerevisiam tenuem potaret*, ibid.

CAPUT VII.

Colica Biliosa.

QUo nomine hìc venit tractanda, p. 127. *Vel Dysenteriam diuturniorem excipiebat, vel à Febre ordiebatur*, ibid. *Ejus morbi descriptio* ibid. *In iliacam passionem facilè transit*, p. 128. *Causa morbi est acris aliquis sive humor sive halitus è sanguine in intestina excussus*, ibid. *Curatio Venæ-sectione & Cathartico Leniente perficitur*, ibid. *Si à fructibus Horariis aut cibo δυσπέπτω oritur morbus, ventriculus est eluendus & Anodynum exhibendum antequam secetur vena*, ibid. *Quando intendendæ sunt Catharticorum vires, & quam ob causam*, ibid. *In magna Ventriculi debilitate & Vomituritione Narcoticum Cathartico præmittendum*, p. 129. *Anodynum mane & serò exhibendum quotidie & spatio inter Purgationes medio, & post singulas Purgationes*, ibid. *Tutissimè repetuntur Narcotica urgente hujusmodi dolore, non item ubi ille desierit*, ibid. *Enemata Carminantia diuturniorem morbum reddunt*, ibid. *Cùm Evacuationes copiosiores non diu ante Colicæ adventum fuerint institutæ, à Paregoricis omnino incipiendum est*, ibid. *Ejus rei exemplum proponitur*, p. 130. *Equitatio, cæteris non proficientibus, Curationem nonnunquam absolvit. Cautiones circa eam*, ibid. *Exemplum memorabile*, ibid. *Unde est quod Equitatio tantum præstet in morbis Chronicis quam plurimis* ibid. *Qualis Diæta hìc conveniat*, p. 131. *In morbo diuturniore, & magnâ debilitate Aquæ Epidemicæ, Mirabilis, aut alterius similis usus debet concedi; & quare*, ibid. *Diæta tenuis quare aliquandiu post depulsum morbum est observanda*, ibid. *Colica Hysterica Biliosæ simillima*, ibid. *Quibus potissimùm fœminis contingit*, ibid. *Ejus descriptio*, p. 132. *Levissima animi commotio dolorem revocat*, ibid. *Exercitium item præmaturè nimis susceptum*, ibid. *Vapores, sic vulgò dicti, symptomata pariunt parti quam obsederint accommoda, pleroscque morbos affabrè simulantes*, ibid. *Colica Hysterica Biliosam nonnunquam mentitur*, ibid. *Quandoque etiam vel Renum, vel etiam Vesicæ calculum. Enematis, aliisque Lithotripticis exasperatur*, ibid. *Sedatur Anodyno*, ibid. *Nulla corporis pars, sive interna, sive externa ab ejus insultu eximitur*, ibid. *Nec Venæ-sectio, nec Catharsis hìc celebranda. Nocent & Enemata*, p. 133. *Hìc morbus à spirituum ἀταξίᾳ potius quàm vitio humorum videtur nasci*, ibid. *Emetica etiam frustra propinantur*, ibid. *In fœminis tamen temperamenti magis sanguinei & Viraginibus, nonnunquam vel Phlebo-*

Phlebotomiâ, vel Catharsi, vel utrâque Anodyno via aperienda est, Hæc Methodus doloris symptoma tantùm respicit, non causam morbi, ibid. *Hic morbus in Ictero solet desinere*, ibid. *In cujus curatione nulla purgantia nisi Rhabarbarum & similia sunt usurpanda*, ibid. *Hujus Icteri curatio*, ibid. *Curatio Icteri communis*, 134.

SECTIO QUINTA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica partis Anni 1673. atque integrorum, 1674. 1675.

EXoëscente Constitutione Dysentericâ, Nova suboritur circa initium Julii 1673. Syllabus morborum se per hoc triennium excipientium, quo ordine invalescebant, recedebantque, ibid. *Dysenteria & Diarrhœa pro hujus Febris symptomatis potiùs quàm morbis Essentialibus erant habendæ.* ibid. *Post subitam tempestatis mutationem Catarrhi & Tusses se huic Febri adjungunt, unde nascuntur symptomata Peripneumonica & Pleuritica, Febre eâdem manente*, p. 136. *Constitutio hæc perquam est Anomala, ut & ejus morbi*, ibid.

CAPUT II.

Febris Continua hujus Constitutionis.

NAscente morbo majora erant Inflammationis signa, quàm eo jam provectiore, ibid. *Symptomata huic Febri peculiaria recensentur*, ibid. *Affectus quidam Comatosus hanc Febrim comitabatur, nonnunquam in Aphoniâ desinens*, p. 137. *Qui eo passu discessit quo vires ager resumpsit*, ibid. *Remedia Calidiora & Diaphoretica symptoma hoc accersebant*, ibid. *Ubi primùm erupit hæc Febris nullum habuit Epidemicum sibi σύμβολον, unde ejus species difficiliùs investigabatur*, ibid. *Phlebotomia in hâc Febre haud plus semel celebranda erat; repetitis Enematis ac Medicamentis refrigerantibus curatio absolvebatur*, p. 138. *Epispatica posteriori cervicî applicita hîc magis ex usu quàm in aliis Febribus*, ibid. *Curatio*, ibid. *Enemata quo usque repetenda*, ibid. *Quare è lecto surgendum erat quotidiè*, p. 139. *Cavendum tamen nè diutiùs quàm par est ager à lecto abfuerit*, ibid. *In morbi declinatione tutiùs ager in lecto jugiter decumbit, quàm vel initio, vel in statu, & quare*, ibid. *Diaphoresis non omni Febri debetur*, ibid. *Sudores à prævia Digestione fluentes prosunt, nocent alii*, p. 140. *Intermittentium Paroxismi, & Febris ejus Constitutionis in θερμῇ sudorem Criticum postulant*, ibid. *Febris item Pestilentialis vel primis morbi diebus*, ibid. *In hac Febris specie, quæ sine sudoribus potuit fugarè non sine discrimine ii sollicitabantur*, ibid. *Stupor Comatosus à nimia Curatricum*

diligentia sudores importunè provocantium, ut plurimum invitabatur, p. 141. *Quo pacto symptoma hoc vincebatur*, ibid. *In Morborum curatione nocet quandoque festinatio*, ibid. *Etiam incongrua ciborum genera Convalescentibus nonnunquam indulgenda*, p. 142. *Spiritus Vitrioli ad Phrenesin debellandam egregiè contulit*, ibid. *Dysenteria symptomatica quo pacto tollebatur*, ibid. *Diarrhœa à Narcotico, ubi opus erat, sistebatur*, p. 143. *Narcoticorum usus hoc solo in casu hîc erat probandus*, ibid. *Convalescentium sudores Nocturni unde ortu, & quo modo tollendi*, ibid.

CAPUT III.

Morbilli.

Morbilli Anomali hujus Constitutionis quibus maximè differebant à Regularibus jam descriptis, ibid. &c. *Febris Morbillosa nec Vena-sectionem tulit, nec Enemata: Methodo Morbillis dicatæ concessit*, p. 144.

CAPUT IV.

Variolæ Anomalæ hujus Constitutionis.

Variolæ hujus Constitutionis nigras Anni 1670. *satis referebant*, p. 145. *Putredinis majoris erant soboles, naturæque magis crassæ ac inconcoctilis*, ibid. *Quantò mitior morbi species, tantò citiùs pustulæ ad maturitatem morbus ad finem perducitur*, ibid. *Per tres hasce Constitutiones, posterior Variolarum species priorem semper exuperavit, tum quoad majorem putredinem, tum quoad morbi materiam minùs coctilem*, ibid. *Species nova hæc videtur è priore jam inveterascente suborta*, p. 146. *Morbi Epidemici ab aere effluviis à minerali aliquâ fermentatione repleto, oriri videntur*, ibid. *Eousque propagantur donec expiraverit subterranea illa halituum minera*, ibid. *Curatio*, ibid. *Indicationes planè contrarias suggerit hic morbus*, ibid. *Quæ in Variolis aliis Confluentibus feliciter cessit methodus, hîc non profecit*, ibid. *Spiritus Vitrioli omnem nunerum absolvit*, p. 147. *Quo tempore & modo exhibendus*, ibid. *Quæ ab eo liberalius sumpto commoda*, ibid. *Nihil ab eo incommodi, licèt Salivationem ferè sistat, cujus vicem subeunt Dejectiones aliquot*, ibid. *Nullum Variolarum vestigium vel apud Hippocratem vel Galenum, unde excusatior Methodus nova, cùm Modernorum tantùm Curationibus adversetur*, p. 149. *In Curatione Febrium Variolosarum eadem pariter de causâ innovandum fuit*, ibid. *Videntur morbi certas habere Periodos pro occultis alterationibus quæ terræ visceribus accidunt, pro variâ scilicet ejusdem ætate ac duratione*, ibid. *Unde Novæ Morborum species exoriuntur, prioribus etiam extinctis*, ibid.

CAPUT V.

Tussis Epidemicæ cum Pleuritide & Peripneumoniæ superve-nientibus.

EX improvisâ symptomatum mutatione Febris, quæ eadem manebat, pro Pleuritide Essentiali, aut Essentiali Peripneumonia ab incautioribus est habita, p. 150. *Medendi Methodus eadem quæ Febri hujus Constitutionis quadrabat; ab illâ verò quæ Pleuritidi veræ conveniebat, longè diversa*, ibid. *Non eo anni tempore invadebat Febris hæc quo solet Pleuritis*, ibid. *Curatio*, p. 151. *Tussis ex quâ προφάσει nascitur, ut & Febris eam comitans*, ibid. *Nova hæc Febris in Febris Stationariæ tum regnantis nomen & familiam statim transit*, ibid. *Tussis sine Febre, abstinentiâ à carnibus, moderato exercitio, & Ptisanâ Pectorali Refrigerante curabatur*, ibid. *Nec Narcotica, nec Liquores Spirituosi, nec Diaphoretica hic tutò usurpabantur ad sedandam Tussim*, ibid. *Et quare, Enemata (tam in hâc quam aliis Febribus) fractis jam morbi viribus non sunt repetenda; maximè in Fœminis Hystericis, Virisque Hypochondriacis*, p. 152. *Pleuritis vera solâ repetitâ Vena-sectione curatur. In hâc Febre semel, vel ut plurimum bis, venam secasse satis erat*, ibid. *De Pleuresi malignâ dictâ, quæ Venæ sectionem non fert*, p. 153. *In Pleuresi symptomaticâ non multo plus sanguinis symptomatis ratione educendus est, quàm Febris nomine, a qua pendet, educi debuerat*, ibid. *In Febrium Curatione Anni Constitutio, quatenus huic alterive Epidemico producendo, favet ob oculos semper est habenda* ibid. *Curatio tussis sine Febre*, ibid. *Malignitas in particulis calidissimis ac spirituosissimis, humorum in humano corpore contentorum naturæ adversantibus, consistere videtur*, p. 154. *Particulæ dictæ assimilando agunt*, ibid. *Hæ in Peste sudoribus eliminari possunt: Non vero in iis Febribus in quibus particulæ assimilantes non ita sunt subtiles*, ibid. *Usu Calefacientium actuatæ, magis assimilant particulæ calidæ, & humores extenuati minus resistunt*, ibid. *Docet experientia Purpureas Febrium maculas, & Variolarum Pustulas nigras à calefacientibus augeri. A regimine verò moderatiori minui solet*, p. 155. *Particulæ νοσηραὶ in Peste ita quandoque subtiles sunt, ut ne sanguinem quidem in Ebullitionem attollant, unde ager sine Febre perit*, ibid. *in malignis aliis Epidemicis ita parca Febris signa conspiciuntur, nonnunquam ob Confusionem in sanguine & humoribus, nonnunquam etiam ob metastasin minerâ maligna in Genus Nervosum, vel alias corporis partes*, ibid. *Nulla alia Methodus Medendi malignitati qualicunque, præter eam quæ Epidemico cui inhæret, debetur*, ibid.

CAPUT VI.

Anacephalæosis.

QUinque Constitutionum Genera; quinque nimirum aeris Diatheses, quæ totidem Febrium Epidemicarum species peculiares producebant, hoc tractatu

describuntur, p. 156. *Harum prima, Deputatoria quæ dici potest, præcipua Naturæ Febris videtur*, ibid. *Huic adaptantur Axiomata quæ tradiderunt Hippocrates aliique Medici Antiqui: Sequentibus Febrium speciebus vix accommodanda*, ibid. *hâc Constitutione Febres continuæ in Intermittentes, utpote sibi cognatas, facilè transibant, in aliis verò rarissimè*, ibid. *Febris continuæ species potest dignosci, primò ab aliis Epidemicis eo locorum tum grassantibus*, p. 157. *Secundò à propriis cujuslibet Febris symptomatis*, ibid. *Ægri sive sudatio, sive siccitas in hoc vel illo morbi tempore, Febris speciem præ cæteris demonstrat*, ibid. *Cognitio speciei Novæ Febris vertente primum anni Constitutione, à per diligenti atque accuratissimâ circumstantiarum omnium observatione pendet*, p. 158. *Indicatio à Juvantibus & Lædentibus sumenda ad Curationem saltem relinquitur.* ibid. *Vbi nondum constat, quid sit agendum, nihil agendo & Medico & Ægro optimè consulitur*, ibid.

SECTIO SEXTA.

CAPUT I.

Febres Intercurrentes.

Febres Stationariæ quæ à particulari anni Constitutione pendent & singulæ suo ordine grassantur. Intercurrentes quæ cum Stationariarum quibuslibet, ut etiam & secum invicem eodem anno indifferenter commiscentur, pag. 159. *Intercurrentes sunt Febris Scarlatina, Pleuritis, Peripneumonia Notha, Rheumatismus, Febris Erysipelatosa, Angina. In his, Febris morbus Primarius videtur, & reliqui Affectus tantùm ejus symptomata, vel κρίσεως modum, vel partem in qua illa sit, spectantia*, ibid. *Intercurrentes nonnunquam, licèt non ità frequenter ac Stationariæ, Epidemicè grassantur*, p. 160. *Duo hæc Febrium Genera quoad Causas externas sæpenumerò conveniunt*, ibid. *Plures præmaturâ Vestium Adjectione, & subitâ Refrigeratione post exercitium, quàm Peste, Gladio & Fame simul omnibus, pereunt*, ibid. *Vestes quibus quis assueverit non nisi mense uno ante Solstitium Æstivum sunt deponendæ*, ibid. *Quoties hi morbi Essentiales non sunt, sed Febrium Stationariarum symptomata, istâ Methodo tolli debent quâ Febris illa curatur*, ibid. *In genere ad Anni Febrim serio attendendum est*, p. 161. *Qualia sunt symptomata quæ invasionem Febris Stationariæ comitantur, talia omninò erunt symptomata quæ insultum sive Pleuritidis, sive Anginæ sequuntur, quoties ejusmodi Febris Accidentia sunt tantùm; quo ab Essentialibus morbis distinguuntur*, ibid. *Anni tempus quo Intercurrentes plerique infestare solent, Essentiales ii fuerint, an symptomatici, subinnuit*, ibid. *In febrium curatione maximi momenti est scire quâ portâ sit excludenda materia Febrilis*, ibid.

CAPUT

CAPUT II.

Febris Scarlatina.

EX eunte æstate ut plurimum invadit: infantes præ cæteris, p. 162. *Descriptio morbi*, ibid. *Curatio*, ibid. *Nec Vena-sectione, nec Enematis, nec Cardiacis est opus. A carnibus tantùm & spirituosis liquoribus ager abstineat, nec foràs prodeat, nec lecto perpetuò affigatur*, ibid. *Quid agendum, si convulsiones vel coma supervenerint*, p. 163.

CAPUT III.

Pleuritis.

QVare tempore inter Ver & Æstatem medio potissimum invadat, ibid. *Temperamento sanguineo præditos Rusticosque frequentissimè aggreditur*, ibid. *Morbi historia*, ibid. *Febribus quandoque supervenit, sapissimè ex intempestivo ac præposterо Calidorum Medicamentorum usu*, p. 164. *De Pleuriticorum sanguine quædam notatu digna*, ibid. *Curatio Pleuritidis*, p. 165. *In adultis rarò minori quàm 40. circiter unciarum sanguinis impensâ sanatur*, p. 166. *Diarrhœa repetitâ Venæsectione sistitur*, ibid. *Æger è lecto quotidie eximendus ad horas aliquot*, ibid. *Hic morbus Expectorationi eliminandus non sine ingenti periculo committitur*, p. 167. *Curatio punctura tendinis*, ibid.

CAPUT IV.

Peripneumonia Notha.

SUb Hyemis exitum emergit: Paulo habitiores & crassos, virilem ætatem assequutos, vel prætergressos, liquoribus spirituosis addictos præcipuè aggreditur, ibid. *Morbi descriptio*, p. 168. *In habitioribus nulla fere Febris indicia, vel ob interceptam Circulationem, vel Pituitæ, quâ sanguis gravatur, copiam*, ibid. *Curatio Vena-sectione, Remediis Pectoralibus, & Diæta Refrigerante perficitur*, ibid. *In crassioribus maximè ætatis florem prætergressis cùm minùs feliciter cedat Vena-sectio, repetita, Catharsis crebrior est substituenda*, ibid. *Sanguis è brachio ægri in lecto jacentis extrahendus*, ibid. *Vera Peripneumonia à Pleuritide in eo tantùm differt quod Pulmones universalius affleiat*, p. 169. *Notha hæc Peripneumonia ab Asthmate sicco distinguitur Febre, quam illa semper habet comitem*, ibid. *Quàm egregia præstat spiritus vini in ambustorum curatione*, ibid.

CAPUT

CAPUT V.

Rheumatismus.

Annis florentes maxime, atque Autumno præcipuè invadit: à repentino frigore post calefactionem admisso plerumque oritur, p. 170. *Morbi historia*, ibid. *Febris sæpe recrudescit ob materiam morbificam ab intempestivo externorum usu repercussam*, ibid. *Arthritis sæpe audit hic morbus, quoties à febre sejungitur: non est tamen*, ibid. *Eo desinente æger nonnunquam membrorum motu ad morcem usque privatur*, ibid. *Lumbago Rheumatica, alia hujus morbi species, describitur*, ibid. *morbi curatio*, p. 171. *Utraque mordi species ab inflammatione orta, Venesectione & refrigerantibus tollenda est*, ibid. *Ab Anodynis abstinendum, quorum usu morbus figitur*, ibid. *Quo tempore purgandus æger*, p. 172. *Dolores à Rheumatismo imperitè tractato reliqui pro Scorbuticis sæpè habentur*, ibid. *Scorbutus non ita frequens apud nos morbus est atque à vulgo putatur*, ibid. *Multi ex iis Affectibus qui Scorbutici audiunt, vel effecta sunt morborum Entium, vel nondum perfectè devictorum reliquiæ*, ibid. *Probatur illud exemplo Arthritidis, Podagræ, atque Hydropis*, ibid. *Methodus Medendi non adulterinis illis symptomatis, sed ipsi morbo, seu perfectè formato est accommodanda*, p. 173. *In Rheumatismo inveterato longius spatium inter Venæ-sectiones repetitas est interponendum*, ibid. *Fontanella in crure, & spiritus quivis Volatilis hic prosunt*, ibid. *Rheumatismi scorbutici curatio*. p. 174.

CAPUT VI.

Febris Erysipelatosa.

Describitur morbi species notissima, ibid. *Describitur species alia rarius occurrens*, ibid. *Curatio materiam peccantem Evacuantibus, partibus jam impactam Discutientibus, & sanguinem contemperantibus, absolvenda*, ibid. *Topicis etiam post Catharsin applicandis*, p. 175. *Quæ dicta hîc conveniat*, ibid. *Pruritus ferini curatio*, ibid.

CAPUT VII.

Angina.

Tempore Ver atque Æstatem interjacente Juvenes præ cæteris, & temperamento sanguineo præditos, Rufos item, invadit, p. 176. *Morbi descriptio*, ibid. *Curatio sanguine copiosè detracto primum è brachio, mox ex Ranulâ utrâque; Litu ex melle Rosaceo & spiritu Vitrioli; Gargarismate; dein Catharsi perficitur*, p. 177. *Enema etiam Refrigerans & Emolliens quotidiè injiciendum est. A carnibus omnino, à Lecto per horas aliquot singulis diebus abstinendum*, ibid. *Angina symptomæ-*

ſymptomatica eâdem Methodo quâ Febris cujus ſymptoma eſt, debet curari, ibid. *Nonnullæ Febres intercurrentibus annumerandæ, vulgò pro ſymptomatis tantùm habentur. Hujuſmodi ſunt Hæmorrhagia Narium, Hæmoptoe*, ibid. *Deſcribitur Narium Hæmorrhagia*, ibid. *Ejuſdem Curatio*, p. 178. *Quo nomine Catharſis hìc inſtituenda*, ibid. *Hæmoptoe ejuſdem ferè indolis cùm Hæmorrhagiâ jam tractatâ*, ibid. *Eandem ferè quam Hæmorrhagia Methodum medendi ſibi vendicat, niſi quod Catharſin minùs ferat; à qua, præſertim repetitâ, æger facilè in tabem conjicitur*, ibid. *Concluſio*, p. 179.

Epiſt. Reſp. prima.

ANnus 1676. *eoſdem peperit morbos quos prægreſſi.* 1673. 74. & 75. Pag. 183. *Exoleſcente hâc craſi, mitiores quàm pro ſuo genio evadebant morbi, & minùs Epidemici*, 184. *Non tam manifeſta, quam occulta aeris temperies morbis Epidemicis favet; niſi quod ſymptomata aliquando*, ibid. *Morbilli licet non admodum Epidemici, longiùs tamen quàm pro more ſuo procurrebant*, ibid. *Non tamen diverſam medendi methodum ab uſitatâ poſtulabant*, ibid. *Exeunte æſtate cholera morbus Epidemicè ſæviebat, atrocioribus ſolitò convulſionum ſymptomatis ſtipatus*, ibid. *Anodyna fortiora, & frequentiora quàm aliàs unquam indicabantur*, ibid. *Hiſtoria eo laborantis, & convaleſcentis*, ibid. *Vſque augenda, & repetenda eſt Laudani liqu. doſis cum ſymptomata ſubjugaveris*, ibid. *Tres ſunt affectus in quibus ex opio parata indicantur*, p. 185. *Doſis & repetendi vices cum ſymptomatis magnitudine ſunt conferendæ*, ibid. *Annum* 1677. *ſicco pede præterit Author, per integrum ejus decurſum valetudinarius*, ibid. *Anno* 1678. *Febres intermittentes per* 13. *annos exulantes Epidemicæ rursùs audiunt*, ibid. *Hyeme paululùm fatiſcentes Variolis, aliiſque per id temporis Epidemicis locum cedebant*, ibid. *Olim quartanæ frequentiùs occurrebant, nunc dierum aut Tertianæ, aut Quotidianæ, & moris planè diverſi*, ibid. *Cardiacis, & regimine calido adeò præter indolem ſuam incruduere, ut tacto cerebro haud pauci extinguerentur*, p. 186. *In Tertianis, & quotidianis per ſudorifica curationem moliri periculoſum eſt*, ibid. *Ita enim quæ intermittebat febris fit continua*, ibid. *Æthiologia ejuſdem*, ibid. *Venæſectio & Catharſis morbum protrahunt*, ibid. *Nonnunquam è longo Corticis Peruviani uſu ſpecies quædam Rheumatiſmi ſcorbutici inducitur; ſed rariſſimè, & facilè curatur*, ibid. *Cortex inſignium eſt virium non in hoc tantum morbo, ſed & in uteri, & ventriculi affectibus*, ibid. *ob quæ præjudicia, & rationes temerè deductas Cortex malè audit*, ibid. *Vel ipſos curavit quos purgavit*, p. 187. *Haud illæ nobis arrogandæ ſunt facultates quas Natura negavit*, ibid. *Provocantur philoſophi ad unicam differentiam ſpecificam in naturâ enodandam*, ibid. *In morborum curatione non oportet alicui hypotheſi indulgere: ſed rejectis ſpeculationum commentis, experientiam cum rectâ ratione conjunctam tanquam Indicem, atque Magiſtram ſequi*, ibid. *Cortex Peruv.* 25. *plus minus abhinc annis primum cœpit inclareſcere*, ibid. *Duæ cauſæ memorantur ob quas in deſuetudinem abierat*, ibid. *Herculeum*

est medicamentum si quâ par est curâ propinatur, p. 188. *Quibus rationum momentis ductus est Author ut hanc suam methodum excogitaret*, ibid. *Methodus exhibendi*, ibid. *vel in formâ pilul. vel Electuar. vel in Infus.* ibid. *Si ob idiosyncrasiam (quod sæpè accidit) expurgetur æger, cum Laudano est exhibendus*, p. 189 *Eadem methodus (sed in dosi minori) valet in tertianis, & quotidianis*, ibid. *Tertianæ, quotidianæque non ità raro in continuarum ferè speciem vergunt, præsertim ægro regimine justo calidiore multato*, ibid. *In quo casu à remissione quantumlibet exiguâ oportet Corticem ingerere, nec paroxysmum præstolari*, ibid. *Maximè continuis apyrexiam conciliat Cortex, modò regimine justo calidiore non impediatur ejus vis*, p. 190. *nec obstat vinum in quo exhibetur*, ibid. *Quò magis proclivis est in continuitatem febris, eò majori in dosi detur Cortex*, ibid. *Quibus arridet infusio paretur*, ibid. *Si vomituritio incesserit laudatâ hic methodo est compescenda, & tum Cortex ingerendus*, ibid. *Teneræ infantium ætati Iulapium accommodatur*, ibid. *Quare in tertianis sæpè, & quotidianis medicam, non nisi post biduum curationem absolvit*, ibid. *Si omni adhibitâ cautelâ æger recidivam patitur, decoctum amarum exaucthorato cortici succenturietur*, p. 191. *Æger nec à cibo, nec potu qui ad stomachum facit, arcendus est, fructibus horariis, & liquoribus frigidis exceptis*, ibid. *Carnibus eupeptis, & euchymis vescatur, vinoque modicè utatur*, ibid. *Aura frigidior vitetur, ut & omnes evacuationes, blandiss. enim Catharsis, vel enema è lacte saccharato in recidivæ discrimen conjicit*, ibid. *Febres intermit. Symptomatis stipatæ quæ Apoplexiam veram mentiebantur*, ibid. *Quibus indiciis judicandum*, ibid. *Cautio de methodo medendi*, ibid. *Senes imperitè tractati in Diabetem aliquando incidunt*, 192. *In omni Diabete invigorandus est sanguis*, ibid. *Methodus therapeutica*, ibid. *Medicam. formulæ, & diæta*, ibid. *Eadem methodo, (nisi quod præmittenda est phlebotomia & Catharsis) sanatur & fluor muliebris*, ibid. *In tertianis vernalibus, temperamento sanguineo, & florente ætate quid agendum*, p. 193. *Methodus in gratiam pauperum*, ibid. *Anno 1679. sub initium Julii eadem febres vires redintegrabant & mense Augusto immanissimè debacchabantur*, p. 194. *Cum Novembri subingrediebantur tusses ἐπιδημικώτεραι, quarum mala indoles adumbratur*, ibid. *Ad tussim puerorum convulsivam proximè accedebant*, ibid. *In earum causam inquiritur*, ibid. *Curatio rectè instituitur venæsectione & Catharsi*, ibid. *Pectoralibus gratificamur ægris, sed non diutis immorandum, & quare.* ibid. *Sudorifica non ità tutò adhibentur*, p. 195. *Sæpè iis accenditur Pleuritis*, ibid. *Misso sanguine, & epispastico Nuchæ applicato Catharticum propinetur* ibid. *Qua solâ methodo tussis puerorum convulsiva expugnatur*, ibid. *Ratio redditur quare in omnibus morbis epidemicis phlebotomia Catharsi præmittenda est*, ibid. *Cui multiplex experientia, dux & magistra opt. suffragatur*, p. 196. *Empirici & scioli perstringuntur*, ibid. *In accurata Naturæ operationum observatione vera praxis med. fundatur*, ibid. *Febres duas è tribus in medicinâ faciendâ partes occupant*, ibid. *In quem scopum unicè collimant Empirici in earum curatione, Non facilè dijudicant speciem*, ibid. *variæ sunt*, ibid. *Quævis peculiarem postulat medendi methodum*, ibid. *Eadem per diversos gradus diversè tractanda*, ibid. *Minutiora quæ observanda sunt non facilè enumerantur*, p. 197. *Semper erit quod posteri*

posteri adjiciant, ibid. *Tusses modò dictæ si imperitè tractarentur febrem accendebant*, ibid. *methodus therapeutica*, ibid. *In febre à tussi si ter purgetur æger, sufficit*, ibid. *Post mensem unum vel alterum cessabat Tussis, sed Febris quoad cætera ejusdem indolis grassabatur*, ibid. *Eadem febris usque ad initium Anni* 1680. *se extendebat*, ibid. *Febres intermitt. cum surgente anno apparebant*, ibid. *Perseverabant ad initium anni* 1685. *sed non adeò epidemicè ac in* 4. *primis annis*, ibid. *Generalis constitutio intermitt. producendis favet*, ibid. *Verosimile est Febrim depuratoriam postliminio reversuram*, p. 198. *In Peste, & febribus inflammatoriis obest cortex*, ibid. *Epidemici alii alios ordine excipient.* ibid. *Æger Rheumatismo laborans si phlebotomiâ liberiori manu celebratâ curetur, variis morbis obnoxius redditur*, ibid. *Diæta è sero lactis phlebotomiæ loco substituta*, p. 199. *Historia*, ibid. *Leviora sunt ingenia quæ res vilipendunt quòd simplices sunt, & apertæ*, ibid. *Dicta methodus aliis etiam morbis accommodaretur*, ibid. *Casus rarior cujusdam qui mercurium subl. corros. deglutiverat, repetitis aquæ tepidæ haustibus ab Orci faucibus erepti*, p. 200. *Cautio de diæta lactea in virilem ætatem prætergressus, & vino assuetis*, ibid. *Post tertiam venæsectionem Cath. exhibeantur, repetanturque*, ibid. *Iâ viam sternes paregoricis*, ibid. *Purgantia sint è lenitivis*, ibid. *Affectus quidam qui febres intermittentes excipiebat nunc Rheumatismum, nunc dolorem nephriticum æmulans commemoratur*, p. 201. *Eandem vendicabat medendi methodum quam morbus cui adhærebat*, ibid.

Epist. Resp. Secunda.

Nil vetat, at jubet charitas luis venereæ curationem docere, p. 356. *Quando primùm hic morb. Europam appulit.* p. 357. *Cujus regionis Endemius*, ibid. *Magnâ celeritate grassabatur primùm, nunc languet indies*, ibid. *Centum retrò annis Gonorrhœæ Virulentæ specie se primùm ostendebat*, ibid. *Quot modis propagatur*, ibid. *Quibus gradibus procedit*, p. 358. *Varia enumerantur symptomata*, ibid. *Constrictio virgæ erectæ dolorificæ est signum παθογνωμονικώτατον*, p. 359. *ardor urinæ, caruncula in urethrâ erosa, undè Ischuria, Scroti inflammatio*, ibid. *Quomodo Gonorrhœa adolescit in veram luem*, ibid. *Bubones, dolores vagi nocturni*, ibid. *Crustulæ, & porrigines leprosæ, Exostoses, ulcera Phagedænica, Tragœdiæ Catastrophe*, ibid. *Natura luis essentialis nos latet*, p. 360. *Nec Mercurius, nec ligna exsiccantia propriè hic audiunt specifica*, ibid. *Alia debet esse evacuatio in Gonorrhœâ, alia in lue formata*, ibid. *Gonorrhœæ curationis cardo in remediis cathartics vertitur*, ibid *Quibus præ cæteris purgantibus cedit*, ibid. *Diæta refrigerans à carceribus ad metas:* ibid. *methodus observanda circa Catharsin*, p. 361. *Quid denuò faciendum si purgationi non cesserit Gonorrhœa*, ibid. *Quid in Idiosyncrasiis*, ibid. *Quid in iis qui ægre purgantur*, ibid. *Diæta inter curandum*, p. 362. *In quo casu vena tundenda*, ibid. *Catharsis hîc ad instar omnium est*, p. 363. *Qui mundificat benè, bene sinat*, ibid *Incommoda ex aq. mineralibus, & aliis adstringentibus*, ibid. *Item è lignis exiccantibus*, ibid. *Methodus curandi,*

glandem præputio contectam, & inflammatam, ibid. *atque etiam scrotum inflammi.* ibid. *Lues confirmata non nisi per salivationem ab hydargyro excitatam potest extirpari*, p. 364. *In ejus curatione corporis per evacuantia præparatio damnatur*, ibid. *Vi & correctiva in unguent. & Cathart.* ibid. *Æger ter inungendus*, ibid. *Quibus remediis Ptyalismus extimuletur*, p. 365. *Gradus salivationis sedulo observandus*, ibid. *Quid si purgaretur æger*, ibid. *Convalescente ægro potius promoveri debet ptyalismus: quam cohiberi*, ibid. *Refrenandus tamen in statu si justos limites transiliret*, p. 366. *Post salivationem non necessaria est Catharsis*, ibid. *Cautio ne salivatio importunius urgeatur, φύσεως ἀντιπραξίας*, ibid. *Quâ methodo optatâ potiaris arena*, ibid. *Mercurius dicatur specificum mediatum*, p. 367. *Quid agendum si Lues & Gnorrhœa unà stabulentur*, ibid. *Curatio Exostosis*, p. 368. *oris exulcerati*, ibid. *Dieta, & reliquum ægri regimen*, ibid. *Quare hoc morbo mulctati in Galliam commigrare coguntur*, ibid. *Quo tempore carnes teneriores indulgendæ, sint ægro*, p. 369. *Hæc methodus usitatâ expeditior, minùs periculosa, & recidivæ minus obnoxia*, ibid.

Dissertatio Epistolaris.

RAtiones quæ Authorem instigârunt ad observationes hasce edendas, p. 385. *Febres interm. quæ primùm Anno* 1677. *caput extulere, an. verò* 1681. *regnabant, iis tempestatibus grassabantur maximè, quæ cum earum indole magis faciebant*, ibid. *Quo ordine morbi se invicem excipiebant*, ibid. *Variolæ ἐπιδημικώτεραι factæ sunt*, ibid. *Quâ datâ occasione maculæ purpureæ extrudebantur*, p. 386. *& Variolæ insigniter confluebant*, ibid. *Cur magis, minúsve periclitatur æger pro exanthematum numero* ibid. *Sanguinis mictus, & maculæ purpureæ, vel paucissimis, vel nullis apparentibus pustulis ægrum è medio tollant*, ibid. *Status diverso tempore pro ratione morbi*, ibid. *Confluentes tantò distinctis periculosiores, quanto confluentibus pestis*, ibid. *Juvenes in ætatis flore omnium maximè periclitantur*, ibid. *Pustulæ & phlegmonis comparatio*, ibid. *Densa pustularum eruptio coercenda, & quare*, p. 387. *Unde oritur, & à quâ προφάσει*, ibid. *Die sexto ab invasione omne pustularum examen conspicitur*, ibid. *Quo morbi tempore æger in solidum lecto adjudicandus*, ibid. *Essentia morbi videtur in inflam. consistere*, p. 388. *E quâ varia symptomata oriuntur*, ibid. *Peccantem materiam in sanguine solâ febre emolitur Natura, in massâ carneâ apostemate*, ibid. *Pus resorptum sanguinem inquinat*, ibid. *Ptyalismus ab intenso febris calore sistitur*, ibid. *Eventus pendet à jacto fundamento*, ibid. *Quot mala à regimine calido oriuntur & à modicè frigidiusculo commoda*, p. 389. *In quo casu æger libero aeri exponendus est*, ibid. *Quomodo accidat ut æger in morbi principio tollatur*, ibid. *Sanguinis missionem non tanti esse ac ejusdem contemperationem probatur instantiâ*, p. 390. *Quantum valet reiterata Catharsis sanguine nondum inquinato*, ibid. *Objectiones contra regimen moderatum retorquentur*, ibid. *Incommoda à pustulis præpoperè elicitis*, p. 391. *Lecti calor quantus*, ibid. *Nec febris coercenda, nec sudor provocandus*, ibid.

ibid. *Æger lecto arcendus ne fortè variolæ forent è confluent. genere*, p. 392. *Nihil suo judicio tribuit author nisi quatenus experientiæ conformi*, ibid. *Dogmatici invidiam depellit*, ibid. *Quocunque modo tractentur variolæ, aliquando insigniter confluent*, p. 393. *Quantum dandum ægrorum appetitionibus*, p. 394. *Naturæ, non Arti mos est gerendus*, ibid. *Morbi acuti sunt qui DEVM habent Authorem sicut Chronici ipsos nos*, ibid. *Quale bonum esset Ars medica si verè Ars esset*, ibid. *Infantes spasmo correpti ut tractandi*, p. 395. *Quantum hic errari solet quùm symptomata pro affectibus essentialibus habentur*, ibid. *Post spasmos in infantibus rarò insigniter confluunt variolæ, è contrà, post affectus comatosos*, ibid. *In utrovis affectu quo modo tractandæ*, ibid. *Quo enormiora sunt symptomata, eò magis confluunt variolæ*, ibid. *Post missum sanguinem Emeticum eradicativum exhibendum*, p. 396. *sp. vitrioli cerevisiæ tenuiori immiscendus*, ibid. *Liberior aëris appulsus magis confert ad sanguinem contemperandum quam evacuantia quavis*, ibid. *In quibus hæc methodus observanda*, ibid. *Die ab invasione sexto æger lecto addicetur*, ibid. *De variolis confluent. tantum hic agitur*, ibid. *Medicamenta paregorica sunt hic quasi specifica*, p. 397. *Quò sedatiores sunt sanguis, & spir. eò commodiùs & separatio fit mat. varioloſæ, & pustulæ adolescunt*, ibid. *Quo nomine syr. de Meconio laudano liquido est præferendus*, ibid. *Dosis symptomatum gradui adaptanda*, ibid. *De adultis impræsentiarum agitur*, ibid. *Infantibus tamen aliquando danda sunt hypnotica*, ibid. *Toties repetenda sunt, donec metam attigeris*, p. 398. *observatio*, ibid. *Calor lecti eludit medicamenti vires*, p. 399. *Quod etiam in Febribus intermit. aliquando accidit*, ibid. *A sextâ ab Invasione nocte ad 17. exhibendum Anodynum*, ibid. *Temporiùs in ultimis morbi diebus ob paroxis. vespertinum*, ibid. *aquâ Dosi*, p. 400. *si ægro nauseam creaverit syr. de meconio, laudanum liq. ejus vices suppleat*, ibid. *objectioni respondetur de discrimine Ptyalismum retundendi*, ibid. *Quare non æque indicatur Diacodium in infantibus, quo casu propinandum*, ibid. *Duo Cardines in quibus variolarum curatio vertitur*, ibid. *die decimo epispast. nuchæ applicandum, & quamobrem*, ibid. *Die undecimo vix micat pulsus*, ibid. *Allium incisum pedum plantis admovendum à die octavo donec æger extrà aleam positus fuerit*, p. 401. *Diæta per totum morbi decursum*, ibid. *Vino instante maturatione indulgendum*, ibid. *sudores evitentur*, ibid. *Casus rarior*, ibid. *Variolæ insigniter confluentes licet utplurimùm, non tamen semper tertio ab invasione die erumpunt*, p. 404. *Omnia hæc theoremata ad confluentes tantum pertinent*, ibid. *Historia insignior de quodam à Petechiis, & mictu sanguineo faciliter liberato*, ibid. *Par methodus in causarum paritate (quantum fert utriusque morbi Genius) adhibeatur*, p. 406. *Non Phantasiæ, sed phænomenis practicis litat Author*, ibid. *Probi medici officium*, ibid. *Unde est quod quæ Medica appellatur, confabulandi potiùs quam medendi Ars evasit*, p. 407. *Naturæ operationes deprehendimus, sed modus operandi, nos semper latebit*, ibid. *Instantia in Cerebro*, ibid. *Non quæ librorum lectio suggessit, sed quæ propria experientia, docuit, hîc tradit Author*, ibid. *Affectus hysterici Chronicorum pars media sunt*, p. 408. *Paucissimæ fœminæ, vel viri sedentarii ab iis liberantur*, ibid. *Affect. hysteric. & hypochon. analogia*,

ibid. *Omnes ferè affectus æmulatur*, ibid. *Apoplexiam refert*, *& Hemiplegiâ solvitur*, p. 409. *Quas præcipuè adoritur fœminas hæc species*, ibid. *Spasmos gignit horrendos Epilepsiæ per similes*, ibid. *strangulatus uteri quibus temperamentis familiaris*, ibid. *Exteriorem capitis partem impetens cum vomitione enormi clavum hystericum parit choloroſi laborantibus familiarem*, ibid. *Cordis palpitationem excitat in infirmioribus*, *& febre albâ pallescentibus*, ibid. *Tussim etiam hystericam*, *quæ pituitâ scatentes fatigat*, ibid. *Iliacam passionem mentitur cum frequenti vomendi nixu*, *& bile porraceâ rejectâ. Ictero solvitur paroxysmus*, ibid. *Desperatio de salute indivisus ejus comes*, ibid. *Quo corporis habitu locum habet hæc species*, ibid. *Paroxysmum Nephriticum mentitur*, p. 410. *Calculum vesicæ*, *& Ischuriam parit: sed rarissima est hæc species*, ibid. *In iis qui fractis sunt viribus à repetitis ejus insultibus*, ibid. *Nunc vomitiones excitat*, *nunc Diarrhœam sed sine dolore*, ibid. *Quibus competunt*, ibid. *Partes exteriores carnemque musculosam infestans dolores excitat tamoresque*, ibid. *Differentia inter hosce tumores*, *& hydropicos*, ibid. *dentibus licet sartis tectis ab omnique defluxu liberis atrociss. & expugnatu difficillimos dolores affigit*, ibid. *dolorem in Dorso certo certius persentiscunt quotquot hoc affectu tanguntur*, p. 411. *partem cui insederat teneram relinquit*, ibid. *Externarum partium refrigeratio quasi viam sternit*, ibid. *de spirit. dejectione*, *sive subsidentiâ conqueruntur ægre*, ibid. *In Risus*, *& lachrymas effunduntur nullâ datâ ansâ*, ibid. *Limpida urina copiosè reddita est signum pathognomonicotaton*, ibid. *Flatus nidorosi*, *& ructus acidi*, ibid. *Atrocissima animi pathemata in sinu fovent*, p. 412. *Qui hisce affectibus tentantur ingenio utplurimùm pollent*, ibid. *difficile est multiformes affectus hystericos enumerare*, ibid. *Causæ eorum procatarticæ*, p. 413. *Diagnosis Causæ προηγούμεναι*, ibid. *Antecedens*, ibid. *Cur plures fœminæ quam mares his fatigantur*, ibid. *Speciei illius quæ Uteri strangulatus dicitur*, *descriptio*, *& origo*, p. 414. *Illius quæ Colicam biliosam*, *æmulatur*, ibid. *Color viridis in rejectis unde*, ibid. *Clavi hysterici ætiologia*, p. 415. *urinæ limpidæ*, ibid. *Historia*, ibid. *Ptyalismi hysterici unde*, p. 416. *Frigus*, *Fletus*, *& Cachinni*, ibid. *Casus cujusdam fletui immodico ex nullâ προφάσει obnoxii*, ibid. *Infirma spirituum σύγκρισις quot animi*, *& corporis intemperies parit*, ibid. *Morbi fomitem in materia non deliteſcere instantiâ elucidatur*, p. 417. *Spirituum ἀταξία humores putridos aliquando gignit*, p. 418. *Hinc etiam ἀνορεξία*, *chlorosis*, *& hydrops testium*, ibid. *Diathesis hysterica est causa primaria*, ibid. *Quemadmodum & μίασμα spirituosum in febre quartanâ*, ibid. *Præcipua indicatio curativa sanguinis corroborationem indigitat*, ibid. *Quare venæsect. & Catharsi præmittendæ*, ibid. *Ab Anodyno aliquando & remediis vulgò dictis hystericis curationis tela ordienda est*, p. 419. *Post Venæsect. & Catharsi omnia ægro videntur in pejus ruere*, ibid. *Remedia chalybeata per 30. dies sumantur*, ibid. *Nihil magis erigit spiritus*, ibid. *Indicio est effectus in choloroſi*, ibid. *In quibus*, *Venæsect. & Catharsi omissis cum chalybe rectà incipiendum*, ibid. *Nudæ chalybis substantia quâvis ejusdem præparatione efficaciori*, ibid. *Crudæ forsan minerâ vis maxima*, ibid. *Ab Officiosa Chymicorum sedulitate medicamenta sæpe nativis spoliantur viribus*, ibid. *Præcipuæ eorum vires à Naturâ*, p. 420. *Quod testantur Opium*, *& cortex Peruv.* ibid. *Syr. chalybis à substantia*

ejuldem secundus. ibid. *Et in chalybis, & aquar. mineralium usu Cathartica maliùs omittuntur*, ibid. *Repetita Cathartica in imbecillis, & infantibus plurimùm officiunt*, ibid. *Vnde tumores in infimo ventre, glandulæ præternaturales in mesenterio*, &c. ibid. *Post evacuationes universales confortentur sanguis, & viscera*, p. 421. *Medicam formulæ quæ huic intentioni inserviunt*, ibid. *In ventris tumoribus post longas febres intermitt. repetita Catharsis indicatur*, ibid. *At in Rachitide verâ semel, vel bis ad plurimum, & dein alterantia*, ibid. *Non pauci infantes à Catharticis sæpè repetitis interempti sunt*, ibid. *Objectioni fit obviam de chalybis aculeis in intestinis hæsuris nisi expurgentur*, ibid. *Hysterica dicta remedia in formâ solida usurpanda sunt*, p. 422. *Methodus & remed. formulæ*, ibid. *Si chalybeata perturbent, laudanum singulis noctibus sumendum*, p. 423. *ubi symptomata mitiora sunt, pil. hyster. sufficiant*, ibid. *Idiosyncrasiæ sunt observandæ*, ibid. *Instantia in laudano liq. Syr. de meconio vices gerente*, ibid. *Si chalybs malò vincendo par non sit adeundæ aq. minerales*, ibid. *observanda inter bibendum*, p. 424. *ob purgativa iis mista difficilius operantur*, ibid. *Infus. clavorum equinorum si modo debit. assumantur, eundem cum aq. miner. effectum sortiuntur*, ibid. *In quo casu aq. Bathonienses adeundæ*, ibid. *Theriacæ Androm. vis*, ibid. *Vinum Hispan. vel corroborantibus medicatum vel simplex quantum valet*, p. 425. *Cort. Perv. ad stir. invigorandos eximia est vis*, ibid. *præcipuè in fœminis quæ spasmis urgentur*, ibid. *diæta lactea in temperamento bilioso tenui, & colicâ hystericâ affectis*, ibid. *sed non omnibus ex æquo convenit*, ibid. *Nihil tamen ideo impensè sanguinem & spiritus firmat, fovetque ac diu multumque equo vehi*, p. 426. *Historia notabili comprobatur*, ibid. *Nec in hypochondriacis magis quam in tabidis phthisicisque penè deploratis locum habet hoc exercitii genus*, p. 427. *Inter chronicos Phthisis duos ferè Trientes jugulant*, ibid. *Nec Mercurius in Lue Venerea, nec Cortex in intermit. efficaciores extent, quàm in hac curandâ (observatis observandis) exercitium laudatum*, ibid. *In Paroxysmo hysterico ad fœtida confugiendum quæ spiritus ab excursibus in ordines compellunt*, p. 428. *Quæcunque fœtent, huic Intentioni inserviunt*, ibid. *Si vehemens dolor, vomitio enormior, aut Diarrhœa incesserit solo laudano cohibentur*, ibid. *In quibus evacuationes præmittendæ, & quamobrem*, ibid. *In quo casu à laudano incipiendum*, p. 429. *Vomitiones enormes dosin max. & sæpissimè repetitam indicant*, ibid. *Paregoricum vel in formâ solidâ exhibeatur, vel vehiculo parco*, ibid. *Capitis motus vomitionem provocat*, ibid. *Recidiva ut præcavenda*, ibid. *A dolere, & vomitione Medicis frequentiùs imponitur quam aliis quibuslibet symptomatis*, p. 430. *In illa specie quæ paroxysmum Nephriticum imitatur judicanda quàm graviter errari solet*, ibid. *Vt & illæ quæ calculum renum, colicam biliosam vel Iliacam passionem similat*, ibid. *Quas repetitis suis evacuationibus Medici non solùm non compescunt, sed irritant*, ibid. *præsertim emetico propinato*, ibid. *de Diagnosi ergò sedulò cavendum*, p. 431. *Plurimæ puerperæ pereunt quòd debitò citiùs è lecto exurgunt, undè lochiorum suppressio, phreneses, spasmi, febres*, ibid. *Vix decima perit mulier vel ex dolore, vel quòd vires partui ferendo non sint*, ibid. *Ad diem saltem decimum jacere debent*, ibid. *Indicationes curativæ duæ*, p. 432. *Si remedia*

remedia usurpari solita votis non respondeant ab iis temperandum, ibid. *Emplast. hyster. umbilico admoveatur, & elect. cum Julap. hic laudato exhibeatur*, ibid. *Si hæc malum non devincunt Laudanum una saltem vice tentandum*, ibid. *Quod aliquando lochiorum fluxum revocat*, ibid. *Narcotica cum hystericis & emmenagogis propinentur*, ibid. *Si non sequantur lochia rejiciantur narcotica & hystericis ac Emmenagogis enema addatur*, ibid. *Enema non repetendum sed temporis συμμαχία præstolanda*, p. 433. *Post diem 20. res ferè in vado est*, ibid. *Si remedia nihil proficientia obstinaciùs ingerantur, & morbum, & spir. perturbationem augent*, ibid. *Historia*, ibid. *In quo casu boni Medici est rem totam aliquandiu Naturæ committere*, ibid. *Sæpè fluxus mensium immodicus sive in puerperio sive extrà idem Affectus hysterici causa fit*, p. 434. *prima species post partum laboriosorem primis solùm diebus ingruit, & brevi se propipere solet*, ibid. *victus sit incrassans*, ibid. *Medicam. formulæ*, ibid. *species altera licet omni tempore accidit circa æt. anno 45. vel 50. quo menses cessaturi sunt præcipuè invadit*, ibid. *Hysterica fortiora evitentur*, ibid. *methodus medendi cum medicament. form.* ibid. *Veteri procidentiæ Curatio*, p. 435. *Conclusio*, ibid.

Tractat. de Podagrâ.

QUos præcipuè invadit Podagra, p. 459. *diversus ejus mos pro ratione subjecti, & tempore invadendi*, ibid. *Quo tempore, & modo Podagra regularis ægrum aggreditur*, p. 460. *Quo ordine, & quibus stipata phænomenis partes lacessit*, ibid. *Paroxismus graphicè depingitur*, ibid. *Nunc hic, nunc illic tragedias excitat*, ibid. *Dolor semper noctu recrudescit, mane verò remittitur*, p. 461. *Ex serie paroxysmulorum, constat paroxysmus*, ibid. *In diversis diverso tempore solvitur*, ibid. *Quomodo se habet æger quoad urinam, alvum & appetitum*, ibid. *Pruritus in discessu & pedum desquammatio* ibid. *Pro majori, vel minori unius paroxys. sævitiâ, vel seriùs, vel citius revertit proximus*, ibid. *In Podagrâ inveteratâ, vel indebitâ medicatione turbatâ phænomena sunt diversa*, ibid. *Pedes peccantis materiæ sedes genuina sunt*, p. 463. *Jam varias corporis partes occupat*, ibid. *In digitis &c. tophos generat, in cubitis tumorem album excitat*, ibid. *Femur, genuque, &c. ut impetit*, ibid. *Per annum ferè integrum durat paroxis*, ibid. *Paroxysmi particulares diutiùs sæviunt, nec ante diem 14, castra movent*, ibid. *In intervallis artus sunt*, ibid. *Quantò magis æger ambulando pedes firmare contendit, tantò periculosiùs morbi fomes visceribus imminet*, p. 463. *Venarum hæmorrh. dolore, ructu nidoroso, appetitûs prostratione infestatur*, ibid. *Urina illam imitatur quæ in Diabete excernitur. Dorsum, aliaque partes molestè pruriunt*, ibid. *Dolores in metartaso lancinantes, & spasmi in tendinibus musculorum tibiæ ut ægrum invadunt*, ibid. *Doloribus recedentibus ægritudines, lassitudo spontanea, & in diarrhœam propensio succedunt*, ibid. *In Podagrâ diuturniore ægritudine potiùs quàm dolore conficitur paroxysmus*, ibid. *Quò vehementior est dolor, eò citiùs præterlabitur paroxysmus, & diutiùs abest, & vice versâ*, ibid. *Calculum renum in quamplurimis parit*, p. 464. *qui aliquando meatus urinarios obstruens ægrum è medio*

medio tollit, ibid. *Animus corpori compatitur, undè ager variis passionibus obnoxius est*, ibid. *Morbi Catastrophe*, ibid. *Plures divites, & sapientes; quam pauperes, & fatuos interemit*, ibid. *Si quas fœminas (quod perrarò est) non nisi vetulas, & viragines infestat*, ibid. *Neque pueri, neque juvenibus mincres verâ, & genuinâ podagrâ vexantur*, p. 465. *Leviculam tamen vellitationem præsentiunt quibus ex traduce morbi seminium impressum est*, ibid. *Morbus ἀπεψίας ortum debet*, ibid. *Qui vino, veneri, laboribus improbis, studiis intensis, cæterisque quæ spiritus exhauriunt, coctiones destruunt, & partium tonum laxant, nimiùm indulsêre, hunc morbum accersunt*, ibid. *In curatione, Venæsectio, Catharsis, & sudores non indicantur*, p. 466. *Venæsectio ut pugnat cum judicatione quam causa antecedens sibi vendicat, præcipuè in iis qui ætate sunt provectiores*, ibid. *Quo modo hydropi aditus aperitur*, ibid. *Quando in juvenibus locum habet*, p. 467. *Ut ab Emeticis, & Catharticis ager de vita periclitatur*, ibid. *Ab humoribus intrò versùs intestina sollicitatis quæ mala ingruunt*, ibid. *Catharsis nec paroxismo ad peccantem materiam minuendam, nec in fine ad reliquias amoliendas, nec ad venturi aditum præcavendum omnino prodest*, ibid. *Unde spirituum σύγχυσις infirmatur, & disjicitur*, p. 468. *Quo pacto fiat ut ager confestim convalescat, sed pœnas imposterum ab ἀταξία pendat dirissimas* ibid. *Quibus nominibus sudores officiant*, ibid. *In omnibus morbis demptâ solâ Peste, sudores proliccre non tam Medici est, quàm Naturæ provincia*, ibid. *Hic affectus ob contra indicationes curatu per difficilis est*, p. 469. *Causæ Antecedenti, & Continenti obviam eundum est*, ibid. *Quo sensu causa continens intelligenda est*, ibid. *Præcipua curandi intentio in eo verti debet ut Coctioni consulatur*, p. 470. *Quæ propriè digestiva appellantur*, ibid. *Medicamenta quæ hanc intentionem adimplent*, ibid. *Cautio in iis sumendis*, ibid. *Quo in casu, quantò major est simplicium numerus, tantò potentiùs medicamentum operatur*, ibid. *Forma Electuarii quo Author uti solet*, ibid. *Quo nomine theriacæ Androm. præferendum est.* p. 471. *Inter simplicia cortex Peruv. primas obtinet in sanguine corroborando*, ibid. *Quantum hujusmodi medicamina in aliis Chron. plerisque juvant*, ibid. *differentia inter morbos acutos, & chronicos*, p. 472. *Ejus causa indagatur*, ibid. *Qui morbi Epidem. audiunt, qui intercurrentes, & sporadici*, ibid. *Indigestio communis est Chronic. parens*, ibid. *Ex eo probatur quod senes magis hisce affectibus obnoxii sunt quàm juniores; & ad eos gignendos magis facit hyems quam æstas*, p. 473. *equitationis emolumenta, in morbis chronicis plerisque, Phthisi præcipuè, stupenda sunt*, ibid. *Herbæ excalefacientes quæ adferunt commoda*, ibid. *Licèt in Podagrâ lædant, in aliis tamen chronicis plerisque venæsectio, & Catharsis corroborantibus, & digestivis præmittenda sunt*, ibid. *Sed quùm morbi cujusque curatio remed. corrobor. innititur, evacuationes qualesque officiunt prorsus*, p. 474. *Digestiva haud obiter, sed assiduè, & constanter sunt usurpanda*, ibid. *nam quum erroribus sive his, sive illis, tota corporis œconomia sit quasi funditùs eversa; eadem de novo extruenda, atque redintegranda est*, ibid. *In digestivorum usu, præcipuè in paroxys. intervallis perseverandum*, p. 475. *In cibo, potuque quæ mediocritas servanda*, ibid. *Cur ægri palato, consulendum*, ibid. *Unicâ ciborum specie*

singulis pastibus vescatur, ibid. *Acria, sale condita, & aromata evitentur*, ibid. *Prandere tantùm expedit*, ibid. *Liberaliorem cerevisiæ tenuioris haustum ob calculum renum generari aptum nocte sibi indulgeat*, ibid. *Dieta lactea quâ ratione magis obest, quàm prodest*, ibid. *Potus sit Cerev. tenuis Lond.* p. 476. *Vinum de facto officit, & quare*, ibid. *neque tutiùs à vino assuetis liquores nimis refrigerantes in usum revocantur*, ibid. *Quis modus in potu statuendus*, ibid. *Copia, & luxus nativæ, tum animæ, tum corporis rectitudini vim infert.* p. 477. *Ab ineunte ætate satis commodè potaretur aqua*, ibid. *In Podagrâ inveteratâ potus dieteticus (cujusmodi hic forma præscribitur) plurimis nominibus prodest*, p. 478. *Quando primùm commodissimè in usum trahitur*, ibid. *In quo casu vinum Hispanicum, illudque præ aliis ægro indulgendum*, p. 479. *Ob quas rationes lectus maturè petendus, præcipuè hyemis tempore*, ibid. *Animi pathemata, nimiaque ad studia, & res serias applicatio spirituum systasin solvunt, ideoque evitanda sunt*, ibid. *Cæteris omnibus quæ indigestionem impediunt, sanguinem corroborant, & partibus firmitudinem conciliant exercitium corporis facilè palmam præripit*, p. 480. *Quotidianum & moderatum sit oportet*, ibid. *Quod qui spernit ad calculi generationem erit proclivior & in discrimine ne à materiâ tophacea in articulis admodum auctâ omni motu privetur*, ibid. *Exercitatio non tantùm tophorum generationi officit, sed veteres, & induratos plerumque solvit*, ibid. *Equitatio aliis exercitiis præferenda est*, p. 481. *Frequenter curru vehi eodem ferè recidit*, ibid. *Idque ruri potius aere perflato, & salubri quàm in urbe*, ibid. *Quam improvidus senex Veneri indulgens*, ibid. *Regimen hoc utut religiosè à quovis observetur, ab enormioribus podagræ insultibus tutetur, eum tamen ab omnibus immunem præstare non valet*, p. 482. *Totius corporis habitus, quoad fieri possit, in paroxysmorum intervallis est immutandus*, ibid. *Morbi fomitis expulsio Naturæ, (ut in Febribus intermitt.) permittenda est*, ibid. *Qui symptomatis coercendis incumbit, morbi curationem remoratur*, ibid. *De errore in victu ab ægro summoperè cavendum*, ibid. *A motu currûs minùs dolebit, quàm in Cathedrâ quiescens*, p. 483. *A quo etiam somnus invitatur*, ibid. *& Calculus quadantenus præcavetur*, ibid. *Atque etiam totali artuum ad motum impotentiæ occurritur*, ibid. *Morbi digestionem sine exercitio in senibus frustrà quis speret*, ibid. *In quo casu lectus, & Dieta tenuis necessaria sunt*, ibid. *In quo exercitium*, ibid. *Ipse dolor aliquando amarum licèt, magnum tamen est remedium*, ibid. *Inter symptomata à quibus ager in paroxismo de vita periclitatur ventriculi debilitas cum torminibus maximè est familiare*, p. 484. *Qua data ansa ingruit*, ibid. *Ei mitigando vinum Canariense conferi maximè sed nec illud, nec Cardiacorum aliud quodlibet ægrum si exercitio non utatur, servare posse existimandum est*, ibid. *In quo casu ad laudanum statim confugiendum est*, ibid. *In quo sudores provocandi*, p. 485. *Quibus Author aliquando suæ vitæ consuluit*, ibid. *materiæ peccantis in pulmonum lobos metastasis qua methodo curanda*, ibid. *sudores hic sedulò evitentur*, ibid. *In paroxysmo nephritico ut ager tractandus*, ibid. *Plures indebita medicatione quàm podagra perimuntur*, ibid. *Remedia externa nocere quandoque possunt, prodesse nunquam*, ibid. *Ustulatio partis affectæ Hippocratem non latebat*, p. 486. *Nihil interest utrum Moxa, an lino*

crudo

crudo fiat, ibid. *Dolorem aliquatenus mitiget, sed causam Podagræ Antecedentem non attingit*, ibid. *In doloribus quorum in partibus internis sedes est, locum non habet*, ibid. *De specificis quanta hic, & alibi decantentur*, p. 487. *Venæsectio, & Purgatio alternatim celebrata in contusionibus, continui solutione & quavis organorum læsione quantum valeant*, ibid. *Quisquis alia petit medicamenta ad Lucianum relegandus est*, ibid. *Therapeia radicalis adhuc in Democriti puteo latet*, p. 489. *Quam tamen quandoque inventum iri Author nullus dubitat*, ibid. *Unde elucescet quantum hallucinati sunt dogmatici in morborum essentiis dignoscendis*, ibid. *Et quàm inauspicato in febrium causis investigandis vel solertissimi ingenia sua exercuere*, ibid. *Cujus rei Cort. Peruv. repertio exemplum est satis luculentum*, ibid.

De Hydrope.

Omnis hominum ætas, sexus omnis ab Hydrope nonnunquam infestatur, p. 490. *Fœminæ magis quam viri ei obnoxiæ sunt*, ibid. *Hi ætate ingravescente, illæ ubi jam parere desierint*, ibid. *Foveæ à digitorum impressione in surarum parte inferiore primum mali indicium*, ibid. *Quare non perinde certum in fœminis, atque in maribus*, ibid. *In senibus verò à multis annis Asthmate laborantibus hydropem non certò indicant*, ibid. *Si generaliter loquamur, suræ, & tibiæ intumescentes etiam in viris pro signo hydropis supervenientis habendæ sunt*, ibid. *Pedibus cruribusque ad extremum extensis in abdomen ruentes aquæ, dein & umbilicum exomphalon quandoque constituunt*, p. 491. *Tria hunc morbum stipant symptomata, Dyspnœa, urinæ paucitas, & sitis intensa*, ibid. *Unde originem trahunt*, ibid. *Pro rata qua partes quas obsidet morbus, augentur, aliæ magis magisque gracilescunt*, ibid. *Impetu tandem in viscera nobiliora, & vitalem arcem facto, ager cataclysmo quasi submersus perit*, ibid. *Causa morbi in genere est sanguinis debilitas*, ibid. *Illi debilitando quæ operam commodant*, ibid. *Hydrops testium in fœminis obiter notatur*, ibid. *Aliæ sunt duæ species in fœminis hydropem mentientes*, ibid. *Illa carnium intra abdomen excrescentiæ præternaturali, hæc flatibus ortum debet: qui ingravidationis signa pariunt*, ibid. *Neutra harum ad morbum de quo agitur, referenda est*, p. 492. *Quas præcipuè exercent*, ibid. *Indicationes curativæ duæ, aquas contentas evacuare, & sanguinis robur instaurare*, ibid. *Cathartica quæ vel segniùs, vel mitiùs operantur, officiunt magis, quàm prosunt*, ibid. *Virum ægri corpus facilè, an ægrè Catharticis, cedat sollicitè inquirendum*, ibid. *Purgatio per ὑπερϕασιν non tantùm non imminuit tumorem, sed adauget*, ibid. *Quare expurgatio fortis, vel nimia, justo debiliori præferenda est*, ibid. *Quas ob causas maxima celeritate quam ægri vires ferre queant, aquæ exantlandæ sunt*, 493. *Hydragoga quem usum obtinent in iis qui difficiles, quem in iis qui faciles purgatu sunt*, ibid. *In istis qui Catharsi promptè cedunt syr. de spina Cervina aquas sat copiosè elicit*, ibid. *Id habet incommodi hic syrupus quòd inter purgandum ingentem sitim provocet*, ibid. *Catharticis lenioribus opus suum cum bona euphoria non peragentibus, fortiora sunt tentanda, quod historia probatur*, ibid. *Quo casu hydragoga sola vix votis respondent, sed lenioribus calcaris*

vice permista, efficacissima evadunt, p. 494. *Potionis forma pro robustioribus*, ibid. *alia* ibid. *Tertia calefaciens inter purgandum, tum & corroborans*, ibid. *In iis qui ægrè purgantur aliis* δραστικώτερα *sunt Elaterium, & infus. Croci metal.*, ibid. *Emeticæ operationis ratio investigatur*, p. 495. *Cæcos dari meatus ex ab dominis cavitate in intestina de facto liquet*, ibid. *Hippocrates in scenam ducitur*, ibid. *Quàm curiosa corporis humani inspectio, & fabricæ notitia, tum Medicis, tum Chirurgis necessaria est*, ibid. *In acutis quibuslibet, & Chronicis plerisque specifica quædam inest proprietas à nulla corporis contemplatione in lucem eruenda*, p. 496. *Mens divini Senis in loco suprà citato explicatur*, ibid. *Majora licèt organa pateant, exiles tamen meatus oculos acutiss. vel microscopio exquisitissimè elaborato adjutos effugiunt prorsus*, ibid. *Cognitio nostra ad* τὸ ὅτι *assurgat, sed* τὸ διότι *nullatenus attingat*, ibid. *Et quæ innotescunt, & ad quæ cæcutimus impellunt ut divinum Artificem suspiciamus, & adoremus*, ibid. *Chymiæ laus, & emolumenta intra quos limites coercenda*, ibid. *Medicinæ faciendæ defectus in eo non vertitur quòd nesciamus quo pacto huic, aut illi intentioni satisfacere debeamus; sed quòd non satis sciamus quænam sit illa intentio cui satisfaciendum est*, p. 497. *Ad judicium in hâc re ritè formandum naturalia morborum phænomena atque juvantia, & lædentia diligenter observata, collata, & trutinata conferunt maximè*, ibid. *Exquisitissimæ speculationum dissertationes quàm labili fundamento innituntur*, ibid. *Hypotheses solidas, & genuinas Praxi quadantenus originem debere exemplo comprobatur*, ibid. *Vomitio ab Emetico excitata hydropicorum aquas* ἄνω, *& cum* κάτω *potenter evacuat*, p. 498. *Hydropicæ cujusdam curatio Emeticis, & Catharticis absoluta*, ibid. *Tria hic notatu dignissima*, p. 499. Ἀταξία *ab evacuationibus excitata ut occurrendum*, ibid. *In quo casu convenit ut tota res evacuantibus per inferiora committatur. Decoct. ex interiore cortice Sambuci eodem modo quo Crocus metal. morbum hunc depellit, non autem vi aliqua specifica*, ibid. *In quibus casibus Emetica & Cathartica malum augent, totaque curatio in sanguine, ac visceribus corroborandis, firmandisque vertitur*, p. 500. *Huic Intentioni aeris mutatio, & exercitium quale quale demum sit, apprimè respondent*, ibid. *In Constitutione infirma, & hystericis, aquæ diureticis educendæ sunt*, ibid. *Efficacissima è salibus lixivialibus fiunt*, ibid. *Medicam. forma*, ibid. *Cineres genistæ in vino Rhen. ac quantum hic valent*, ibid. *Aquis evacuatis, debilitas sanguinis medicam. calefacientibus, & corroborantibus præcaveri debet, præsertim in ætate provectioribus*, p. 501. *Quæ in Podagra laudantur hic locum habere possint*, ibid. *Vinum à quo in podagra abstinendum, pro potu ordinario in hydrope usurpetur*, ibid. *morbi plerique Chronici Indigestioni ortum debent*, ibid. *In essentiales & specificas morborum tam Chronicorum, quam acutorum differentias penetrare non datum est*, ibid. *Curationem in utriusque non ad essentialem eorum naturam, sed ad causam magis generalem dirigere cogimur*, ibid. *Curandique methodum natu a, vel experientiæ indiciis accommodare*, ibid. *Æger inter curandum, post portas aquis datas, vel vinum, vel Cerevisiam generosiorem potare tentatur*, ibid. *Liquores generosi, modò spir. distillatione eliciti non sint, soli aliquando hydropicos in principio curarunt*, ibid. *Cerevisia medicata pro pauperibus, pro ditioribus vina, & Ele-*

Eluarium digestivum laudantur, p. 502. *Liquores minùs generosi parcè admodùm bibendi*, ibid. *Sitis ut restinguenda*, ibid. *Chalybs in hydrope incipiente haud infimum sibi vendicat locum*, ibid. *Allium solùm hunc morbum depulit aliquando*, ibid. *Cujusmodi hydrops evacuantia non deposcit*, ibid. *Quum sanguinis corroborationi navatur opera, totaque res in eo solùm cardine vertitur, eger nullo modo expurgandus est*, ibid. *Ità enim tumor qui minui cœperat, augebitur*, ibid. *Morbus ad supremum gradum provectus artis subsidia spernit*, p. 503. *Quare tamen Medici est non animo cadere sed morbum tanquam nuper cœptum aggredi*, ibid. *Topica in forma Cataplasmatis, vel linimenti minùs nocent*, ibid. *Vnguent. à Cathart. fortioribus confecta atque abdomini applicata quas turbas faciunt*, ibid. *Vesicatoria gangrænam sæpè invitant*, ibid. *Quare vulnus levius. in hydropicorum carne curatu est difficillimum*, ibid. *Conclusio*, ibid. *Post scriptum de Febre hyemali cujus historia & curatio traduntur*, p. 505. *Schedula monitoria de novæ Febris ingressu*, p. 507. *Processus integri in morbis ferè omnibus curandis*, p. 646.

PRIVILEGIUM
SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS.

AROLUS Sextus Divinâ favente Clementiâ, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hiſpaniarum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Sclavoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis &c. Agnoſcimus & notum facimus, tenore præſentium, quòd, cùm Nobis Noſtri & Sacri Imperii fideles dilecti *De Tournes Fratres Bibliopolæ Genevenſes* humillimè exponi curârint, ſe *Thomæ Sydenham* Medicinæ Doctoris, Opera omnia Medica variis Cœlii Aureliani Martini Liſteri, Caroli Drelincurtii, Bernardi Ramazzini, aliorumque præſtantiſſimorum Medicorum Obſervationibus, quàm maximè illuſtrata & aucta inquarto in bonum publicum prælo committere conſtituiſſe, vereri autem nè, quod fieri ſoleat, alii etiam Typographi quæſtûs gratiâ eoſdem Libros fraudulenter cum magno ſupplicantium diſpendio imitentur, prælo committant, diſtrahant atque venundent, ideoque Nos ſupplices orarint ut dicta Opera Medica Privilegio Noſtro Cæſareo contra omnes ejuſmodi fraudes præmunire clementer dignaremur. Nos ſubmiſſæ pariter & æquæ huic petitioni annuendum cenſuerimus. Idcirco omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis aliiſque quibuſcunque Librariam negociationem exercentibus firmiter inhibemus, & vetamus, ne quis prædicta Opera Medica per decem annorum ſpatium ab hodierna die computandum, in ſacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum Noſtrarum Hæreditariarum finibus ſimili aut alio Typo vel forma ſub quovis alio prætextu ſive in toto ſive in parte recudere, vel alio recudenda dare, alibi impreſſa apportare, vendere vel diſtrahere clam vel palam citra voluntatem & abſque dictorum *Fratrum De Tournes*, ipſorum hæredum & ſucceſſorum expreſſo & in ſcriptis obtento conſenſu & licentia præſumat. Si quis verò ſecus faciendo & Privilegium & Interdictum hoc Noſtrum violare, aut tranſgredi auſus fuerit, Eum non modo ejuſmodi libris perperam quippe recuſis & adductis, quos prædicti *De Tournes* eorumque hæredes ubicumque deprehenſos ſive propriâ authoritate, ſive Magiſtratûs auxilio ſibi vendicare poterunt; de facto privandum, ſed & pœna inſuper quinque marcarum auri puri Fiſco Noſtro ſeu Ærario Imperiali ex ſemiſſe ex altero verò ſemiſſe parti læſæ pendendâ omni ſpe veniæ præcisâ mulctandum decernimus; dummodo tamen libri illi tenorem hujus Noſtri Privilegii in fronte præimpreſſum ad cujuſque notitiam exhibeant eorumque conſueta exemplaria ad minus quinque ad Conſilium

Noſtrum

PRIVILEGIUM

Noſtrum Imperiale Aulicum quam primùm tranſmittantur. Mandamus ergo Univerſis Noſtris, & ſacri Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis, cujuſcunque ſtatûs, gradûs, Ordinis, Dignitatis aut Præeminentiæ exiſtunt, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti & proprio, vel ſuperiorum ſuorum nomine & loco juris & juſtitiæ rationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Noſtrum temerè ac impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, quos compererint, præſcripta pœna plecti, aliiſque modis coërceri curent, quatenus & ipſi eandam mulctam pendere noluerint. Harum teſtimonio Literarum manu Noſtrâ ſubſcriptarum, ſigillôque Cæſareô munitarum, quæ dabantur in Civitate Noſtra Viennæ die vigeſimâ primâ Auguſti, Annô milleſimô ſeptingenteſimô decimô quartô, Regnorum Noſtrorum Romani tertio, Hiſpanicorum undecimô, Hungarici & Bohemici verò quartô.

CAROLUS

(L. S.)

Vidit FRID. CAR. Comes
de Schönborn, m. p.

Ad Mandatum Sac. Cæſar. Majeſtatis proprium.
J. S. Hayeck de Waldſtätten, m. p.

THOMÆ
SYDENHAM,
MED. DOCT.
OBSERVATIONES
MEDICÆ,
CIRCA
MORBORUM
ACUTORUM
HISTORIAM
ET CURATIONEM.

AMICISSIMO VIRO

DOMINO

JOHANNI MAPLETOFT,

M. D.

In Collegio *Greshamensi*

APUD LONDINENSES

PROFESSORI,

Nec-non Societatis Regiæ *ibidem* SOCIO.

DVO omnino sunt (Humanissime Vir) de quibus hic mihi tecum agendum est: Primum ut causas exponam, quibus impulsus Tractatum hunc meum in publicum edo; alterum, quamobrem eundem Tuo potissimum nomini dicandum censeo. Primum quod attinet, tricesimus jam agitur annus, à quo Londinum *petens, ut inde* Oxonium *denuo profi iscerer, (à quo primi belli calamitas me ad annos aliquot distinuerat) in virum Doctissimum & maxime ingenuum Dominum* D. Thomam Coxe, *(qui per eos etiam annos, atque ad hunc usque diem Medicinam magna cum celebritate fa itavit,) Fratri meo tunc ægrotanti consulentem, auspicatò incidi rem; qui quidem Vir, pro nota sua humanitate suavitateque morum me percontatus est; cui me demum Arti, intercisa jam repetens studia, sumptâque togâ virili, parerem addicere. Ego vero incertus adhuc animi, & de medica Arte ne vel somnians quidem, tanti viri hortatu atque authoritate permotus, nescio*

nescio quo fato meo, me ad eam seriò accinxi. Et sanè si quando hæc nostra conamina vel minimum in publica commoda cesserint, illi grato animo accepta referenda erunt, quo Promotore atque Auspice ea studia primum sum aggressus. Post annos aliquot in Palæstra Academica insumptos Londinum reversus, ad Praxim Medicam accessi, quam cùm intento admodum oculo omnique adhibita diligentia curiosè observarem, mox in eam veni sententiam, quæ mecum ad hodiernum usque diem crevit; Hanc scilicet Artem haud rectius perdiscendam esse, quàm ab ipsius Artis exercitio atque usu; veroque admodum esse simile, quòd qui ad naturalia morborum Phænomena oculos animumque accuratissimè maximeque diligenter adverterit, in eliciendis Curativis Indicationibus veris ac genuinis maximè pollere debeat. Huic itaque me Methodo totum tradidi, satis securus, quòd Naturam si sequerer Ducem, etiam Avia terrarum peragrans loca, nullius antè Trita solo, nusquam vel latum unguem à recto tramite discederem. Hoc me filo regens, primò ad pressiorem Febrium observationem animum appuli, & post devoratum haud mediocre tædium, & molestissimas mentis agitationes, quibus me ad annos aliquot fatigandum permisi, tandem in methodum incidi, quâ istæ possent sanari; quam etiam, amicis flagitantibus, in lucem promendam jamdudum concessi. Cum verò ab illo tempore novas Febrium species, mihi hactenus incognitas, sibi invicem jugiter succedentes animadverterim, statui apud me quæ ad eas pertinebant singula, vel ab eisdem pendebant, summâ quâ possem diligentiâ in unum congerere; quo tandem aliquando prioris cœpti mei tenuitatem atque angustias paulò accuratiori ac magis absolutâ horum morborum Historiâ pensare valerem. Sed dum hæc animo versarem, atque indagarem sedulò, & proinde jam in eo totus essem, ut pro multifariis Naturæ mutationibus & versatili ingenio Medendi, Methodum, ceu Gladium Delphicum, procuderem omnibus parem, statim didici me ideò tantum aperuisse oculos, ut pulvere, haudquaquam verò Olympico, jidem complerentur, atque his quidem, proprii cerebri phantasmata, illis, nullum me prorsus habere ducem planè viderer. Quamvis optassem Lucubrationes hasce meas non nisi annorum porrò aliquot experientiâ auctas & confirmatas typis evulgasse, contumeliis tamen ac sannis procacissimi cujusque Ardelionis tandem plus satis delassatus, amicis eo usque morem gessi (inter quos cum honore mihi semper nominandus est saga-

ciſſimus Vir Dominus Doctor Gualterus Needham, *tam Medicæ Artis, quàm rei Literariæ decus, & laus) ut mihi tandem conſulerem, ac juſtam pararem Defenſionem; ea nempe facta prodens ſcriptis publicis quæ ingenuos, quod ſpero, omnes mihi Patronos conciliabunt. Cæteros quod attinet, expectabo ſcilicet, quemadmodum acutè Romanus Philoſophus*, ut quicquam Calumniæ ſit ſacrum, cui nec Rutilius ſacer fuit, nec Cato? *Si qui itaque reperiantur, quos præ immanitate quadam ac aſperitate naturæ convitiandi libido adhuc inceſſerit, rectene an ſecus ſcripſerim haud æſtimantes æquâ lance, qui vitio ſtatim vertunt, ſi quis novi aliquid, ab illis non prius dictum, vel etiam inauditum, in medium proferat, hujuſmodi ego homines æquo me animo laturum ſpero; certè convitiorum ſerram nequiquam reciprocabo. Illud tantùm opponam, Viro Chriſtiano ſanè perdignum, quod olim* Titus Tacitus, *obtrectanti* Metello *regeſſit:* Facile eſt in me dicere, cùm non ſim reſponſurus: Tu didiciſti maledicere; Ego, Conſcientiâ Teſte, didici maledicta contemnere. Si tu Linguæ tuæ Dominus es, ut quicquid lubet effutias; Ego Aurium mearum ſum Dominus, ut quicquid obvenerit audiant inoffenſæ. *Atque hæc ſunt, quorum victus pondere Librum hunc luce donandum eſſe ſentiebam.*

Tibi verò (Chariſſime Vir) eundem dedicatum volui, tum ob mutuam quâ nos invicem complectimur Amicitiam Benevolentiamque; tum etiam quia nemo te melius judicare valeat, ſi quo in loco aut pretio habendæ ſint quas hic trado Obſervationes, *cùm per ſeptennium, quod jam ultimò excurrit, plura è præcipuis atque inſignioribus, quæ ſequentes exhibent pagellæ, Tute etiam oculis uſurpaveris. Vti verò eâ tu es morum integritate probitateque notiſſima, ut religio tibi ſit fictis inſinuationibus alios in errorem pellicere, (maxime ubi de Corio humano agitur) ita eâ etiam polles ſapientiâ atque eruditione, quæ tibi à me imponi, ſi id ſeriò agerem, nullatenus paterentur; multo minus tu tibi impoſueris iſtis experimentis, quibus in tuis etiam ægris nonnullorum, quæ vel hîc deſcripſi, vel tibi alias affirmavi, veritatem comprobaſti. Noſti præterea, quàm huic meæ Methodo ſuffragantem habeam, qui eam intimiùs per omnia perſpexerat, utrique noſtrum conjunctiſſimum Dominum* Johonnem Lock, *quo quidem Viro, ſive ingenio judicioque acri & ſubacto, ſive etiam antiquis, hoc eſt, optimis moribus,*

VIX

vix superiorem quenquam inter eos qui nunc sunt homines, repertum iri confido; pauciſſimos certè pares. Verùm non opus est, ut ulteriùs tuam fidem sollicitem, de qua jamdiu persuasiſſimus sum. Cæteros quod attinet, jacienda alea est, quæ utcunque ceciderit, sortem haud gravatè feram. Cùm enim jam senex sim, &, summi Numinis favore, tantum mihi sit Viatici, quantum restat viæ, de reliquo dabo operam, ut nec ipsi mihi, neque aliis molestus eum assequar felicitatis modum, quem ita eleganter depinxit Vir magnus:

Felix ille animi, Diviſque ſimilimus ipſis,
Quem non mendaci reſplendens Gloria Fuco
Sollicitat, non faſtoſi mala gaudia Luxûs.
Sed tacitos ſinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla ſilentia vitæ.

Quod restat, exorandus mihi es, ut hoc propensi in te animi, &, quo te prosequor, Honoris pignus æqui bonique consulas; præsertim cùm nullo jure Tibi imputari possint quotquot in hoc Opere navi a σφάλματα comparuerint, quorum omnium in me solùm cudenda est faba; nec tu plectendus, si quià ego forte deliravero. Quamlibet neque ejus quem exantlavi laboris omnis mihi fructus perierit, cùm vel ex erroribus & hallucinationibus meis ansam nactus fuero, quâ omnibus palam faciam, quantâ te colam amicitiâ, & quod ex animo sim

Tibi semper addictiſſimus

THOMAS SYDENHAM.

PRÆFATIO

QUemadmodum à natura ita comparata est humani corporis Fabrica, ut nec præ jugi particularum fluxu sibi semper constet, nec præ externarum rerum vi sui juris ubique permaneat, unde multiplex ægritudinum cohors terris ab omni ævo incubuit; sic procul omni dubio à multis jam sæculis ante natum non *Græcum* modò, sed (qui mille annis hunc anteceſſit,) *Ægyptium Æsculapium*, hominum ingenia investigandæ medelæ necessitas exercuit. Et profectò, ut quis primus ædificiorum, aut vestimentorum usum ad depellendam cœli inclementiam instituit, nemo facilè dixerit, ita & *Artis Medicæ* Natales, ut *Nili* fontem indigitare nequimus; cùm ista, perinde ac cæteræ artes, in usu nunquam non extiterit, licet nunc frigidius exculta, pro vario temporum ac regionum habitu. Quantum *Veteres*, ac inter primos *Hippocrates*, præstiterunt, abundè notum est; quibus scilicet, ac eorum scripta compilantibus maximam *Therapeuticæ* solertiæ partem acceptam ferimus. Quin & succedentibus deinde sæculis emicuit nonnullorum industria, qui aut *Anatomiæ*, aut *Pharmaciæ*, aut *Methodo* ἰατρικῇ operam navando, Medicinæ pomœria ampliare pro virili sategerunt: ut taceam nec in hac nostra *Britannia*, ipsoque hoc seculo defuisse, qui in omni scientarum genere, quo res Medica adaugeri possit, optimè meruerunt; quorum quidem laudes impari calamo non attingo. Cæterum quantacunque fuerint aliorum conamina, semper existimavi mihi vitalis auræ usum frustra datum fore, nisi & ipse in hoc stadio versatus, symbolum aliquod, ut cunque exiguum, in commune *Medicinæ* ærarium contribuerem. Quocirca post diuturnam meditationem, ac diligentem fidamque annorum aliquam multorum observationem tandem aliquando decrevi; Primò sententiam meam in medium proferre, quâ demum ratione Medendi scientia ulteriùs promoveri possit: Deinde meorum in hoc negotio conatuum specimen aliquale in lucem dare.

Sentio autem nostræ Artis incrementum in his consistere, ut habeatur (1) *Historia*, sive *morborum* omnium descriptio quoad fieri potest graphica & *naturalis*; (2) *Praxis* seu Methodus circa eosdem *stabilis* ac *consummata*. Sanè morbos crassé depingere satis obvium

vium est: atqui Historiam eorum ita conscribere, ut evitetur Censura, quam *Clariss. Verulamius* in nonnullos ejusmodi Promissores vibravit, longue majoris est negotii: *Satis scimus* (inquit Vir Nobiliss.) *haberi Historiam Naturalem, mole amplam, varietate gratam, diligentiâ sæpius curiosâm. Attamen si quis ex ea fabulas, & authorum citationes, & inanes controversias, Philologiam denique & ornamenta eximat* (*quæ ad convivales sermones, hominumque doctorum Noctes potiùs, quàm ad instituendam Philosophiam sint accommodata*) *ad nil magni res recidet. Longè profecto abest ab ea Historia, quam animo metimur.* Similiter etiam & morborum curationes pro more facillimè proponuntur; Atqui hoc ita præstare, ut verba in facta transeant, atque eventus promissis respondeant, magis ardui molimînis illi judicabunt, qui vident haberi apud Scriptores Practicos morbos complures, quos nec illi ipsi Scriptores, nec quispiam hactenus Medicorum sanare valuerunt.

Quod autem spectat ad *Historiam Morborum*, si quis rem attentiùs perpendat, facilè videbit scribentem ad multo plura animum debere advertere, quàm vulgo existimatur. Quorum pauca hæc impræsentiarum attingere sufficerit.

Primo, expedit ut morbi omnes ad definitas ac certas *species* revocentur, eâdem prorsus diligentiâ ac ἀκριβείᾳ quâ id factum videmus à *Botanicis* scriptoribus in suis *Phytologiis*. Quippe reperiuntur morbi, qui sub eodem genere ac Nomenclatura redacti, ac quoad nonnulla symptomata sibi invicem consimiles, tamen & naturâ inter se discreti diversum etiam medicandi modum postulant. *Cardui* quidem nomen ad plures herbarum species extendi nemo nescit: at verò parum accuratè faciet rei herbariæ scriptor, qui generalem hujus plantæ descriptionem, quâ scilicet à cæteris stirpibus discrepat, proponere contentus, propria interim & peculiaria cujusque speciei signa & characteres, quibus ab invicem discriminantur, contempserit. Eodem planè modo nec satis est scriptori communes duntaxat morbi alicujus πολυειδοῦς apparentias annotasse. Esto sanè non omnibus morbis eandem contingere varietatem; tamen complures esse, qui, licet ab authoribus sub eodem titulo citra ullam speciei distinctionem tractentur, dissimillimâ sint indole, in sequentibus pagellis, uti spero, palam fiet. Imo etiam ubi distributio in species reperitur, id fit plerumque, ut *Hypothesi* alicui, quæ veris Phænomenis substruitur, suus reservetur honos; ac proinde ejusmodi discriminatio non tàm ad morbi, quàm ad Authoris ingenium, philosophandique theoriam accommodata est. Quantum Medicinæ obfuerit ἀκριβεία hac in parte defectus, ostendunt multorum morborum exempla; quorum nempe curationes hodié non desideraremus, si scriptores,

dum-

dum Experimenta & Obſervationes Medicas benevolo ſaltem animo communicârint, unius ſcil. ſpeciei morbus pro alio ſpeciei diverſæ ſubſtitutus non fefelliſſet. Atque hinc etiam arbitror profectum eſſe, quòd materia Medica in ſylvam tam immenſam, ſed fructu perexiguo, excreverit.

Porrò autem in ſcribenda morborum Hiſtoria, ſeponatur tantiſper oportet quæcunque *Hypotheſis Philoſophica*, quæ ſcriptoris judicium præoccupaverit; quò facto tum demum morborum *Phænomena* clara ac *naturalia*, quantumvis minuta, per ſe accuratiſſimè adnotentur; exquiſitam *Pictorum* induſtriam imitando, qui vel nævos & leviſſimas maculas in imagine exprimunt. Enim verò dici vix poteſt, quot erroribus anſam præbuerint *Hypotheſes* iſtæ *Phyſiologicæ*, dum ſcriptores, quorum animos falſo colore illæ imbuerint, iſtiuſmodi Phænomena morbis affigant, qualia, niſi in ipſorum cerebro, locum nunquam habuerunt, debebant autem in conſpectum venire, ſi Hypotheſis, quam ipſi pro conceſſa ac rata habent, conſtaret veritas. Adde quòd ſiquando ſymptoma aliquod, quod cum dicta Hypotheſi appoſitè quadret, revera morbo competat, cujus typum delineaturi ſunt, tum illud ſupra modum evehunt, ac planè reddunt ἐκ μυὸς ἐλέφαντα, quaſi in hoc ſcilicet totius negotii cardo verteretur: ſin Hypotheſi minùs congruat, aut prorſus ſilentio, aut levi ſaltem pede tranſmittere conſueverunt, niſi fortè beneficio ſubtilitatis alicujus Philoſophicæ in ordinem cogi, ac quoquo modo accommodari poſſit.

Expedit autem tertiò, ut in deſcribendo aliquo morbo peculiaria & *perpetua Phænomena* ſeorſim ab *accidentalibus* & adventitiis (qualia ſunt, quæ non tantùm ob ægrotantium temperiem & ætatem, ſed etiam ob rationem medendi diverſam variè ſe habent) enarrentur. Nam ſæpè accidit, ut facies morbi variet pro vario medicandi Proceſſu, ac nonnulla ſymptomata non tam morbo quàm Medico debentur; adeò ut eodem morbo laborantes, ſed varià methodo tractatos; varia etiam ſymptomata exerceant. Unde niſi cautela adhibeatur, neceſſe eſt, ut admodum vagum & incertum ſit circa morborum ſymptomata judicium. Prætereo, quòd *Caſus oppidò rari* ad morborum Hiſtoriam propriè non pertineant; quemadmodum & in deſcriptione *Salviæ*, v. g. Erucarum morſus inter ſigna diſcriminantia iſtius plantæ neutiquam recenſentur.

Denique, *Anni tempeſtates*, quæ ſcilicet cuivis morborum generi potiſſimum faveant, diligenter obſervandæ ſunt. Non inficior nonnullos eſſe omnium horarum; alii tamen, nec pauciores, occulto quodam Naturæ inſtinctu, annorum tempora, non ſecus quàm quædam aves aut plantæ, ſequuntur. Sæpè quidem

ſubiit

subiit mirari hoc morborum quorundam ingenium, satis obvium, à paucis tamen fuisse hactenus observatum, cùm quo sydere stirpes, aut pecudes solemniter procreentur plurimi curiosius adnotârint. Sed quæcunque sit hujus oscitationis causa, pro certo statuo tempestatum, in quibus ægritudines ingruere consueverunt, notitiam multum Medico prodesse, tam ad speciem morbi dignoscendam, quàm ad ipsum morbum extirpandum; atque horum utrumque minus feliciter evénire, ubi istiusmodi observatio negligitur.

Hæc quidem etsi non sola, saltem insigniora sunt, quæ in scribendâ morborum Historia observari convenit. Cujus *Historiæ* utilitas ad Praxim, omnem æstimationem excedit: ac præ qua subtiles Disquisitiones ac argutiolæ, quibus Neotericorum libri ad nauseam ferè inferciuntur, nullo in numero sunt habendæ. Quâ enim aut compendiosiore aut etiam aliâ viâ, vel causæ morbificæ, quibus obviam eundem est, deprehendi, vel indicationes curativæ elici possunt, quàm certâ ac distinctâ peculiarium symptomatum perceptione? Neque enim ulla est circumstantia tam levis aut exigua, quæ suos usus ad utrumque non habeat. Nam ut demus aliquid varietatis à temperamento individuorum, & tractandi ratione proficisci, nihilominus adeò æquabilis ac sibi ubique similis est naturæ ordo in producendis morbis; ut in diversis corporibus eadem plerumque reperiantur ejusdem morbi symptomata; ac illa ipsa, quæ in *Socrate* ægrotantes observata fuerint, etiam generaliter ad *Hominem* quemcunque eodem morbo laborantem transferripossint; non secus ac universales plantarum Notæ ad omnia cujusque speciei individua ritè se diffundunt. Qui v. g. *Violam* accuratè descripserit quoad colorem, saporem, odorem, ac figuram, cæteraque id genus; omnibus ubique terrarum *Violis*, quæ sub ea specie continentur, Historiam illam in plerisque ferè omnibus convenire facilè animadvertet.

Et quidem existimo, nos ob eam potissimùm causam accuratiori morborum Historiâ ad hunc usque diem destitui, quia scil. plerique eos pro confusis inconditisque Naturæ, malè se tuentis & de statu suo dejectæ, effectis tantùm habuere, ac proinde laterem lavare crederetur is, qui justam eorundem enarrationem moliretur.

Sed ut ad rem revertamur. Non minus certò etiam à minutissimis morbi circumstantiis Indicationes curativas possit Medicus desumere, quàm ab jisdem sumpsit Diagnostica. Atque adeo non semel mihi in mentem subjit, quòd si morbi cujuslibet Historiam diligenter perspectam haberem, par malo remedium nunquam non scirem adferre, variis ejusdem Phænomenis viam, quâ mihi

 ince-

incedendum foret, haud dubiam præmonſtrantibus; Quæ quidem Phænomena, ſi inter ſe ſedulo conferantur, manu quaſi ducerent ad Indicationes illas maximè obvias, quæ ex intimo naturæ ſenſu, non verò Phantaſiæ erroribus depromuntur.

Atque his ſanè gradibus, & ut' ita dicam, his adminiculis ad cœlum aſcendit, ad medicinæ nempe faſtigium, Medicorum ille *Romulus*, nunquam ſatis laudatus *Hippocrates*, qui hanc Arti Medicæ inſuper ſtruendæ ſolidam ac inconcuſſam ſubſternens baſin, *viz.*, νόσων φύσεις ἰητροὶ, i. e. *Naturæ morborum medicatrices*, id egit, ut morbi cujuslibet Phænomena aperte traderet: nullâ Hypotheſi adſcitâ, & in partes per vim adactâ: ut in ejus libris *Morbi*, *de Affectionibus*, &c. videre eſt. Regulas etiam quaſdam tradidit ex obſervatione methodi iſtius, quâ utitur natura tâm in morbo provehendo, quàm in eodem amolliendo, natas; cujuſmodi ſunt *Coacæ Prænotiones*, *Aphoriſmi*, & reliqua id genus. Atque in his ferè ſtetit magna illâ Divini ſenis θεωείη, non ab irrito laſcivientis Phantaſiæ conamine deſumpta, ceu vana ægrorum inſomnia, ſed legitimam exhibens Hiſtoriam earum Naturæ operationum, quas in hominum morbis edit. Cùm verò dicta θεωείη nihil eſſet aliud: quàm exquiſita naturæ deſcriptio, par erat omninò, ut in praxi eò tantùm collimaret, ut eidem laboranti, quibus poſſet modis ſubvenire contenderet; unde etiam non aliam Arti demandat provinciam, quàm ut deficienti naturæ ſuccurrat, effrænem coerceat & in ordinem redigat; utrumque verò hoc, tum paſſu illo, tum etiam methodo, quibus natura morbum expellere ſatagit atque amovere: Animadverterat nempe ſagaciſſimus Vir, quod ſola Naturæ ὡς νόσους κρίνει, καὶ ἰᾶται τὰ πάνθ' ἁπλῶς, Atque hæc omnia peragit Natura pauciſſimis ſimpliciſſimiſque adjuta remediorum formulis, alicubi etiam prorſus nullis.

Altera ab hac Methodus, quâ Ars medendi, ſi quid ego judico, poſſit ulterius provehi, in eo potiſſimùm cardine vertitur; ut certa aliqua, & *conſummata* undique ac *fixa Methodus medendi* in publica commoda tradatur, eam intelligo, quæ ſatis magno Experimentorum numero corroborata ſuffultaque, huic vel illi morbo devincendo ſuppar invenitur. Neque enim ſatis eſſe arbitror, ut ſucceſſus particulares, ſive Methodi cujuslibet, ſive etiam Remedii, ſcriptis prodantur, ſi neque illa univerſaliter atque in omnibus ſcopum attingere deprehendatur, (poſitis ſaltem his vel illis circumſtantiis.) Contendo verò ego nos æque certò ſcire debere, hunc illumve morbum expugnatum iri, ſi huic aut alteri intentioni ſatisfecerimus, ac certò jam ſcimus, nos hoc aliove remedii genere huic aut alteri intentioni ſatisfacere poſſe: quod quidem licèt non ſemper & ubique, frequentiſſimè ta-

tamen, καὶ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ votis respondet exhibentium, ita *sennæ foliis* v. gr. alvum subducimus, *Papavere* invitamus somnum. Non is sum, qui negem, debere Medicum animum diligenter advertere ad particularia, tum Methodi, tum Remedii eventa, quibus est usus in morborum curatione, & in usus suos reponere, tam ad sublevandam memoriam, quàm ut ansas inde arripiat, quibus paulatim peritior evadat Medicus, tandemque post diutina, & repetita sæpius experimenta, Methodum sibi figat firmetque, à qua in hujus aut illius morbi curatione ne hilum sibi recedendum putet. Observationes autem particulares in lucem dare, non ita magnam, me judice, adfert utilitatem. Nam si id tantùm agit *Observator*, ut nos doceat hunc morbum semel, vel etiam sæpius huic remedio cessisse, quid mihi, obsecro, profuerit, si infinitæ ferè medicamentorum decantatissimorum copiæ, quà jamdiu obruimur, adhuc aliud mihi hactenus inauditum accrescat? Quòd si repudiatis cæteris omnibus remediorum formulis, huic me unicè addixero, annon innumeris ferè experimentis probanda mihi venit ejus vis, innumeræ etiam circumstantiæ trutinandæ, tum ægrum, tum ipsam Methodum spectantes, antequam ex observatione solitaria fructum aliquem queam decerpere? Si Observatori nunquam non responderit Medicamentum, quare in particularibus versatur, nisi aut sibi diffidat ipse, aut minutatim potius quàm insolido imposuisse orbi videri præoptet? Quàm verò in proclivi sit densissima hujus generis volumina conscribere, nemo vel mediocriter in praxi versatus ignorat; uti nec econtra quàm sit illud difficile, perfectam & confirmatam undique Medendi Methodum in quovis morbo condere ac stabilire. Si vel unus tantùm per singula mundi sæcula hoc modo unicum tractaverit morbum, Medendi Ars (quæ Medicorum est provincia) à multis retrò annis ad ἀκμὴν pervenisset, omnibus absoluta numeris, saltem in quantum fert mortalium sors. Quæ verò fundi nostri est calamitas, jamdiu ab antiquissimo & peritissimo duce *Hippocrate*, & prisca Medendi Methodo, causarum conjunctarum (utpote quæ certò se prodant) cognitioni superstructé, descivimus; unde est, ut quæ hodiè exercetur, à Logodædalis conficta, confabulandi magis sit Ars, quàm Medendi. Sed ne hanc ego dicam temerè impegisse videar, fas mihi sit è via parumper deflectere, quo scilicet evincam Causas illas remotiores, in quibus assignandis & in lucem extrahendis hominum Curiosorum & περιεργῶν vanæ speculationes unicè desudant triumphantque, prorsus esse ἀνεξιχνιάστους ac inscrutabiles; solas verò proximas & conjunctas à nobis posse cognosci, atque ab his solis Indicationes curativas esse mutuandas.

Obſervandum eſt itaque, quod ſi Humores vel diutiùs, quàm par eſt, in corpore fuerint retenti, (quia ſc. Natura eoſdem concoquere nequeat, ac deinceps expellere;) vel ab hac aut illa aëris Conſtitutione labem morbificam contraxerint; vel denique contagio aliquo venenato infecti in ejuſdem caſtra tranſierint; his inquam modis & his ſimilibus, dicti Humores in formam ſubſtantialem, ſeu *ſpeciem* exaltantur, quæ his aliiſve Affectibus cum propria Eſſentia convenientibus ſe prodit; quæ quidem ſymptomata, licet minus cautis videantur oriri, vel à natura partis, quam humor obſedit, vel à natura humoris ipſius, antequam hanc induerat ſpeciem, nihilominus reverà Affectus ſunt ab eſſentia dictæ ſpeciei in hunc gradum recens evectæ, pendentes. Adeò ut quilibet *morbus ſpecificus* Affectio ſit ab hac vel illa ſpecifica Exaltatione; vel ſpecificatione ſucci cujuſdam in corpore animato ortum ducens. Sub hoc genere poteſt comprehendi maxima pars morborum, qui certum aliquem typum ac formam agnoſcunt. Et profectò haud minus ſe Natura methodo aſtringit in his tum producendis, tum maturandis, quàm in *Plantis*, ſive etiam *Animalibus*. Quinimò ut cui libet ſive Plantæ, ſive Animali proprii quidam ac peculiares Affectus competunt, ita ſe res habet in qualibet ſucci cujuſcunque Exaltatione, ubi ſemel in *ſpeciem* proruperit. Exemplum hujus rei ſatis luculentum quotidiè nobis ingerunt, & ob oculos ponunt variæ iſtæ Excreſcentiarum ſpecies, quas Arbores, Fruticeſque emittunt, vel ob ſucci Nutritii perverſionem & depravationem vel alias ob cauſas, in forma ſcil. *Muſci*, *Viſci Fungorum*, aliorumque id genus: quæ omnia *Eſſentiæ* ſunt ſive *Species*, à parente, ſeu Frutice, diverſæ planè atque diſtinctæ. Et ſanè qui ſeriò atque ad amuſſim penſitaverit φαινόμενα illa, quæ Febrem v. g. *Quartanam* comitantur; Quod viz. ferè ſemper ſub Autumno ingreditur; quòd certum ordinem ac typum ubique ſervat, revolutiones periodicas quarto quoque die non minus certò repetens, quam ſuas repetit Horologium, ſive aliud quoddam ejuſmodi ἀυτόματον, (niſi ab accedente aliquo extrinſecùs adveniente hic ordo perturbetur;) quod cum rigore ac notabili frigoris ſenſu aggreditur, quem excipit caloris perceptio non minus ſenſibilis, quæ tandem in ſudore effuſiſſimo terminatur; quod denique morbus hic, quemcunque demum invaſerit, vix ante *Vernum Æquinoctium* abigi poterit & fugari; Qui hæc, inquam, omnia penſiculatiùs trutinaverit, haud minus firmis rationibus inducetur, ut credat, morbum hunc *ſpeciem* eſſe, quàm ſunt illæ, ob quas credit Plantam eſſe ſpeciem, quæ parem ſemper ad normam è terra naſcitur, floret, interitque, atque in reliquis afficitur pro ratione Eſſentiæ ſuæ; neque facilè comprehendi

di poteſt, quî fiat ut hic *morbus* oriatur à combinatione ſive principiorum, ſive qualitatum evidentium, cum *planta* ſubſtantia ac ſpecies diſtincta in rerum natura ubique agnoſcatur. Illud interim non diffitemur, quod cùm ſpecies ſive Animalium ſive Plantarum ſingulæ (demptis perpaucis) per ſe ſubſiſtant, iſtæ Morborum Species ab jis dependent humoribus, à quibus generantur.

Tametſi verò ex jam dictis conſtare videatur morborum plerorumque cauſas inſcrutabiles prorſus eſſe, ac ἀνενδιαγήτους, non tamen inſolubilis erit illa queſtio, *Quo pacto ſanari poſſint?* cum de cauſis remotioribus nos hoc aſſeramus: Nemo autem eſt qui non videat curioſos iſtos ſpeculatores in cauſis primo primis ferè ac remotiſſimis indagandis, ac in lucem (ut ut invitâ Minerva ac reclamante naturæ ſenſu) protrahendis operam perdere; immediatas verò & conjunctas, ceu ante pedes jacentes, contemnere, quæ tamen neceſſario debent cognoſci, & poſſunt etiam, ſine ſiculneis hujuſmodi adminiculis; cùm Intellectui ſe apertè ſiſtant, vel proprii ſenſûs teſtimonio, vel Anatomicis Obſervationibus ab aliis jampridem factis, retectæ. Atque ut impoſſibile planè eſt, ut Medicus eas morbi cauſas ediſcat, quæ nullum prorſus cum ſenſibus habent commercium, ita neque eſt neceſſe; abundè enim ſufficit, ut ſciat, unde immediatè oritur malum, taleſque ejus effectus atque ſymptomata, ut inter hunc aliumque morbum hujus non diſſimilem, valeat accurate diſtinguere. In *Pleuritide* v. g. diu atque incaſſum ſe fatigabit aliquis, nec tamen mente aſſequetur pravam illam Craſin & malè cohærentem ſanguinis texturam, quæ prima eſt hujuſce mali origo; qui verò cauſam à quâ immediatè producitur rectè cognoverit, & ab aliis morbis quibuſcunque ritè valeat diſtinguere, non minus certò curandi ſcopum attinget, etiam neglectâ otioſâ iſtâ atque inutili remotiſſimarum cauſarum indagine. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ

Jam verò ſi quærat aliquis, an ad prædicta in Arte Medica deſiderata duo (Veram ſcilicet & Genuinam morborum *Hiſtoriam*, & certam confirmatamque medendi *Methodum*) non etiam accedat tertium illud, Remediorum nempe *Specificorum Inventio*? Aſſentientem me habet & in vota feſtinantem. Etſi enim *Methodus* ſanandis morbis *Acutis* maximè accommoda mihi videatur, quibus exigendis cùm natura ipſa certum aliquem Evacuationis modum ſtatuerit, quæ cunque Methodus eidem fert opem in promovenda dicta evacuatione, ad morbi ſanationem neceſſariò conferet; optandum eſt tamen, ut beneficio *ſpecificorum*, ſi quæ talia inveniri poſſint, æger rectiori ſemitâ ad ſanitatem proficeret; & (quod majoris etiam momenti eſt) extra aleam malorum, quæ ſequuntur aberrationes iſtas, in quas ſæpe invita dilabitur Natura in morbi cauſa

expellenda, (ut ut potenter & doctè ei ab assistente Medico subveniatur) possit collocari.

Verùm quod ad morbos *Chronicos* sanandos attinet, licet nihil dubitem ulteriores in medendo profectus vel à sola *Methodo* posse sperari, quàm qui in primam statim cogitationem incurrant, attamen plus satis constat deficere illam in curatione *Chronicorum* aliquot vel maximè spectabilium inter eos, quibus homines urgentur; quod ob hanc præcipuè causam usu venit, quia scil. Natura in hujusce modi morbis non habet Methodum tàm efficacem, quâ materiam morbificam foras ejiciat, [perinde atque in *Acutis*) quô nos cum eadem manus jungentes & ad debitum dirigentes scopum, morbum debellare valeamus. In vincendo itaque morbo Chronico is demum jure meritoque Medici nomen sibi vindicat, penes quem est ejusmodi medicamentum, quo morbi *Species* possit destrui: non qui id tantum agit, ut è primis secundisque qualitatibus nova aliqua introducatur, & prioris subeat vicem; quod fieri quidem potest non extinctâ specie: v. gr. calefieri potest, aut refrigerari, qui *Podagrâ* laborat, vigente adhuc podagrâ, necdum victâ. Methodo hâc, quâ diversæ tantum qualitates introducuntur, morbi *Specifici* non magis immediatè perdomantur, quàm ignis gladio extinguitur. Quid enim, obsecro, Calor, Frigus, Humidum, Siccumvè, aut è secundis qualitatibus, quæ ab his pendent, alia aliqua ad morbi curationem faciet, cujus essentia in harum nullâ consistit? Si quis hic objecerit, satis magnum Remediorum Specificorum numerum jamdiu nobis innotescere, hunc ipsum, si examen paulò diligentiùs instituerit, in oppositas partes facilè transiturum confido, cùm unicus *Cortex Peruvianus* à suis militet. Toto enim cœlo distant, quæ huic allive *Indicationi Curativæ* specificè respondent Medicamenta, cui si faciamus satis morbus abigitur; & quæ hunc aliumve *Morbum* specifice atque immediatè persanant, nullo habito respectu ad hanc aut illam Intentionem sive Indicationem Curativam: v. gr. *Mercurius* & *Sarsæ radices* in *Lue Venerea specifica* vulgò audiunt, quæ tamen pro specificis propriis atque immediatis non debent haberi, nisi argumentis satis validis atque irrefragabilibus possit confici, *Mercurium* nullâ excitata *Salivatione*, *Sarsæ* verò radices sine motis *sudoribus* tàm egregiam operam præstitisse. Ad hanc pariter normam alii etiam morbi allis Evacuationibus curantur, cùm tamen quæ adhibentur Remedia, non magis propriè competant immediatæ curationi istorum morborum, qui eis sanantur Evacuationibus, quibus faciendis ejusmodi remedia maximè propriè designantur, quàm *Scalpellum Phlebotomum Pleuritidi*; quod tamen nemo opinor *Specificum* hujus morbi facilè appellaverit.

Specifica

Specifica proinde medicamenta, si ad hanc mentem nostram restringantur, non cuivis homini contingunt, neque elicitantibus temerè se ingerunt; nullus tamen dubito, quin in exundanti illa plenitudine, quâ turget Natura diffluitque, ita jubente *Optimo Maximo* rerum omnium *Conditore*, in singulorum prælervationem prospectum pariter sit de curatione malorum magis insignium, quæ homines vexant; idque pro foribus, & in patrio cujuslibet solo. Et sanè dolendum est *Plantarum* naturam nondum magis exploratò nobis innotescere; quæ mihi videntur reliquæ omni, qua patet, Materiæ Medicæ palmam præripere, & quæ inveniendorum, de quibus jam diximus, Remediorum uberrimam nobis spem faciunt: Cùm *Animalium* partes cum humano corpore nimiùm convenire videantur, nimiùm dissidere *Mineralia*; unde est quod Mineralia Indicationibus potentiùs respondere, quàm vel plantas vel ex animalibus desumpta, lubens fateor; at non specificè tamen mederi, eo quo diximus sensu ac modo. Me quod spectat, non hic aliud mihi sumo præter laborem ac tædium hæc atque hujusmodi diu multumque jam per aliquot annos animo versandi, necdum mihi tam feliciter cessit, ut cum prudenti fiducia, quæ de jis cogitaverim, in publicum dare ausim.

Quantumlibet verò mihi præ cæteris arrideant *Plantæ*, non tamen is sum, qui eximia illa Medicamenta ex alia tribu desumpta, quæ vel hoc, vel alio aliquo sæculo hominum industriâ atque labore Intentionibus aptè respondentia reperta fuére, contemnam. Inter quæ primum sibi locum vendicant, quæ nomine *Guttarum Doctoris Godard* insigniuntur, & à Viro *Doctissimo* & *Solertissimo* tàm Methodi quàm Remediorum indagatore, *Domino Doctore Goodall* præparantur; quorum vim ac efficaciam in attingendo, ad quem vulgò diriguntur, scopo, cæteris quibusque *Spiritibus Volatilibus* jure prætero.

Coronidis loco, cùm in hac introductione fuerim pollicitus, me daturum specimen eorum, quæ in hujus Artis augmentum ut cunque conatus sum; fidem liberare jam tentabo in tradendis Historiâ Curationeque *Acutorum Morborum*. Qua in re licet satis advertam, me supinis atque ignorantibus fructum omnem eorum, quos per meliores vitæ annos corpore animoque exant lavi laborum, expositurum, malum tamen pessimi hujus sæculi genium satis habeo perspectum, ut non aliam ex hac semente, quàm convitiorum atque contumeliarum messem expectem; Meque famæ meæ longè melius consuluisse, si inanem aliquam atque inutilem speculationem commentatus fueram. Hoc verò mihi perinde est: Mercedem aliunde præstolor. Si quis hîc objiciat alios æquè in hac arte versatos non idem mecum de his rebus sentire; meum non est, quid sentiant alii, disquirere, sed meis observationibus adstruere fidem, quod ut faciam,

faciam, Lectoris patientiam desidero tantùm, non favorem. Res ipsa etenim brevi loquetur, an fideliter & sincero animo hîc egerim, an econtra ad instar sceleratissimi hominis morumque profligatissimorum, homicidam me præstiterim vel in terra defossus. Illam tantùm mihi veniam peto, quòd minus accuratè quàm proposueram morborum Historiam ac Curationem descripsero; cùm non tàm metam figam, quàm animos jis addam, qui feliciore ingenio præditi ad hoc opus posthâc se accingent, quod jam ego imperfectè molior.

Unum adhuc restat; de quo monendus est Lector, mihi in animo non esse, sequentes paginas infinito particularium observationum numero distendere, quibus Methodo ibidem traditæ fidem astruam: Frustra enim & cum tædio Lectoris repeterentur ista singulatim, quæ in summas contraxi. Satis autem habui ad calcem Observationis cujuslibet Generalis (saltem quæ ad annos nuperos spectat) Particularem hîc illic adnectere, quâ Methodi præcedentis medulla contineretur. Hoc interim spondeo, nullam à me Methodum Generalem fuisse evulgatam, quæ experientiâ reiteratâ non est stabilita, atque confirmata.

Sed & spe frustrabitur, qui ingentem Remediorum, seu Formularum sylvam hîc expectaverit, cùm Medici judicio permittatur, ut pro re natâ jis utatur; mihi sufficit innuisse, quibus Indicationibus satisfaciendum est, quo etiam ordine & tempore; Etenim in eo præcipuè stat Medicina Practica, ut genuinas Indicationes expiscari valeamus, non ut remedia excogitemus, quibus illis satisfieri possit; quod qui minus observabant, *Empiricos* armis instruxêre, quibus Medicorum opera imitari queant.

Quòd si quis objecerit, me in aliquibus non tantùm medicamentorum pompæ renunciasse, sed ea insuper remedia proposuisse, quæ ad materiam medicam vix possit referri, adeò sunt simplicia atque inartificiosa; vulgaribus tantùm opinor ac plebeiis animis hac in re displicebo. Norunt enim Sapientes, Bona ea esse omnia, quæ sunt utilia, atque *Hippocratem*, dum Follium usum in *Ileo* sanando proponit, & in *Cancro* nihil prorsus agendum precipit, (atque ejusmodi alia, quæ in singulis ferè pagellis scripta leguntur,) non minus benè de re medica meruisse, quàm si pomposius remediorum formulis omnia impleviset.

In animo erat & *Chronicorum* morborum *Historiam* tradere, eorum saltem, quos frequentissimè tractaveram, sed cùm operosius id sit, cumque harum, quas jam edo, Lucubrationum fortunam experiri primùm libuerit, impræsentiarum supersedendum mihi esse duxi.

AUTHO-

AUTHORI,
IN TRACTATUM EJUS
DE
FEBRIBUS.

Febriles æstus, victumque ardoribus orbem
Flevit, non tantis par Medicina malis.
Nam post mille artes, Medicæ tentamina curæ,
Ardet adhuc Febris, nec velit arte regi.
Præda sumus flammis; solum speramus ab igne,
Vt restet paucus, quem capit urna, cinis.
Dum quærit Medicus Febris causamque modumque
Flammarum & tenebras, & sine luce faces;
Quas tractat patitur flammas, & Febre calescens,
Corruit ipse suis victima rapta focis.
Qui tardos potuit morbos, artusque trementes
Sistere, Febrili se videt igne rapi.
Sic faber exesos fulsit tibicine muros,
Dum trahit antiquas lenta ruina domos.
Sed si flamma vorax miseras incenderit ædes,
Vnica flagrantes tunc sepelire salus.
Fit fuga, tectonicas nemo tunc invocat artes,
Cùm perit artificis non minus usta domus.
Se tandem Sydenham *Febrisque Scholæque furori*
Opponens, Morbi quærit, & Artis opem.
Non temerè incusat tectæ putredinis ignes;
Nec fictus, Febres qui fovet, humor erit.

Non bilem ille movet, nulla hic pituita: Salutis
Quæspes, si fallax ardeat intus aqua?
Nec doctas magno rixas ostentat hiatu,
Queis ipsis major Febribus ardor inest.
Innocuas placidè corpus jubet urere flammas,
Et justo rapidos temperat igne focos.
Quid Febrim extinguat, varius quid postulat usus,
Solari ægrotos quâ potes arte, docet.
Hactenus ipsa suum tuitur Natura calorem,
Dum sæpè incerto, quo calet, igne perit:
Dum reparat tacitos malè provida sanguinis ignes,
Præluit busto, fit calor iste rogus.
Iam secura suas foveant præcordia flammas,
Quem natura negat, dat Medicina modum.
Nec solùm faciles compescit sanguinis æstus,
Dum dubia est inter spemque metumque salus;
Sed fatale malum domuit, quodque astra malignum
Credimus, iratam vel genuisse Stygem.
Extorsit Lachesi *cultros, Pestique venenum*
Abstulit, & tantos non sinit esse metus.
Quis tandem arte novâ domitam mitescere Pestem
Credat, & antiquas ponere posse minas?
Post tot mille neces, cumulataque funera busto,
Victa jacet parvo vulnere dira Lues.
Ætheriæ quanquam spargant contagia flammæ,
Quicquid inest istis ignibus, ignis erit.
Delapsæ cœlo flammæ licet acrius urant,
Has gelida extingui non nisi morte putas?
Tu meliora paras victrix Medicina; tuusque,
Pestis quæ superat cuncta, triumphus erit.
Vive liber, victis Febribus ignibus; unus
Te simul & mundum qui manet, ignis erit.

J. Loxc A. M. Ex Æde
Christi Oxon.

THOMÆ

OBSERVATIONVM MEDICARVM CIRCA MORBORVM ACVTORVM

Hiſtoriam & Curationem

SECTIO PRIMA.

CAPUT I.

De Morbis Acutis in genere.

DICTAT ratio, ſi quid ego hic judico, Morbum, quantumlibet ejus Cauſæ humano corpori adverſentur, nihil eſſe aliud quàm Naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem omni ope molientis. Cùm enim hominum genus, ita volente ſupremo rerum omnium arbitro ac moderatore *Deo*, variis impreſſionibus, forinſecus advenientibus, excipiendis aptum natum ſit, fieri non poteſt quin idem variis etiam malis fuerit obnoxium: quæ quidem partim ab iſtis aeris particulis naſcuntur, quæ, cum corporis humoribus malè convenientes in idem ſe inſinuaverint, nudo ſanguini permiſtæ, corpus omne morbifico afflant contagio; partim à variis fermentationum generibus, vel etiam putrefactionibus humorum, qui in corpore ultra juſtum tempus ideo ſunt commorati, quia ſcilicet jiſdem digerendis primùm, dein excernendis, vel ob nimiam eorundem molem vel qualitatem incongruam, ſuppar idem non fuit. Hiſce rerum circumſtantiis ita intimè eſſentiæ humanæ intertextis complicatiſque, ut nemo quiſquam ſe ab aliis in ſolidum queat liberare, Natura

tura de ejusmodi methodo, ac symptomatum concatenatione sibi prospexit quibus materiam peccantem atque alienam, quæ totius Fabricæ compagem aliter solveret, è suis finibus possit excludere. Quamlibet autem frequentiùs longè quàm fierit cernimus, illum, ad quem remediis hisce ingratis collimat, sanitatis scopum attingeret, nisi ab ignaris a recto quem tenet cursu detorqueretur, verumtamen cum sibi relicta vel nimio opere satagendo, vel etiam sibi deficiendo hominem letho dat, ferreæ illi atque insolubili mortalitatis legi obsequitur cui debemus nos nostraque. Recte enim *Boethius*, atque ex rerum sensu.

Constat æternâ positumque lege est,
Constet ut genitum nihil.

Sed ut instantiâ unâ alterave jam dictorum veritatem asseramus, Ipsa *Pestis* quid, obsecro, aliud est quàm Symptomatum complicatio, quibus utitur natura ad inspiratas unà cum aere particulas μιασματωδεις per emunctoria, Apostematum specie vel aliarum eruptionum operâ, excuti iudas? Qui *Arthritis* nisi Naturæ providentia ad senum sanguinem, atque expurgandum corporis profundum, ut cum *Hippocrate* loquamur? Potest & idem affirmari de plerisque aliis morbis perfectè formatis.

Jam verò nunc hoc munere celerius fungitur natura, nunc verò tardiùs, pro variâ methodo quâ causam morbificam deturbare nititur. Nam cùm *Febris* opem deposcit, quâ adjutrice particulas inquinatas à sanguine divellat, divulsasque progressu adhuc ulteriori per Sudores, Diarrhœam, Eruptiones, aut aliam istiusmodi evacuationem expellat; cumque in sanguinis massâ corpore pertenui ac fluido res omnis peragatur, idque motu partium violentiore, necesse omnino est, non solùm ut subitò vel in salutem ægri vel in mortem determinetur (prout sc. Natura vel materiam morbificam Criticè norit solvere, vel ab eadem oppressa fatiscat) sed etiam ut pejora vehementioraque symptomata se ubique comites adjungant. Atque hujusmodi plane sunt morbi isti quos *Acutos* appellamus, qui velociter sc. atque cum impetu & periculo ad statum moventur. Quamvis, si minus accuratè, haud tamen minus veré loquamur, isti etiam morbi pro Acutis sint habendi, qui, licèt respectu Paroxysmorum, si omnes simul sumantur, tardiùs moveant, respectu tamen Paroxysmi cujuslibet particularis, citò atque etiam Criticè ad finem perveniunt, quales sunt Febres intermittentes omnes.

Ubi verò continens morbi materia ejus est indolis ut febrem in partes suas pertrahere non valeat ad dictæ materiæ separationem universalem; aut cùm hujusmodi materia parti alicui affigitur quæ eidem explodendæ prorsus est impar, sive ob propriam conformationem (uti se res habet in materia Morbificâ *Paralyticorum* nervis impactâ, in materia item suppurata in cavitate Thoracis *Empyricorum*) vel ob defectum caloris naturalis & spirituum, [ut cùm Pituita in pulmones decidit vel Senio vel Tussi diuturniore labefactatos] vel denique ob continuum materiæ novæ affluxum, quâ sanguis vitiatus & ad ejusdem eliminationem unicè dispositus, partem obruit gravatque

que : In his, inquam, casibus, vel tardè admodum ad coctionem pervenit materia, vel non omnino ; adeoque morbi ab hujusmodi materia inconcoctili provenientes *Chronici* & nuncupantur & sunt : A duobus his itaque principiis sibi invicem contrariis, de quibus modò egimus, morbi alii *Acuti*, alii verò *Chronici* exurgunt.

Acutos quod spectat, quos impræsentiarum tractare mihi est animus, eorum alii à secretâ atque inexplicabili Aeris alteratione hominum corpora inficientis, gignuntur, neque à peculiari sanguinis & humorum crasi omnino dependent, nisi quatenus occulta aëris influentia dictis corporibus eandem impressérit. Hi durante aliquâ illâ aëris constitutione nec ultrâ pergunt lacessere, neque alio ullo tempore invadunt. *Epidemici* hi dicti sunt.

Acutorum alii ab hâc vel illâ particulari corporum particularium ἀνωμαλίᾳ oriuntur, qui cùm à causa magis generali non producantur, ideo neque plures simul corripiunt. Hi insuper Acuti quibus libet annis & quolibet anni tempore indifferenter invadunt ; exceptis tamen jis quæ dicemus, ubi de genere hoc peculiariter agetur. Hos ego Acutos *Intercurrentes* sive *Sporadicos* appello, quia nullo non tempore contingunt quo Epidemici grassantur. Ab *Epidemicis* primum exordium mihi sumam, generalem eorundem historiam ante omnia proponens.

CAPUT II.

De Morbis Epidemicis.

NIhil quicquam, opinor, animum universæ quâ patet Medicinæ pomœria perlustrantem tantâ admiratione perceller, quàm discolor illa & sui plane dissimilis Morborum Epidemicorum facies, non tam quâ varias ejusdem anni tempestates, quàm quâ discrepantes diversorum ab invicem annorum *Constitutiones* referunt, ab jisque dependent. Qu tam aperta prædictorum morborum diversitas tum propriis ac sibi peculiaribus symptomatis, tum etiam medendi ratione ; quam hi ab illis disparem prorsus sibi vendicant, satis illucescit. Ex quibus constat, Morbos hosce, ut ut externâ quadantenus specie & symptomatis aliquot utrisque pariter supervenientibus convenire paulò incautioribus videantur, re tamen ipsâ, si bene adverteris animum, alienæ admodum esse indolis, & distare ut *Æra Lupinis*. Haud equidem satis scio, an diligentius examen (quali ritè instituendo vix unius hominis brevis ætas par esse videatur) nos edoceret, Epidemicorum alios continuâ quadam serie, ceu facto circulo, alias semper excipere ; an verò omnes indiscriminatim nulloque servato ordine, pro occulta Aëris diathesi & inexplicabili temporum ratione, mortales incessere. Hoc saltem pro comperto habeo ex multiplici accuratissimarum observationum fide, prædictas morborum species, præsertim Febres continuas ita toto, quod ajunt ; cœlo differre, ut quâ Methodo currente anno ægrotos liberaveris, eâdem ipsâ an-

no jam vertente forsitan è medio tolles: quodque, ubi semel in genuinam Medendi rationem, quam hæc vel illa Febris species sibi vendicat, auspicato inciderim, ad eundem scopum collimans (favente, ut fit, optimo Numine) metam quasi semper attingam, respectu ad temperamentum, ætatem & reliqua ejusmodi usquequaque habito, donec extinctâ illâ specie novoque glisscente malo, anceps rursum hæreo, quâ mihi viâ insistendum ut ægris subveniam, ac proinde nisi ingenti adhibitâ cautelâ intentisque omnibus animi nervis, vix ac ne vix quidem possum efficere ne unus aut alter eorum, qui se primi meæ curæ commiserint, vitâ periclitetur, donec investigato jugiter tandemque perspecto morbi genio, ad eundem perdomandum recto pede & intrepidus denuo procedam.

Quamvis autem diversas diversorum annorum habitudines, quoad manifestas aeris qualitates, maximâ quâ potui diligentia notaverim, ut vel exinde causas tantæ Epidemicorum vicissitudinis expiscarer, me tamen ne hilum quidem hactenus promoveri sentio; quippe qui animadverto annos quoad manifestam aeris temperiem sibi planè consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, & viceversâ. Ita enim se res habet. Variæ sunt nempe annorum *Constitutiones*; quæ neque calori, neque frigori, non sicco humidove ortum suum debent, sed ab occultâ potius & inexplicabili quadam alteratione in ipsis terræ visceribus pendent, unde aër ejusmodi effluviis contaminatur, quæ humana corpora huic aut illi morbo addicunt determinantque, stante scilicet præfatæ Constitutionis prædominio, quæ exacto demum aliquot annorum curriculo facessit atque alteri locum cedit. Unaquæque harum Constitutionum generalium propriâ ac peculiari sibi Febris specie funestatur, quæ extra illam nusquam comparet, cujusmodi Febres idcirco *Stationariæ* nobis audiunt.

Adhæc sunt & particulares quædam ejusdem anni, ut ita, dicam, Crases, in quibus licèt secundum manifestas aëris qualitates, ejusmodi Febres quæ generaliorem anni Constitutionem sequuntur magis minusve Epidemicè grassentur, vel serius ocyusve ingruant; præ cæteris tamen ejusmodi Febres, quæ omnibus in universum annis competunt (quas ideò *Intercurrentes* voco) ab hoc illove manifesto aëris temperamento ortum ducunt; verbi gratiâ, *Pleuritis*, *Angina*, & reliquæ ejusdem farinæ, quæ à subito calore, intensius ac diuturnum frigus statim excipiente, plerumque invadunt. Potest itaque fieri, ut sensibiles aëris qualitates ad illas quidem Febres producendas faciant, quæ in qualibet constitutione se exerunt; non verò ad istas alias quæ certæ alicui constitutioni quasi propriæ ac peculiares existunt: Fatendum tamen est; prædictas aëris qualitates corpora nostra ad hujus illiusve morbi Epidemici generationem magis minusve disponere; quod & de quocunque errore circa *sex res non naturales* dictum volo.

Animadvertendum autem est, Epidemicorum alios in hoc aut illo anno regulariter & eodem semper modo se habere, jisdem planè phænomenis & conformi symptomatum agmine in plerisque ferè omnibus quos adoriuntur, stipatos

patos, atque eâdem prorsus viâ sibi fugam & exitum parantes. Ex his itaque tanquam in suo genere perfectissimis, vera & certa Morborum Epidemicorum Historia ediscenda est atque tradenda.

Sunt vero alii aliorum annorum Morbi, qui licet Epidemicorum insigniantur nomine, enormes tamen sunt & perquam *anomali*, utpote qui nulli se Typo patiuntur astringi, & revera mali sunt moris, tum quoad incertam symptomatum varietatem certissimamque dissimilitudinem, tum quoad methodum quâ se ipsi expediunt & amoliuntur. Hæc tanta illorum disparitas exinde oritur, quòd scilicet quælibet Constitutio morbos parit; à morbis ejusdem generis, qui alio tempore grassabantur, multùm abludentes, quòd non tantùm in Febribus locum habet, sed in plerisque aliis Epidemicis.

Neque hic finitur *Oreſtes*: restat enim & aliud paulò subtilioris Θεωρίας luxuriantis, si fas est dicere, naturæ lusus; quòd nempe idem morbus in ipsissima anni constitutione varia sæpe & dissimili se facie ostentat, quod ad tempora attinet Principii, Statûs, & Declinationis; quod quidem tanti potest esse momenti; ut pro ejus arbitrio Curativæ Indicationes ponendæ sumendæve fuerint.

Porro observandum est, Epidemicos quoscunque in duos omnino ordines dispesci; *Vernos* dico, & *Autumnales*: & quamvis fieri potest, ut alia qualibet anni tempestate subnascantur, ad illam tamen sunt relegandi, Ver Autumnusve fuerit, quam proximè contingunt: Accidit enim nonnunquam, aëris temperiem cum Epidemicorum aliquo in tantum conspirare, ut, eo fautore, ante tempus sibi debitum miseros invadat, & è contra est, ubi tam parùm illis inter se convenit, ut corpus præ-dispositum non nisi aliquandiu post aggrediatur. Cùm itaque *Ver* dico vel *Autumnum*, non de ipso statim *Æquinoctio*, sive *Verno* sive *Autumnali*, ad amussim loquor.

Epidemicorum, qui *Verno* tempore grassantur, alii maturè admodum se ingerunt, mense scilicet *Januario*, & exinde pedetentim increbescentes circa *Æquinoctium Vernale* ad Statum perveniunt, à quo sensim imminuti circa *Solstitium Æstivum* evanescunt, nisi quod pauciſſimi postea forsitan hunc illumve perant. In horum numero sunt *Morbilli*; ut & *Febres Tertianæ Vernales*, quæ, licèt seriùs aliquanto emergant, *Februario* nempe, tamen appetentes *Æstivo Solstitio* pariter se subducunt. At verò alii *Vere* orti, & de die in diem invalescentes non nisi sub *Æquinoctium Autumnale* statum indipiscuntur, quo præterlapso paulatim cedentes tandem adventante brumali frigore vertuntur in fugam; hujusmodi sunt *Pestis* ipsa, & *Variolæ*, istis annis quibus eorum utervis aliorum morborum prædominio fuerit potitus.

[*Cholera Morbus* ex Epidemicorum Autumnalium familia mens. *Augusto* exorsus, intra angustos unius mensis cancellos conclusus percurrit sua tempora, Sunt tamen alii qui eadem tempestate prognati usque ad hyemem excurrunt, v. gr. *Dysenteria, Febres Quartanæ*, & *Tertianæ Autumnales*, Hi omnes utut eorum aliquos quos semel invaserint longiori vel breviori tempore affligant, plerumque

que tamen intra duorum menſium ſpatium & nomen & Epidemicorum naturam prorſus amittunt.

Febres autem ſpeciatim quod attinet, obſervandum eſt, maximam earum partem, quæ *Continuæ* ſunt nulla hucuſque nomina, in quantum à Conſtitutionis generalis Influentia pendent, obtinuiſſe, appellationes autem quibus dignoſcuntur ab inſigni aliqua alteratione ſanguini impreſsâ, vel evidentiori ſymptomate mutuari. Hac ratione *Putridæ* dicuntur, *Malignæ*, *Pethechiales*, *&c.* Quandoquidem verò ſingula fermè conſtitutio præter has quas parturit Febres, ad alium morbum aliquem magis Epidemicum eodem tempore propagandum proclivis eſt celebrioris nominis, cujuſmodi ſunt *Peſtis*, *Variolæ*, *Dyſenteriæ*, *&c.* non ſatis video, cur iſtiuſmodi Febres non potiùs ſortirentur nomina à Conſtitutione, quatenus horum morborum alterutri producendo favet, eodem illo tempore quo comparebant, quàm à qualibet ſanguinis alteratione, vel ſymptomate particulari, quæ diverſæ ſpeciei febribus pari jure poſſunt competere. *Intermittentes* verò nomina ſibi deſumunt ab intervallo Paroxyſmi interjecto, atque hoc quidem charactere ſatis diſcriminantur, ſi variatum etiam anni tempeſtatum quibus contingunt, Veris ſc. & Autumni, habeatur ratio. Licèt nonnunquam earum aliquæ de Intermittentium natura revera participent, nullo charactere admodum viſibili eaſdem prodente. Ut cùm præmaturæ *Iulio* menſe, v. gr. Intermittentes Autumnales ingrediuntur atque increbeſcunt, non ſtatim genuinum Typum indunt, (quod intermittentes Vernis quidem ſolemne eſt) ſed continuas Febres ita per omnia imitantur, ut niſi caſtigatiſſimo utraſque examine trutinaveris, ab invicem diſcriminari non poſſint, at retuſo paulatim Conſtitutionis impetu, & frænata vi, jam in Typum regularem migrant, atque exeunte Autumno, larva abjecta, Intermittentes ſe eſſe, quales ab initio reapſe fuerunt, palam fatentur, ſive Quartanæ illæ fuerint, ſive Tertianæ; quod ſi non diligenter animadverterimus, cum magno ægrorum noſtrorum malo medicantes hallucinabimur, dum hujuſmodi Febres, quæ ex Intermittentium numero ſunt, pro Continuis veris & genuinis habeantur.

Porrò, quod ſedulò advertendum, quum plures aliquot horum morborum eundem fatigent annum, unus eorum aliquis reliquorum prædominio potitur, cæteris in ejus quaſi ditionem redactis, & parciùs id temporis ſævientibus, ita ut illo augeſcente imminuantur hi, eodemque rurſus imminuto, mox recrudeſcant. Atque ita viciſſim mortales laceſſunt, prout anni genius & ſenſibilis aëris temperies huic aut illi magis ſufragantur. Qui verò morbus circa Æquinoctium Autumnale maximopere furit & cumulatiſſimam edit ſtragem, totius anni Conſtitutioni nomen impertit ſuum; quiſquis enim fuerit morborum, qui ea tempeſtate præ cæteris invaluerit, principatum omnium qui iſto anno invadunt obtinuiſſe facilé deprehendetur, cujus ingenio Epidemici, quotquot ſunt, *σύγχρονοι* ſe accommodant, in quantum eorum fert natura; v. gr. cum *Variolæ* eo tempore latiſſimè depopulantur, Febris toto anno ſparſim oberrans ejusdem planè inflammationis eſt particeps, quæ

Variolas

Variolas parit. Uterque nempe Morbus ad eandem ferè normam adoritur, maximaque inter maximè propria utriusque Symptomata intercedit cognatio, (excepta Variolarum eruptione, & reliquis, quæ ab illa pendent) ut ex ingenti illo tum ad spontaneos sudores, tum ad salivam excernendam propensione, in qua utrisque convenit, abundè constat. Pariter, cùm *Dysenteria* dicto tempore præcipuè fuerint grassatæ, Febris, quæ eo anno infestat, earundem indolem non leviter æmulatur, nisi quod illæ causam morbificam per sedes eliminent, & pauca alia exinde nascantur symptomata,) quod tum à consimili utriusque morbi insultu, tum etiam quòd utroque malo correpti Aphthis similibusque invicem symptomatibus admodum sint obnoxii, satis evincitur. Et sanè Dysenteria de quâ agitur, ipsissima illa Febris est; hoc tantùm discrimine, quòd introvertatur & in intestina se exonerans per eandem viam sibi faciat. Notandum autem est, Epidemicorum illum principem, qui sub Æquinoctio Autumnali, ceu rupto aggere torrens, omnia straverat, ingruente hyemis frigore intra suum se alveum condere: cùm exadverso Epidemici inferioris ordinis, qui sub eo merentur, tunc temporis præsertim ingravescant & rerum potiantur, donec dictus anni princeps eorum vires denuò frangat & deleat nomen.

Postremò observandum est, quoties Constitutio aliqua varias Epidemicorum species parit, singulas has species genere ab illis differre, quæ cum idem planè nomen sortiantur, aliâ tamen Constitutione generentur. Quotcunque sint autem Species illæ peculiares, quæ in una eademque Constitutione invadunt, in communi unâ atque generali causa singularum productrice, omnes conveniunt, hâc scilicet aut alia aëris Diathesi peculiari; & ex consequenti quantocunque ab invicem, quoad Typum & Formam specificam, intervallo distent, Constitutio tamen omnibus communis subjectam singularum materiam ad ejusmodi conditionem atque statum effingit formatque, ut præcipua symptomata, quæ ad particularem evacuationis modum nihil attinet, omnibus paria sint; singulis etiam in hoc conspirantibus, ut eodem pariter omnes tempore & intendant sævitiam & remittant. Notandum est insuper, quibus annis variæ illarum species grassantur uno eodemque tempore, eas omnes modo quo primùm agrediuntur, atque invasionis symptomatis consentire.

Hinc itaque cernere est, variam admodum & accuratam naturæ methodum, quam ad morborum generationem adhibet, quam nemo hominum, arbitror, hactenus pro rei dignitate satis observando est assecutus. Atqui ex pauculis hisce omninò conficitur (cùm specificæ Popularium morborum differentiæ, nominatim Febrium, arcanæ annorum constitutioni innitantur) incassum desudare illos, quotquot diversarum Febrium rationes à causa morbifica in humano corpore aggesta deducunt; nam liquidò patet, quemlibet, pancraticè licet valentem, si certa quædam hujus nostræ regionis loca adeat, Febre ibidem grassante intra dies aliquot laboraturum: vix autem credibile sit, *manifestam* aliquam mutationem ab aëre præfati viri humoribus tam brevi impressum iri. Neque minus difficile est, generales regulas Febribus his debel-

landis accommodare & certos aliquos limites figere, quos ultra citraque progredi, aut in jisdem consistere, non liceat. In hac itaque tam spissa rerum caligine, nihil mihi prius est, quàm quando novæ Febres grassari incipiant, cunctari paulisper, & ad magna præsertim remedia non nisi suspenso pede ac tardiùs procedere; diligenter interim illarum ingenium atque morem observare; quibus itidem præsidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, ut quamprimum his repudiatis, illis utamur,

Verbo dicam, Epidemicorum Species omnes juxta Phænomenon suorum varietatem in classes redigere, ac characteres cujusque idiopathicos enucleare, nec non propriam medendi rationem unicuique sigillatim accommodare, ut res est multi otii ac summè ardua, ita etiam cùm nullo certo (aut saltem nondum explorato) annorum ordine emergant, ad justum de jisdem observationum apparatum congerendum fortasse unius Medici ætas non sufficerit. At verò hic labor, ut ut sit improbus, prius est exantlandus, quam nos aliquid memoratur dignum in extricanda tam multifaria horum morborum serie præstitisse jure possimus gloriari.

At verò quibus demum modis rationem reddemus distinctarum specierum *Epidemicorum*, qui non tantùm, quatenus saltem nobis liquet, fortuitò incursant, sed etiam qui uno anno aut certa aliqua annorum serie ejusdem sunt generis, anno alio specie ab aliis alii distinguuntur? Nulla hîc mihi unquam methodus æquè commoda est visa atque illa, quæ per sufficientem annorum numerum protensa, eodem illos ordine describeret, quo se invicem excipiebant & insequebantur. Quod ut jam pro meo modulo efficiam, Historiam & Curationes Epidemicorum, qui ab anno 1661 ad Annum usque 1676 (per 15. videlicet annorum spatium,) depopulabantur, ex accuratissimarum, quas mihi facere licuit, observationum fide orbi erudito tradam. Cùm mihi impossibile planè videatur, effectum id dare, vel causas eorundem exortûs assignando à manifestis aëris qualitatibus desumptas, vel multò etiam minus à particulari aliqua dyscrasia in sanguine atque humoribus, nisi in quantum secretæ aëris influentiæ illa deberetur. Quin & magis adhuc, si fas est dicere, impossibile fuerit Variorum Epidemicorum Species tradere qui a specificis aeris alterationibus oriuntur, quantumvis in proclivi illud esse videatur, istis videlicet qui Febrium nomina attexere norint notionibus, in speculatione istarum alterationum, quæ in sanguine humano atque ejus humoribus per hanc illamve principiorum degenerationem fieri possunt, malè fundatis. Quo quidem pacto, cùm non naturam sequamur, optimam semper ducem, sed conjectandi libidini indulgeamus, tot nobis erunt morborum species, quot comminisci placuerit: Eam nobis interim arrogamus licentiam, quam nemo facilè Botanico concesserit, à quo in describenda Plantarum Historia sensuum requirimus testimonium, ac fidem, non rationis Commentationem, quantumlibet istâ polleat, atque aliis longè antecellat.

Haud equidem tantum mihi sumo, ut me in his, quæ jam trado, omnem absolvisse numerum existimem, fortè ne in recensenda quidem universa

Epidemi-

Epidemicorum familia ; multo minus in me recipio , ut qui morbi elapſis, de quibus nobis ſermo eſt, annis, ordine infra dicendo ſe mutuò exceperunt, venturis ſæculis eundem perpetuo ſervaverint, Unum hoc molior, ut quo pacto hæc ſe res habuit nuper, aſtipulante paucorum aliquo annorum obſervatione, enarrem, quod ad has ſcilicet regiones ſpectat & hanc in qua degimus Urbem, ut meum, quale quale ſit, ſymbolum conferam ad opus inchoandum, quod, ſi quid ego judicando valeo, in maximum humani generis emolumentum cedet, ubi tandem à Poſteris, quibus integrum Epidemicorum curriculum venientibus anni ſibi invicem ſuccedentium intueri dabitur, ad umbilicum perducetur.

CAPUT III.

Conſtitutio Epidemica annorum 1661, 62, 63, 64, *Londini.*

ANno 1661 Febres Autumnales Intermittentes, quæ jam ab aliquot retrò annis obtinuerant, de novo vires redintegrabant (*Tertiana* præſertim *mali moris*) ſub initio Julii, & quotidiè increbreſcentes, menſe Auguſto quàm immaniſſimè debacchabantur, inque multis locis, correptis ferè integris familiis, maximam hominum ſtragem edebant ; dein verò ſenſim decreſcentes ſuperveniente hyemis frigore extinctæ ſunt, perpaucos Octobris menſe aggreſſæ. Quæ dictæ Tertianæ famulabantur Symptomata, illa ab Intermittentium Tertianarum aliorum annorum Symptomatis, his præſertim diſcriminabantur. Ægri Paroxyſmus atrocior, lingua magis nigra ſiccaque, extra paroxyſmum ἀκυρεξία obſcurior, virium & appetitûs proſtratio major, major item ad paroxyſmum ingeminandum proclivitas, omnia ſummatim Accidentia immaniora, ipſeque morbus quàm pro more Febrium Intermittentium funeſtior. Si quando ætate provectiores, aut etiam Cachecticos invaſiſſet, quibus pariter vena ſecta, aut aliæ quævis evacuationes minuiſſent vires, nunc ad duos nunc ad tres menſes perdurabat, *Quartanæ*, rariores licet, Febres jam deſcriptas comitabantur, utriſque verò primum brumæ impetum non ſuſtinentibus (neminem enim, ante intactum, feriebant) ſubſecuta eſt *Febris continua*, ab intermittentium Autumnalium genio in hoc tantùm abhorrens, quòd hæ ſtatis ſolùm temporibus, illa continenter urgebat. Etenim eodem fermè modo ægrotos adoriebantur; qui utriſque pariter vehementer laborabant, vomituriebant, cum partium externarum ſiccitate, ſiti, linguæ nigredine ; & ſudoribus ſub morbi finem materia morbifica in utriſque promptiſſimè exterminabatur. Quinimò vel hinc liquebat, Febrem hanc ad Autumnalium Intermittentium claſſem attinere, quod rarò admodum ſurgente anno compareret. Dicta itaque Febris Continua Intermittentium quaſi compendium quoddam : & è contra ſinguli earum Paroxyſmi compendium hujuſce mihi videbantur ; atque adeò diſcrimen in hoc maximè verſari, quod *Continuæ* conceptam ſemel effervescentiam συνεχῶς eodemque

semper tenore perficerent ; *intermittentes* autem partitis vicibus ac diversis temporibus eâdem defungerentur Quanto autem jam tempore prædicta Febris continua invaluerat dicendo non sum , quum mihi hactenus satis fuerat ad generalia Febrium Symptomata attendere ; utpote qui nundum vel juxta varias annorum crases , aut ejusdem anni varia tempora easdem distingui posse animadverteram. Hoc saltem scio , unicam fuisse *Continuæ* Febris speciem usque ad annum 1665, ac *Intermittentes Autumnales* , quæ ad illum usque annum frequentes incursabant, jam deinceps rarissimas occurrisse.

Sed ut ad rem redeamus : *Febris* illa *Tertiana* , quæ dicto anno omnia longé lateque fuerat prædata , eodem elapso intra angustiores limites se continuit : insequentibus verò Autumnis *Quartanæ* Epidemicis reliquis prædominabantur , stante hac aëris Constitutione. Quartanis semper post Autumnum vela contrahentibus , *Febris continua* (quæ per hoc omne tempus , parciùs licet se immiscuerat) jam inclementius debacchabatur ad usque ver , quo tempore *Febres Intermittentes Vernales* succedebant , quibus ad Calendas Maii pariter fatiscentibus , *Variolæ* hinc & inde sparsim se ostendebant , quæ denuò ad conspectum *Epidemicorum Autumnalium* (Febrem continuam volo & quartanas) tergà dabant victoribus. Hoc ordine Morbi Epidemici integram hanc aëris Constitutionem pervadebant , & se mutuò insequebantur. De his mihi sermo erit in specie , & nominatim tum de Febre hac , tum etiam de Intermittentibus , sive Ver sive Autumnum attinerent , quibus hæc constitutio præ cæteris infamabatur.

Telam ordiar ab hac *Febre Continua* , quæ aliarum , quotquot sunt , omnium præcipua & Coryphæa mihi videtur , eo quod Natura in hac præ aliis quibuscunque uniformiter & ad eandem ferè normam tum Materiam Febrificam ad debitam Concoctionem perducat , tum coctam certo ac præfinito tempore exigat eliminetque. Ad hæc , quandoquidem illæ annorum constitutiones , quæ Intermittentes Autumnales promovent , communibus annis multo sæpius recurrant , quàm illæ , quæ ad cæteros Epidemicos faciunt , necessariò sequitur , ut quæ illas comitatur Febris Continua frequentiùs accurset.

At præter Symptomata , quæ cæteras Febres stipabant , dicta Febris sequentibus insuper urgebatur : Æger plerumque animam tantùm non agebat, vomituriebat, lingua sicca & nigra ingens ac subitanea virium consternatio , & partium externarum siccitas. Urina ubique vel crassa , vel tenuis , utraque ex æquo cruditatis indicium. In morbi declinatione , Diarrhœa , nisi fortè Medicus principio obstitisset , superjungebat , unde Morbus pervicacior redditus diutius affligebat, Sed suopte ingenio ac propria indole vix ultra diem 14, vel 21. perdurabat , quo primùm tempore , oborto sudore vel potius leni madore , morbus solvebatur. Neque prius Urinæ Coctionis signa prodebant , quod jam utplurimum eveniebat. Quin & alia superveniebant Symptomata, quoties hic morbus minus peritè tractabatur. At verò tum hæc , tum etiam omnis morbi genius clariùs eluceſçent , ex peculiari Methodo ,,

thodo, quam olim, huic Febri accomodaveram, quam itaque hac transferam, (saltem quod ad rem nostram apprimè faciat) prout jamdudum typis evulgaveram, Quo quidem tempore nondum mihi innotuerat, aliam aliquam Febris speciem in rerum natura inveniri.

CAPUT IV.

Febris Continua Annorum, 1661, 62, 63, 64,

1. PRimò quidem adverto inordinatam illam massæ sanguineæ commotionem Febris hujus seu causam, seu comitem, à natura concitari, vel ut heterogenea quædam materia in eadem concluſa, ac ipsi inimica secernatur; vel ut sanguis in novam aliquam diathesin immutetur.

Atque in hoc negotio magis arridet latius & generalius *Commotionis* vocabulum, quàm vel *Fermentationis*, vel *Ebullitionis*; quippe quod inanis λογομαχίας occasionem præscindat, quam fortassis istiusmodi voces (quæ etiamsi explicationem non incommodam admittant, tamen minus propriæ, ac non nihil duriores nonnullis videntur) haud satis caverent. Quamvis enim Cruoris in Febribus *commotio*, liquorum vegetabilium alias *fermentationem*, aliàs etiam *ebullitionem* æmuletur; non desunt nihilominus, qui eandem non uno modo ab utraque plurimùm differre arbitrantur. De *Fermentatione* unum alterumve ab illis sumatur exemplum. Primò, licet fermentescentia liquida vinosam quandam indolem ira nanciſci soleant, ut spiritum ardentem ex jisdem distillatio eliciat, atque in acetum facilè desciscant, quod ipsum insigni acore pollet, & spiritum acidum destillando exhibet; neutram tamen ejusmodi mutationem in sanguine hactenus observatam fuisse contendunt.

Deinde adverti volunt, quod cum in liquoribus vinosis *fermentatio* & *depuratio* eodem tempore peragantur, & quasi paribus passibus procedant, *depuratio* tamen sanguinis in Febribus ejusdem *æstuationem* non comitetur, sed consequatur, id quod in paroxysmo febrili per sudores, soluto, vel oculorum testimonio, patere existimant.

Quod autem ad *Ebullitionem* attinet, difficilior illis hæc videtur analogia, quæque experientiam habet summopere refragantem, in multis nimirum casibus, quoties non adeò effrænis est cruoris, orgasmus, ut *Ebullitionis* appellationem mereri possit. Verùm utut sit, (neque enim hisce controversiis me ullatenus immiscerì patiar;) quandoquidem *Fermentationis* & *Ebullitionis* vocabula apud recentiores Medicos plurimùm invaluerunt, ego quoque eadem subinde usurpare non dubitaverim dummodo ex jam dictis satis constet voces istas in hoc Tractatu clariori solummodo dicendorum explicationi inservire.

Porrò febrilem hanc sanguinis commotionem ob materiæ cujusdam heterogeneæ, ipsique naturæ adversantis, secretionem ab eadem concitari, omne genus febrium, quæ eruptionibus stipantur, testatum facit, utpote in quibus,

istius ebullitionis sanguinis beneficio, sit excretio ad cutim excrementi in eodem latitantis, & pravâ qualitate affecti,

Quinimo nec, meâ quidem sententiâ, minus liquet, febrilem sanguinis commotionem sæpè (ne dicam sæpiùs) non aliò collineare, quàm ut ipse sese in novum quendam statum, & diathesin immutet, hominemque etiam, cui sanguis purus & intaminatus perstat, febri corripi posse; sicuti in corporibus sanis evenire, frequenti observatione compertum est, in quibus nullus apparatus morbificus vel quoad plethoram, vel quod cacochymiam fuerit, nulla insalubris aëris anomalia, quæ febri occasionem subministraret. Nihilominus etiam hujusmodi homines, præcedente insigni aliquâ aëris, victûs, cæterarumque rerum non-naturalium [ut vocant] mutatione, identidem febre corripiuntur, propterea quò eorum sanguis novum statum, & conditionem adipisci gestit, qualem ejusmodi aër aut victus postulaverint; minimè verò quòd particularum vitiosarum in sanguine stabulantium irritatio, febrim procreet. Etsi nequaquam dubitem materiam in sanguinis despumatione post febrilem commotionem, solemniter excretam, vitiosam esse, quamvis sanguis laudabilem antea diathesin obtinuerat (id quod vix magis mirandum est, quàm quod esculentorum portiones aliquot corruptæ & fœtidæ evadât, postquam insignem in corpore alterationem subierint, ac jam à reliquis segregatæ fuerint.

II. Secundò ita mecum reputo, Indicationes veras, ac genuinas, quæ in hoc morbo consurgunt, in eo versari, ut sanguinis commotio intra modum naturæ proposito congruentem, sistatur; eâ nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat, unde periculosa symptomata insequi solent, nec illinc nimiùm torpeat, quo pacto vel materiæ morbificæ protrusio impediretur, vel sanguinis novum statum affectantis labefactarentur conatus. Adeò ut sive materiæ heterogeneæ irritanti, sive cruori res novas molienti febris ortus debeatur. Indicatio utrobique eadem existat. Hisce positis fundamentis Therapiæ methodum hoc ritu instituo,

Quoties mihi cum ægris res est, quorum sanguis vel per se imbecillior existit, [uti fere in pueris] vel justâ spirituum copia destituitur (ut in declivi ore ætate, atque etiam in juvenibus diuturno aliquo morbo confectis) à venæ sectione manum tempero. Enimverò si Phlebotomiam his imperarem, sanguis etiam num citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis, desputationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur; unde totius massæ perversio, ac proinde forsan ipsius ægri interitus sequeretur (quemadmodum si cerevisiæ aut alius cujusvis musti fermentatio intempestivè sistatur, liquores illi vitium plerumque contrahunt] Quippe particularum, quas semel exterminare cœperit, quæque, tametsi dum reliquæ cruoris massæ æquabiliter immiscerentur, puræ extiterant, jam vero putredinem deterrimam acquirere, & cæteros humores gravi inquinamento inficere habiles evaserint, consortium natura ferre amplius non potest. Quanquam haud me latet ægros temeraria sanguinis missione mulctatos, convenientium Cardiacorum usu aliquando servari, sanguinemque ad tenorem defæcationi suæ peragendæ donecum restitui posse. Sed præstiterat plagam non infligi, quam sanari.

nem-

Attamen ubi in contrariæ indolis sanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu & temperamento sanguineo præditis reperiri consuevit, primum in curatione locum Phlebotomiæ attribuo; quæ (præterquam in casibus inferius memorandis) sine salutis periculo hîc omitti nequit. Nam aliàs non solùm præ nimia sanguinis ebullitione, Phrenitidum, Pleuritidum, aliarumque id genus inflammationum periculum immineret, sed præ copia etiam, impeditio omnimoda Circulationis, & totius massæ quasi strangulatus consequeretur.

Mensuram quod attinet, mihi solemne est eam duntaxat sanguinis quantitatem detrahere, quantum conjicere liceat, quæ ægrum ab incommodis, quibus immodicam ejusdem commotionem obnoxiam esse diximus, incolumem præstet. Æstuationem verò illam deinceps rego ac moderor, Phlebotomiam vel repetendo, vel omittendo, Cardiacis calidis vel insistendo, vel parcendo, ac denique alvum vel laxando, vel compescendo, prout motum illum vel efferari, vel languescere animadverto.

Post Venæ sectionem (siquidem ipsa juxta casus præmemoratos necessaria fuerit) sollicitus sedulusque inquiro, nunquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propensio tub Febris initium interturbaverit. Id si contigerit, omninò medicamen *Emeticum* præscribo, nisi vel ætas tenella, vel insignis aliqua debilitas ægri ab eo temperandum suaserit. Sanè Vomitorium propinare, ubi istiusmodi prægressa est vomendi proclivitas, adeò est necessarium, ut nisi humor ille expellatur, in sentinam complurium malorum difficilium sit abiturus, quæ crucem figent Medico toto durante medicationis tempore, ægrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum præcipuis, & maximè solitis est *Diarrhœa*; quæ ut plurimum in defervescentia Febris consequitur, quotiescunque Emetica, quando ea suadebat indicatio, omissa fuêre. In febris quippe progressu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil subegerit Natura, & ad intestina amandaverit, illa ab acri humore ex hoc in stomacho fonte perperim scaturiente usque adeò corroduntur, ut non possit non insequi *Diarrhœa*. Observavi nihilominus in Febribus inflammatoriis, quæ malignæ vulgò habentur, omissionem Vomitorii, tametsi talis vomendi propensio præcesserit, *Diarrhœam*, quemadmodum in hac Febre, necessariò, non inferre; sed de ista re plura in sequentibus.

Jam autem in eo versatur istiusmodi *Diarrhœæ* periculum, quòd æger satis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, & præterea (id quod majoris est in ipsius noxam momenti) in febris declinatione, quo tempore contrahere se sanguis, ac viam suam exerere debebat ad despumationis officium peragendum, penitus præpeditur hac emissione.

Jam verò nequid dubites humorem hunc in ventriculo nidulantem, nisi fortè vomitu eliminetur, hanc Tragædiam (*Diarrhœam* dico) quasi ex insidiis aliquanto post daturum, inquisitione instituta nunquam fere non comperies, siquando Febrim hanc *Diarrhœa* comitetur, ægrum in morbi principio in vomitum proclivem fuisse, nec tamen Emeticum fuisse propinatum. Porrò

etiam

etiam compertum habebis, etiamsi proclivitas illa ad vomendum jampridem præterierit, Diarrhœam tamen quamprimùm Vomitorium exhibueris plerumque cessaturam; dummodo Emetico ferendo pares fuerint ægri vires: Sæpiùs autem observavi Diarrhœâ semel oborrâ, medicamenta adstringentia vel nihil omninò, vel parùm admodum ad eandem sistendam conferre, sive introsumpta, sive exteriùs applicata.

Emeticum, quale passim a me propinatur, hujusmodi ferè est: ℞. *Infus. Croc. Metall.* ʒvj. *Oxymel. Scillit. & Syr. Scabios. comp.* āā. ʒß. *M. F Emet.* Quod hauriri jubeo tempore pomeridiano, duabus horis post leve prandium. Verùm quò tutiùs, ac felicius vomitio subsecutura succedat, illud etiam in mandatis habetur, ut *Zythogalæ* ℔vj. vel viij, sint in promptu, quippe quòd periculosa sint ista medicamenta, nisi copiosè diluantur: Ideoque quoties vomuerit æger, aut alvum exoneraverit, è vestigio sumendus erit haustus: quo facto, & inania illa tormina præcaventur,& vomendi conatus auspicato procedunt.

Sæpe miratus sum dum fortè materiam vomitu rejectam aliquando curiosè contemplabar, eamque neque mole valde spectabilem, nec parvis qualitatibus insignem, quî factum fuerit, ut ægri tantum levaminis exinde senserint; Nempe vomitu peracto, sæva illa symptomata (nausea, *v. c.* anxietas, jactationes, suspiria luctuosa, linguæ nigredo, *&c.*) quæ & ipsos excruciarant, & adstantes perterrefecerant, mitigari solent ac solvi, quodque morbi reliquum est εὐθύμως tolerari.

Illud hîc loci non omittendum erit, si ægri conditio utrumque auxilium postulaverit [Venæsectionem intelligo, & Vomitorium] tutum omnino esse, ut Venæ sectio Emetici exhibitionem præcedat; aliàs enim dum vasa sanguine distenta sunt, periculum imminet ne ex violentis illis vomendi conatibus vel rumpantur vasa pulmonum, vel Cerebrum lædatur, affuso cum impetu sanguine atque effuso, adeoque æger Apoplexia correptus pereat. Cujus rei quamvis historias aliquot commemorare possim, illis tamen hic supersedere visum est, monuisse contentus maxima hac in re cautela utendum esse.

Siquis autem quærat, quo tempore Febris Vomitorium exhiberi velim, dico, In ipso planè Febris initio, siquidem optio daretur, Emeticum propinarem: ita enim fiet, ut ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo, lociisque vicinis deliteſcentium illuvie ortum ducentibus, ægrum præmuniamus; imo vero & fortasse in ipsis quasi incunabilis opprimamus morbum, qui alias cum ægroti periculo grandescet, ac longævus evadet; nutritus nimirum dictis illis humoribus, qui vel substantia sua in penitiores corporis partes transmissi cum sanguinis massa commiscentur, vel ex ipsa mora pejores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex foco suo jugiter per transeunti sanguini malignam auram afflabunt. Hujus rei (ne longius abeamus) Cholera morbus exemplum nobis exhibet; fit enim aliquando ut intempestiva opera vomitum in illo morbo cohibere satagentes (sive illud Laudano fiat, sive adstringentibus medicamentis) eo cohibito non minus periculosam

culosam malorum catervam invehant. Humores enim acres corruptique, quorum exclusionem tantisper permittere oportuerat ut satis evacuarentur, hoc pacto repulsi vires suas, ac sævitiam in sanguine exercent, febremque accendunt, quæ ut mali moris, & gravibus symptomatis stipata esse solet, ita nisi propinato Emetico, tolli vix poterit, etiam ægro jam nequidem vomituriente.

Quod si nobis [ut sæpe fit] sero accersitis non licuerit Emeticum propinando, ægrorum saluti sub febris initium consulere certè tamen convenire existimaverim ut quovis morbi tempore illud fiat, modo vires eo usque morbos non attriverit, ut Emetici vim ferre jam amplius nequeant. Equidem ego die febris duodecimo vomitum imperare non dubitavi, etiam cum æger vomiturire desiisset, neque sine fructu: Eo namque Diarrhœam sustuli, quæ sanguinem in peragenda despumatione impedivit; quin & serius idem facere minimè dubitarem, nisi virium attrittarum ratio prohiberet.

Vesperi, celebrata jam vomitione, semper illud ago ut tumultum ab Emetico in humoribus excitatum consopiam, & quietem conciliem; ideoque sub noctem, vel hora somni Paregoricum quempiam hastum exhibere jubeo. Ex *g.* ℥ *Aqua. papav. rhæad.* ʒij. *aq. Mirab.* ʒij. *syr. de mecon. & syr. papav. errat. aa.* ʒß. *M. F Haustus.*

At si vel ob copiosam sanguinis jacturam, quam curationis decursu passus est æger, vel ex movendi frequentia, dejectionibusque in Emetici hujus usu factis, vel ex præsenti ejusdem ἀπυρεξίᾳ, vel ex debilitate ejus, vel ex Febris jam declinantis vetustate, nullum jam superstit in posterum concitandæ nimæ Ebullitionis periculum; tum metu procul habito, vice haustus præscripti, Diascordii satis largam dosin vel impermixti, vel aquæ alicui Cardiacæ sociati exhibere jubeo. Præclarum sane Medicamentum, modo ea quantitate exhibueris, quæ remedii potius quam tituli mensuram impleat.

Hic autem loci, priusquam de Emeticis dicendi finem faciam, prætereundum non est, omnino tutum non esse [saltem in hac Febre] Vomitoria ex infus. Croc. Metall. parata, puerulis, ullisve infra adolescentiam constitutis vel minima quantitate exhibere. Optarem equidem ut illius loco alia nobis tutiora, sed satis interim efficacia suppererent, quæ humorem hunc in febris declinatione ferè semper Diarrhœam minitantem radicitus extirpare possit, vel saltem ut medicamento aliquo idoneo acrem istam materiam, ejusque vim corrosivam ita mutare liceret, ac retexere, ut commovere Diarrhœam nequiret. Sæpiùs profectò mihi molestum illud accidit, quòd ad infantes, pueroque febre correptos accersitus, indicationem conspexi, quæ quidem medicamenti usum suasit cujus ope extra periculum collocari potuissent, quod tamen exhibere, veritus infælicem exitum, non sum ausus. Verùm in adultis nullam inde noxam hactenus observavi, modò cum cautionibus prædictis Emeticum propinetur.

Vomendi exantlato negotio, illud mecum ulteriùs disquirere soleo, utrum evacuationibus prægressis non obstantibus, sanguis etiamnum adeò exæstuet,

ut illius efferveſcentiæ limites adhuc ponendi ſint, ac ſufflamen addendum ; an vero eoſque elanguerit ut indigeat incitamento ; vel denique, an Fermentatio ad gradum idoneum, ac debitum reducta permitti ſibi abſque ægri periculo poſſit. De horum ſingulis nonnulla mihi dicenda ſunt.

1. Itaque ſi ſanguis eo uſque exæſtuet ut merito adhuc ſuſpicari liceat, ægrum vel Phrenitidi, vel alii alicui moleſto ſymptomati, ex nimia ſanguinis ebullitione prognato, obnoxium eſſe, poſtridie Emetici exhibiti *Enema* præſcribo. Ut ℞ *decocti communis pro Clyſtere* ℔j. *Syr. Violarum & Sacchari culinaris aa.* ℥ij. *M. F. Enema.* Idemque repeti, pro re nata jubeo, quo ſæpe fit ut ſanguine nonnihil ventilato refrigeratoque, illius efferveſcentia ſatis compeſcatur. Interdum tamen uſu venit, ut Venæ ſectionem etiam ſemel adhuc atque iterum repetere neceſſe ſit, nempe in temperamentis admodum ſanguineis, & ætate florentibus, aut in jis qui nimio vini uſu inflammatoriam quandam diatheſin ſanguini ſuo impreſſerunt. Verum plerumque tanto, tamque inſigni remedio (quale quidem eſt repetita Venæ-ſectio) non opus eſt ; ac proinde, ſi prædictos caſus exceperis, efferveſcentiam illam Enematum adminiculo ſatis reprimemus. Quare ſi ſanguis nimium æſtuet, atque efferveſcat, ſingulis, vel alternis diebus, prout res poſtulaverit, Clyſterem injici jubeo, idque ita fieri ad decimum uſque morbi diem vel circiter. Verumtamen ſi magna vis ſanguinis miſſa fuerit, vel æger ſit ætate provectâ, tunc temporis Enemata nulla impero, etiamſi ſanguis multum efferbuerit. In his etenim caſibus, uti metuendum non eſt, ne omiſſis Cliſteribus, ebullitio concepta eo uſque procedat, ut inſignis alicujus, & infeſti ſymptomatis periculum immineat ; ita certiſſimum eſt, eorundem uſu ſanguinis robur, ac vim, atque (ut ita dicam, etſi minus proprie) tonum relaxari, eatenus quidem, ut in ſenibus præcipuè (neque enim illis Enemata tam proſpere, ac juvenibus cedere ſolent) Naturæ opus interturbetur, atque impediatur. Quod ſi vena ſecta quidem fuerit, ſed non multum ſanguinis emiſſum, tunc, uti dixi, Clyſteres aduſque decimum, plus minus diem impero ; nonnunquam etiam aduſque duodecimum ; quod in illis præſertim obtinet, quibus ſanguinem demere non audeo. Sunt enim, qui poſt intermittentes Autumnales (ſive Tertianæ fuerint illæ, ſive Quartanæ,) febribus continuis, ex purgationis, in præcedentis morbi fine, defectu, corripiuntur ; His ſi ſanguinem miſeris, periculum eſt, ne ſedimentum illud, quod prægreſſa fermentatio depoſuerat, in maſſam ſanguineam reſorbeatur, novaſque turbas excitet. Venæ-ſectionis itaque loco, rebus ita ſe habentibus, Clyſteribus utor, & quidem ad diem uſque duodecimum, modo æger ſit juvenis, atque fermentatio nimis exaltata.

2. Verum è contrario, ſive Venæ-ſectionem adhibueris, ſive omiſeris, ſi ſanguinis efferveſcentia nimis elangueſcat, adeoque ſtimulo egeat, ne Naturæ juvendæ impar fuerit, tunc equidem ſi Clyſteribus etiam ante diem decimum, multoque magis eo præterlapſo, prorſus abſtinendum arbitror. Quorſum enim jacentem jam, & nimis elanguidam fermentationem ulterius compeſcere atque reprimere conaremur ? Quod ſi vero poſt tempus illud, in mor-

morbi nempe declinatione, Clysteribus utaris, profecto non minus absonum id fuerit, atque ab omni ratione alienum, quam si quis effervescenti Cerevisiæ nimis amplum spiraculum aperuerit: Etenim aperto illo spiraculo præpeditur Natura, quo minus ad morbificæ materiæ separationem unitis viribus incumbat. Postquam igitur vel mediantibus evacuationibus idoneis, atque opportunis, æger ἐν βελτίονι positus fuerit, quantum ad illa symptomata attinet quæ ex nimia ebullitione nascuntur, vel morbus jam declinaverit, quanto magis astrictam illi alvum præstitero, tanto magis eam extra periculi aleam colloco; nempe febrili materia ad sui concoctionem suaviter, ac blande propendente. Quocirca si præcedentes, evacuationes, sanguineæ massæ quasi laxitatem quandam induxerint, vel inducere minentur, vel æger ante debitum tempus febre levatus fuerit, vel etiam febris ad ultimam suam periodum pervenerit, non solum Enemata procul haberi volo; sed & Cardiacorum opem atque auxilium suggerendum arbitror, atque mox ad alvum adstringendam memet accingo.

Cardiaca vero quod spectat, quoniam usu mihi compertum est, eadem propere nimis exhibita non contemnendam noxam inferre (vena scilicet non dum secta metuendum est ne materia cruda adhuc existens in Cerebri membranas, *&c.* aut pleuram decumbat) ideo curæ mihi semper est, ne Cardiaca exhibeantur, dummodo vel nihil omnino, vel parum sanguinis emissum, nullaque alia insignior evacuatio facta fuerit, aut æger ætatis viguorem nondum exegerit, neque enim video, quorsum sanguis ejus per se satis locuples, ulterius in ipsius perniciem diteseeret: Locuples autem atque opulentus satis est, neque succendiculis eget, quamdiu evacuationes insignes calorem ejus insitum non prostraverint. Hujusmodi ægris domi nascuntur Cardiaca, & quæ foris adduntur, aut frustranea sunt, aut etiam damnosa: quapropter ego vel nulla omnino, vel saltem leviſſima permiserim. Interim vero si æger ex profusis evacuationibus lassus & languidus, vel ætate fuerit provectus, solemne mihi est. Cardiaca vel in ipso febris initio propinare; Morbi autem die duodecimo, negotio tunc temporis ad secretionem vergente; medicamentis calidioribus liberalius indulgendum censeo, imo paulo maturius idem fieri potest, modo non metuendum sit, ne febrilis materia in partes principes præceps agatur; Namque hoc tempore quò magis calefecerim, eò magis concoctionem acceleravero. Neque revera cogitando assequi possum, quid sibi velint Medici, cùm sua præcepta toties ingeminant, de remediis ad promovendam febrilis materiæ concoctionem administrandis, id quod in morbi initio accersiti sæpè faciunt; nihilominus tamen eodem ipso tempore medicamenta ejusmodi imperare non dubitant, quæ febrim scilicet attemperare possint. Profectò enim est Febris ipsa Naturæ instrumentum, quo partes impuras à puris secernat: hoc illa modo planè imperceptibili præstat ab initio, atque etiam in ἀκμῇ morbi, verùm in ejusdem declinatione apertiùs, atque manifestiùs idem opus aggreditur, id quod ex urina cernere licet. Materiæ febrilis *concoctio* nihil aliud revera significat, quàm peccantis materiæ à sana separationem. Hanc igitur

ut acceleres, non ſatagendum neſcio quibus attemperantibus, ſed Febris efferveſcentia tamdiu permittenda eſt, quamdiu ſalus ægrorum paſſa fuerit, cùm autem finem ſpectat, atque declinationem, ſecretione jam conſpicuâ, tunc quidem calidioribus medicamentis illam à tergo inſequemur, ad rem eò celeriùs ac certiùs perficiendam. Atque hoc reipſa eſt, febrilis materiæ concoctionem promovere; cùm evacuationes & refrigerantia moras nectant, & curationem impediant, ipſamque ſanitatem jam appropinquantem abigunt, uti ſæpius à me fuit obſervatum.

Si fermentatio ſatis progrediatur, deſpumatio circa diem decimum quartum peragetur: Verùm ſi refrigerantia quælibet ſeriùs adhibueris, atque ita eorum ope efferveſcentia ſufflaminetur, mirum non eſt, ſi febris ad diem viceſimum primum, quin & in effœtis corporibus malè tractatis multò longiùs excurrat.

Illud porrò obſervatu dignum eſt, quandoque accidere, ut æger Clyſterum aliorumve catharticorum uſu circa declinationem morbi intempeſtivè præſcriptorum, parùm alleviari videatur, imò nonnunquam Apyrexiâ omnimodâ frui, poſt diem autem unum alterumve ſenties, non tàm priſtinam febrim vires ſuas redintegraſſe, quàm novam accendi, rigor nimirum, atque horror ſubitò invadet, quem mox excipiet calor atque febris, idem ſtadium (niſi forſan in intermittentium claſſem ſe reponat) decurſura, quod in præcedentibus monſtratum fuit. Cum ita ſe res habeat, non aliter tractandus eſt æger, quàm ſi anteà febre non detentus fuiſſet, verùm quoad res agendas calcata jam veſtigia repetenda; deſpumatio enim, quæ cœptæ jam ebullitioni debetur, non niſi prædicti temporis, ſcilicet 14. dierum ſpatio peragetur, utcunque moleſtum fuerit ægro, à prægreſſo morbo ſatis jam debilitato, eouſque ſanitatem expectare.

Cardiaca, quæ adhibeo, paſſim ſunt ejuſmodi, quæ ſtatim ſubindicabo, quorum *moderatioribus* utor in morbi principio, æſtuatione maximè fervente; gradatim ad uſum calidiorum, juxta morbi progreſſum, vel ebullitionis gradus pergens; ſemper memor licere, ſiquidem multum ſanguinis miſſum, vel æger ſenex fuerit, ut Cardiaca fortiora adminiſtrentur, quàm cum vel nulla præceſſerit Venæ-ſectio, vel æger ætate floruerit.

Moderata autem illa quæ dixi, Cardiaca fiunt ex aquis ſtillatitiis (*verb. gr.*) Borag. Citr. Scord. compoſ. fragor. Theriacal. cum admixtis Syrup. Meliſſophyl. Fernel. Cariophyl. & de ſucco Citr. &c. *fortiora* vero ex pulver. è Chel. Cancro. Comp. Bezoar. Confect. de Hyacinth. Theriac. Androm. aliiſve ejuſdem indolis. Quæ ſequuntur in frequenti uſu ſunt.

℞ *Aq. borag. citri, Scordii compoſ. & ceraſor. nigr. aa.* ℥ij. *aq. cinamomi hordeati* ℥j. *margarit. præparat.* ℈ij. *ſachari cryſtallini q. ſ. Miſce, ſumat cochl.* iiij. *ſæpius in die, præcipuè in languoribus.*

℞ *Aq. totius citri, & fragor. aa.* ℥iij. *aq. cord. frig. Saxon.* ℥j. *aq. theriac. ſtillat ſyr. meliſſophyl. Fernel. Caryophyl. & de ſucco citri, aa.* ℥ß. *Miſce f. Iulapium, de quo capiat ſæpius.*

℞ *Pulv. è chelis cancrorum compoſ. lap. bezoardici Oriental. & Occidentali*

tal. contrayervæ, aa. ℈j. *fol. auri n. j. Misce, f. pulvis subtilissimus: Capiat ad quant: gr.* xij *quoties opus fuerit, ex syr. è succo citri, & Caryophyll. aa* ℥ij. *superbibendo cochl. aliquot Iulap præscript.*

℞ *Aq. theriac. stillat.* ℥iiij. *semin. citri* ℥ij. *contundantur simul & f. Emulsio. Colaturæ adde sacchari perlati q. s. ad gratum saporem, sumat cochl. 2. ter in die.*

Plures vero formulas recensere supervacaneum arbitror, quoniam & innumeræ sunt, aut esse saltem possunt, & in morbi decursu juxta varia ejus tempora, ac diversa symptomata variandæ sunt.

3. At si Fermentatio neque nimium æstuet, neque langueat, eam in isto gradu relinquo, nec ullis remediis utor, nisi ægrorum, vel amicorum quibus stipantur, importunitas à me aliquid extorqueat, quod ipsis citra instituti, & scopi mei fraudem placeat.

Atque hoc loco non prætermittam, me sæpius ad *tenuis conditionis homines*, quorum crumena prolixo apparatui Medico ferendo non erat, accersitum, nil feciſſe aliud post Venæ sectionem, & vomitionem peractam [siquidem eas postulasset indicatio] nisi quod ipsis præscriberem, ut toto morbi tempore lecto defixi, non nisi jusculà avenacea, & hordeacea vel similia hauirent; tenuem cerevisiam (dempto frigore) moderate biberent ad sitim sedandam; Enema ex lacte Saccharato singulis, vel alternis diebus usque ad diem decimum, vel undecimum injici curarent; & versus febris finem, cœpta jam separatione, siquidem segnior esset, ad eam juvandam fortiorem subinde potum Cardiacorum loco, bibere ipsis permisi: Atque ita sine ulteriore aliquo apparatu, nisi quod leve Catharticum in fine morbi addere soleam, eos salvos, & incolumes dimisi.

Sed ut ad institutum meum revertar, si prædicta methodus sollicite observata fuerit, usitato circa 15 diem, tum ex laudabilis in Urina separationis signis, tum etiam ex manifesta omnium symptomatum remissione, percipio tempestivum tunc esse potionem purgantem exhibere, quæ sedimentum è prægressa fermentatione hic illic depositum subducat; quod nisi tempestive factum fuerit, periculum est ne in sanguinis massam remigret. ejusdemque febris recidivam conciliet, vel etiam suâ in partibus naturalibus, ad quas amandatum fuit, morâ, in mineram tenacium deinceps in corpore malorum feracem abeat. Nimirum separatione jam factâ, humores crassi ac impuri ex arteriis sanguini in venis refluo immissi, regressum ejus facilè impediunt, ex quo varia obstructionum, ac tandem fermentorum genera nascuntur.

Ubi tamen animadvertendum, non adeò planè necessarium esse post febres Vernales, atque post Autumnales purgationem celebrare; idque propterea, quòd sedimentum à Vernalibus depositum tum copiâ, tum qualitate terreâ, malignaque ab autumnali superetur. Quod ipsum etiam in Variolis obtinet, multisque morbis aliis Verno tempore grassantibus, in quibus purgantium omissio non tàm grave periculum [quod ego quidem observaverim] quàm in casibus prius memoratis inferre solet.

Et sané non multùm is à veritatis scopo aberraverit, qui affirmaret ab hoc capite [purgandi scil. post morbos Autumnales omissione] plurium morborum colluviem, quàm ab ullo alio, quo demumcunque causarum fonte, dependere.

Si valdè debilis sit æger, vel alioquin perfecta adeò depuratio facta non fuerit, ut audacter possim purgans exhibere die decimo quinto, rem differo ad decimam septimam; quo tempore sequentem, vel similem, pro ratione ægri virium, potionem propino. ℞. *Thamarind.* ʒß. *fol. sennæ* ʒij *rhabarb.* ʒiß. *Coq. ſ q. aq. Colaturæ* ʒiij. *dissolve mannæ, & syr. rosac. aa.* ʒj. *Misce, f. potio cap. mane.*

Purgatione peractâ, ægrum, hactenus lecto, expræscripto meo defixum, surgere, & paulatim ad pristinam victûs rationem reverti jubeo. Ea quippe, quam ad hoc usque tempus præscripsi, eadem propemodum est cum illa, quam modo commemorabam; Uti jusculà avenacea, & hordeacea, panatellæ ex panè & vitello ovi, in aqua cum saccharo confectæ; jusculà tenuia ex decocto pulli, Cerevisia tenuis lupulata, cui quandoque æstuante ardore Febrili, immisceri potest succus Aurantiorum recens expressus, & super ignem ad cruditatis tantummodò sublationem coctus, & his similia, quamvis jusculà avenacea sint instar omnium. Negare verò cerevisiam tenuem, quæ subinde in mediocri quantitate sumatur, severitas est minimè necessaria, imò sæpenumerò etiam detrimentosa.

Accidit interdum [maximè in senibus] ægrum Febri jam curatâ, & corpore satis jam superque purgato, nihilominus valdè debilem esse; & quandoque tussi, interdum etiam screatu, magnam glutinosi, viscosique phlegmatis copiam expectorare: quod symptoma non tantùm ægro terrorem injecit, sed & ipsi Medico; præsertim minùs cauto, imposuit, eumque in opinionem induxit, quasi affectus iste Phtisi viam sterneret; licet observaverim ego, rem adeò periculosam non esse. Hoc in casu ægrum jubeo Vinum Malaganum; annosum, vel Falernum, sive Muscatum, cum pane tosto ei immisso bibere, quod crasin sanguinis multùm prægressa æstuatione debilitati (proindeque nuper-ingestorum succis assimilandis imparis) corroborans, symptoma illud paucorum admodum dierum spatio abigit, ut crebra experientia mihi constat.

Hac ipsa, quam proposuimus ratione, ægrum à multis affectibus, symptomatibusque, quæ malignitati tribui solent, tutum præstabimus; cùm nihil magis solitum sit Medicis in arte sua minus exercitatis, quàm quando medicamentis nimis refrigerantibus, vel usu Enematum intempestivo, crasin sanguinis ita relaxarint, Naturàmque in perficienda sanguinis depuratione adeò debilitarint, ut animi deliquia, aliaque symptomata (quæ genuina sunt ejusmodi impedimentorum arte positorum effecta) contingant, *malignitati* culpam transcribere: at si diuturnitas, in quam abierit morbus, eum ab hoc vitio vindicet, tùm quicquid eos in medela deinceps fatigat, id *Scorbuto* acceptum referunt: quamvis reipsa neque symptomata, quæ accidebant, quamdiu vige-

bat

bat morbus, *malignitatis* erant effecta, neque ea, quæ contigerunt in declinatione ejus *Scorbuti*, sed utrumque rei malè gestæ debetur, quemadmodum crebrò id à me observatum est.

Non quòd ego, aut quisquam alius, qui Morborum historiam vel delibaverit, nescius esse possit. Febres esse, quæ non intemperie sola, aut putrido tantùm calore, sed etiam maligna qualitate (cujus signa evidentissima in ægris non possunt non apparere) constent: vel etiam quod inficias eam, complicari aliquando cum Febre *Scorbutum* & complures alios morbos posse; hoc tantùm dico, has affectiones immeritò sæpè in litem vocari.

Si fermentatio sanguinis ritè processerit, fiet omninò materiæ morbificæ despumatio intra tempus modò dictum. At si remedia refrigerantia, vel Enemata seriùs exhibita fuerint, multò longiùs excurret Febris, præcipuè in hominibus grandævis, malè à medico curatis; ad quos quandoque accersitus, postquam Febri per quadraginta dies & ampliùs laboraverant, nihil non expertus fui, quo despumationem sanguini inducerem: sed nempe usque adeò debilitatus erat sanguis, partim senio, partim Enematibus, & medicamentis refrigerantibus, ut neque Cardiacis, neque ullis aliis corroborantibus remediis scopum meum assequi possem; sed vel illorum Febris virium suarum tenax permanebat, vel alioqui, si adesse videretur ἀπυρεξία, vires ægrorum admodum prostratæ erant, & tantùm non emortuæ.

Aliorum autem remediorum successu frustratus aliò consilium vertere sæpè coactus fui, cum successu non vulgari; nempe adolescentulorum vivum vegetumque calorem ægris applicando. Nec est quod quis multùm miretur, hac methodo, licet inusitata, ægrum tantoperè corroborari, naturamque debilitatam juvari, ut semet à materiæ secernendæ, eliminandæque reliquiis exoneret; cùm proclive sit intelligire, insignem effluviorum vegetorum copiam à sano, & athletico corpore in corpus ægri exhaustum transfundi. Neque unquam comperi iteratam calentium linteorum applicationem ullatenus id præstare valuisse, quod modò præscripta methodus præstiti, ubi calor applicatus tum magis est humano corpori congener, tum simul blandus, humidus, æqualis, perennisque. Atque hæc ratio, spiritus, & halitus, fortsitan Balsamicos, in ægri corpus immittendi, ex eo quo ipse illam adhibui tempore, licet aliena primum videretur, ab aliis cum successu felici fuit adhibita: neque profectò me pudet hujus remedii meminisse, tametsi petulci quidam homines, atque arrogantes, omniaque vulgaria ingenti supercilio contemnentes, me forsitan hoc ipso nomine aspernabuntur. Ego enim proximi mei commodum, ac salutem vanis illorum opinionibus longè anteferendam censeo.

Methodus hactenus enarrata; si quis illam prudenter, & cum destinato animi consilio observaverit, ægros, si non ab omnibus, saltem à plerisque molestis illis symptomatibus immunes præstabit, quæ hanc Febrem vel comitari, vel eidem supervenire solent, quæque Medicum animi ancipitem, atque sæpe in curationis decursu consilii penè expertem reddunt, imò & illius curæ commissos non rarò è medio auferunt, etiamsi morbi natura mortem

non

non interminari visa sit. Sed quandoquidem vel ægrorum culpa Medicum non satis opportunè accersentium, vel ipsius Medici minori sive peritia, sive cautela, ejusmodi accidentia sæpissimè obortа cernuntur, non gravabimur peculiarem eorundem curam summatim hîc attingere; verùm ad ea tantùm symptomata me restringam, quæ, tametsi sæpenumerò præverti potuerint, modò via atque ordine prædicto quis usus fuisset; cùm tamen semel acciderint, diversam quandam, sibique propriam curam postulant.

Atque (ut hinc ordiar) si æger, vel calidiora medicamenta minùs properè atque intempestivè sumendo, vel calido nimis temperamento sua natura fretus, in * *Prhenitidem* prolapsus fuerit; vel (quod proximè illuc accedit) si non omninò dormiat, sæpè exclamet, aut inconditis vocibus utatur, si vultu ac loquela ferociat, si medicamenta, potumve communem avidè & quasi raptim bibat, vel denique urinam habeat suppressam; in hoc, inquam, casu, liberaliori manu, quàm suprà indulsi, ad venæ sectionem, clysteres, ac medicamenta refrigerantia me accingo, verno tempore præsertim, [quo etiam aliàs symptomate hoc non apparente, juvenes atque vegeto calore præditi, ejusmodi, auxilia sine multo discrimine admittunt] atque talibus remediis utens, ægrum eousque sustinere conor, donec in diuturnitatem aliquam affectus excurrat, quo tempore non admodum difficile erit eum & à morbo & à symptomate una eâdemque opera liberare: id quod fiet *Narcoticum* aliquod medicamentum in largiori paulò dosi exhibendo. Quamvis enim febre vigente, quæ ναρκώσεως vi prædita sunt non omninò prosint, neque destinatum à Medico scopum feriant, tamen opportunè, & in declinatione morbi adhibita, præclaros effectus edunt: anteà verò prodesse non possunt, partim quia fermentationem vi atque impetu procurrentem sistere nequeunt, etiam in maxima dosi exhibita, partim verò (quod quidem majoris adhuc momenti est) materiæ peccanti tunc temporis massæ sanguineæ æquabiliter admistæ, neque versus separationem adhuc vergenti ab exhibito hujusmodi medicamento manus injicitur, adeoque depuratio illa tantopere expetenda impeditur. Verùm sive hæc ratio sit hujusce phænomeni, sive alia aliqua magis abstrusa, judicent illi quibus animus atque otium est talia speculari. Interim ex fideli atque idoneo observationum plurimarum complexu rem ipsam certissimam esse pronuncio. *Laudanum*, vel alia quævis Narcotica in principio, augmento, vel statu hujus febris ad symptoma hoc levandum, vel non prodesse omninò, vel, quod sæpe accidit, etiam obesse; verùm in ejusdem morbi declinatione eadem mediocri dosi adhibita non sine successu usurpari. Semel equidem Narcotico die morbi duodecimo usus sum, nec frustra; citiùs autem nunquam prosperè exhibitum novi. Quodsi autem illius usum ad decimum quartum usque diem distuleris, tanto magis proficuum evadet, separatione nempe perfectiori tum facta. Neque verò hæc mora, tametsi forte astantes magnopere perterrefaciet horrendum hoc symptoma, mortem statim subinfert; cùm sæpe observaverim, hanc rem plerumque inducias ferre posse ac solere, donec ad Narcotica descendere fuerit

opportu-

opportunum; saltem si caveatur ne *Cardiacis*, calidisque medicamentis adhibitis, intemperies cœpta accendatur uberius, quo casu ægri subitò pereunt. Narcotica, quibus ego uti soleo, sunt vel *Laudanum Lond* ad gr. 1. ß. vel sequens. *Rec. fl. Paralys. M. 1. Coq. s. q. aq. cerasor. nigr. Colaturæ* ℥iij. *Dissolve syr. de meconio* ℥ß. *succi limonum Cochl.* ß. *Misce.* vel. *Rec. aq. cerasor. nigr.* ℥iß. *aq. Epidemicæ* ʒij. *laudani liquidi. gutt.* xvj. *Syr. Caryophill.* ʒj. *misce.*

Illud unicum hîc addere placet, quod ad hanc rem observasse non inconsultum arbitror; nempe si symptoma hoc eousque inducias ferat, & Febris adeò in diuturnitatem abeat ut æger ante assumptum Narcoticum commodè purgari possit, medicamentum illud tanto fœliciùs effectum suum editurum, Quocirca ego imperare soleo Pil. coch. ma. ʒij. in aq. Betonicæ dissolut. atque hoc 10 vel 12. horis ante Narcotici exhibitionem. Neque metuendum est à tumultu illo, quem calidior illa massa pil. aliàs excitare solet; subsequentis enim Narcotici vis pensabit illas turbas, & quierem suavissimam, blandissimamque inducet.

Quodsi vigiliæ ultra febrem excurrant, cessantibus aliis symptomatibus, observavi, linteum in aqua rosar. immersum, & frigidè sincipiti, ac temporibus applicatum, plus quam Narcotica quævis prodesse.

Sæpe accidit ægrum per totum morbi decursum * *tussi* molesta divexari; nimirum commota vehementer ac tumultuante sanguinea mole, omnibus jam ad seditionem & partium studia spectantibus, fit ut humores quidam soluti diffluentesque e massa sanguinis per vascula pulmonaria, vel etiam per diapedesin in tracheæ membranam interiorem, teneriorem scilicet atque exquisito sensu præditam, transferantur: hinc *tussis* oboritur; quæ primò sicca est, quoniam tenuis adhuc materia vim expultricem eludit; mox crassescit, atque expectoratu difficilis evadit, eò quod sensim febrili calore torreatur, atque assetur: hinc fit, ut suffocationis metu percellatur æger, utpote cui vires desunt ad lentam hanc viscidamque materiam tussi eliminandam. Ego in hoc effectu rarò alio aliquo medicamento utor præter *oleum amygdalarum dulcium* recenter expressum, nisi forsan acciderit, (accidit autem aliquoties) ut ægrotus oleum prorsus aversetur; tunc enim vulgaribus illis pectoralibus, ut licet, opem ferre conamur. Interim oleum illud amygdalarum, siquidem illo per ægrum uti licuerit, Bechicis aliis anteponendum censeo, ob eam causam præcipuè, quòd cùm necesse sit hæc liberaliùs, & majori quantitate exhibere, modò prodesse velimus, hoc pacto ventriculum jam satis superque debilem & ad nauseam proclivem oneramus; nonnunquam etiam eadem opera præpedimur, ne reliqua, eodem ipso tempore transigenda, procuremus. Neque verò satis aut intellectu assequor, aut experientia eo ductus sum, cur ab hujus olei, quod jam diximus, usu in febribus abhorreamus, eo quod scilicet inflamabile sit, adeoque metuendum, ne febrim adaugeat. Fac enim illud sua natura calidum esse, certè tamen calor ille tantus non est, ut aliundè non abundè pensetur: præ cæteris enim manifesta vi pectora conducit; aperit-

que viâs, ac lenit, adeoque expectorationem promovet, qua (præsertim si copiosior acciderit) tum exoneratur sanguis à molesto humore, commodè jam excreto, tum eâdem operâ nonnihil refrigeratur, adeoque me non admodum malè habet, siquando viderim symptoma hoc intercurrere, cujus beneficio non parum etiam ægro beneficii accedit. Illud unicum nunc moneo, unâ eâdemque vice tutum non esse, totis cochlearibus hoc oleum exhibere; periculum enim est, ne & ventriculo nauseam & alvo fluxum inducamus; parcè itaque sed frequenter interdiu noctuque propinandum erit, quo non solùm expectoratione facta tussim leniemus, verùm etiam, quod alicujus momenti est, attritas ægri vires blando nutrimento nonnihil solabimur.

Fit nonnunquam, ut * *hæmorrhagia narium* superveniat; sive quòd medicamenta nimis calida in morbi initio fuerint exhibita, sive quòd ebullitio non satis coërcita fuerit, ægro nempe vel in florenti ætate constituto vel anni tempestate coadjuvante. Hoc si fiat, non admodum juvabunt ea quæ ad sistendum sanguinis motum vulgò fieri consueverunt, qualia sunt venæ sectiones, ligaturæ, medicamenta adstringentia, atque agglutinantia, vel etiam sanguinis acrimoniam contemperantia, &c. quamvis enim pro Medicorum consilio, ac prudentiâ, his atque hujusmodi aliis uti liceat; in eo tamen cardo rei vertitur, ut idoneo aliquo medicamento sanguinis ebullitioni frænum imponatur, quod sistat, figatque illius impetum in præcipitia quæque ruentem. Verum quidem est, si symptoma seorsim spectetur, ea quæ supra enumeravimus (ac venæ sectionem potissimùm) accommoda satis esse, nec ego ipse dubitarem jisdem uti; sed nempe symptomatis hujus causam (saltem si phlebotomiam exceperis) non satis attingunt, quam profectò non majori ratione per prædicta tollere, quàm si gladio ignem extinguere satageres. Ego itaque in hoc casu, frustra aliis tentatis, tale quidpiam adhibere soleo, quale nunc subnectam. *Rec. aq. portulacæ, & papaveris erratici aa.* ℥iß. *syr. de meconio* ʒvj. *syr. paralyseos* ʒß. *M. f. haustus.* Nolim autem hæc ita intelligi, quasi hæmorrhagiam quamlibet ita statim curari velim, quin potiùs illa sæpe permittenda est, atque ægro plurimum prodesse potest, partim nimiam ebullitionem reprimendo, partim etiam criticè aliquando morbum solvendo. Atque revera parum proderit huic symptomati frænum prædictum aptare, priusquam illud aliquantisper excurrerit, vel etiam priusquam vena in brachio secta fuerit. Illud diligenter advertendum est, hanc ipsam, atque alias omnes immodicas hæmorrhagias peculiare illud obtinere, quod quamprimum illæ quomodocunque sedatæ fuerint; nisi leniens aliqua purgatio celebretur, metus est ne recidivam æger patiatur; proindeque purgandum erit, quamvis [si Febris tempora spectentur] serius aliquanto id fieri soleat, atque debeat, nisi symptoma hoc accesserit.

Hoc symptoma plerumque senibus accidit post copiosas evacuationes, vel persecessum ex diarrhœa, vel maximè per vomitiones, atque sæpenumero mortem præ foribus adesse denunciat. Ingenuè fateor, me mihimet ipsi de * *Singultus* causa disquirenti satisfacere non posse; nihilominus observavi

* *Narium hæmorrhagia.* * *Singultus.*

sæpe

sæpe illum ex turbis, ac tumultu ab asperioribus medicamentis in ventriculo, lociſque vicinis excitato, ortum ducere, quibus sedandis atque in priſtinam pacem reducendis cùm naturæ vires non ſuffecerint, fit ut ingens periculum immineat: proindeque conſentaneum exiſtimavi curam eo dirigere, ut quod natura per ſe nequibat, artis adminiculo ſuffulta perficeret. *Diaſcordium* igitur larga doſi exhibitum, nempe ad ℥ij. à ſcopo meo non abetravit; cum *ſemine anethi*, aliiſque, quæ tanquam ſpecifica decantantur, uſus nihil profeciſſem.

Si in morbi hujus decurſu * *Diarrhœam* obortam conſpexeris, quæ [uti jam alicubi ſupra notavimus] accidere tum ſolet, cùm in morbi initio vomitorii propinandi indicatio ſe obtulit, neque tamen illud propinatum fuit; dico in hoc caſu convenire, ut quovis morbi tempore (niſi vires contra indicaverint) *emeticum* exhibeatur, etiamſi jampridem illa ad vomendum propenſio præterierit. Quoniam autem hac de re ſatis opinor in ſuperioribus pagellis à nobis dictum eſt, illud hoc in loco duntaxat annectam, quid facto ſit opus, ſi exhibito licèt emetico nihilominus *Diarrhœa* ſupervenerit. Quod tamen oppidò rarum eſt, niſi in Febre inflammatoria, ubi vomitorium, hoc ſymptoma non ſolum non impedit, ſed quandoque creat, quod notatu dignum eſt. Itaque cum ſic ſe res habuerit, præ quibuſvis aſtringentibus hujuſmodi clyſterem profuiſſe comperi. *Rec. Cort. granator.* ℥ß. *roſ. rubr. p.* ji. *Coq. in lactis vaccini ſ. q. Collaturæ* ℔ß. *diſſolve Diaſcordii* ℥ß. *M. F. Enema.* Non ſuaſerim ut majori quantitate Clyſterem injicias, quamvis enim propria vi adſtrictionem polliceatur, metuendum tamen eſt, ne ſua mole laceſſat inteſtina, adeoque fluxum alvi, quem conſopire animus erat, uberius provocet.

Sed forſitan objiciet his aliquis, magis è re videri, ut, præſertim declinante morbo, diarrhœam, ſi quidem acciderit, permittas potius quam ſiſtas, quandoquidem fluxus ille alvi nonnunquam criticus eſt, morbumque ſolvit. Reſpondeo, me non inficias iturum, fieri aliquando, ut Febris per hanc portam ſibi viam faciat, atque effugiat; verùm illud rariùs accidit, quàm ut illius ſpe quicquam moliamur: quin & ratio illa, quâ de medelâ Febrium univerſim loquuti fluxus hujuſce ſiſtendi neceſſitatem oſtendere conati ſumus, etiam hic omnino locum obtinet. Nunc autem illud addendum eſt, meâ quidem ſententiâ animadverſione non indignum, nempe ad genuinam ſanguinis depurationem non tantùm neceſſariam eſſe illam quarundam partium ſecretionem, quæ per *fæces* fit, ſed requiritur etiam ut ſecernentur aliæ, tanquam *flores*, id quod in aliis etiam liquoribus opulentis atque heterogeneis quotidiè cernimus. Itaque ſi Diarrhœæ nimium indulſeris, mediam ſolummodò depurationem, tantoperè expetitam, procurabis, atque etiam forſan, quod poſtremo in loco rejiciendum erat, primò excernetur. Fateor equidem ſeparatione illâ per flores jam factâ (quæ, ut obiter id attingam, ſenſim, & ſine ſenſu peragi ſolet, atque plerumque paulò pleniori διαπνοῇ potiùs, quàm ſudore manifeſto) Diarrhœam, ſi fortè acciderit, periculi non multum interminari: Sciendum tamen eſt, illam tum non aliundè accidere, quàm quòd purgatio ſubducendis fæci-

bus dicata, non opportunè exhibita fuerit, quæ quidem fæces morâ suâ fermenti alicujus maligni indolem adeptæ, intestina jam ad excretionem irritant, stimulantque; ut omittam dicere, liquidissimam illam excrementorum consistentiam (tali enim formâ plerumque visuntur) satis indicare ea pro criticâ morbi solutione habenda non esse.

Forsan etiam inter symptomata Febribus supervenientia recenseri potest * *Iliaca passio*, eo quod vomitus enormes qui initio Febrium accidere solent, huic occasionem quandoque subministrent.

Horrenda hæc affectio est & huc usque omnium fere judicio funesta, ex intestinorum motu inverso, ac præpostero originem ducens. Nimirum intestinorum fibræ, quæ à superioribus versus inferiora contrahi debent, contrahuntur ad superiora, & quæcunque in intestinis continentur non versus alvum, sed ventriculum protruduntur, & impetu facto ad os regurgitant; adeò ut Enemata, quantumcunque acria, Emetica evadant, ubi etiam Cathartica per os assumpta per vomitum subito excernuntur. Et, mea quidem sententia, exquisitus ille, ac intolerandus dolor huic morbo superveniens, non aliunde oritur, quàm ex præposteto intestinorum motu modò dicto. Cùm enim sinus illi quos multiplices intestinorum circumvolutiones constituunt, ita à naturâ formati sint ut ad descensum fæcum quàm aptissimè conducerent, cum ji, inquam, motui suis fibris contrario cedere cogantur, exoritur inde prædictus dolor; qui quidem uni parti instar terebelli infigitur, cum aut valvula quæ ad initium coli apposita excrementorum ad ileon regressum impedit, aut alia quævis membrana ad sinum pertinens, vim hujus præposteri impulsus sola sustinet.

Hujus verò inversionis, unde dolor ille exoritur, duplicem causam assignare licet. Obstructionem nempe, vel irritationem.

Primò igitur quæcunque intestina vehementer obstruunt, ut nihil per inferiora descendere valeat, hunc contrarium in intestinis motum ut producant necesse est, & nemini non notum. In horum censum ab Authoribus referri solent fæces induratæ, flatus crassi magnâ copiâ collecti, ac intestina velut in nodum convolventes, constrictio intestinorum in hernia, inflammatio denique, aliique tumores magni, qui cavitatem internam intestini occludunt. Interim verò haud negandum, quòd motus contrarius hisce causis originem debens, potius ingestorum, quàm intestinorum motus habendus, neque hæc totius intestinorum ductus inversio est, sed illorum tantùm, quæ supra sedem istius obstructionis sita sunt. Quam ob causam *affectio iliaca* hinc profecta a me *notha* appellatur.

Secundò verò opinor, quòd in affectu iliaco causa inversionis peristaltici intestinorum motus ut plurimum ita se habet. Nimirum ex tumultuante sanguine in Febre nuper concepta, in ventriculum & proxima intestina deponuntur humores acres & maligni, ex quibus ventriculus primò motum suum invertere, ac violento impetu materiam molestam in eo contentam per os rejicere cogitur: Ventriculi tandem motui validiori intestina *tenuia* ipsi contigua

nua jam debilitata cedunt, & cum his demum *majora* in consensum trahuntur, vomituriente ventriculo quasi choream ducente. Hunc affectum *verum ileum* voco, & ille hujus loci est. Methodus eum curandi hactenus ferè incognita fuit, quicquid nonnulli jactent de usu *argenti vivi*, & *globulorum*, quæ præterquam quòd parum conducunt, noxam sæpè haud contemnendam inferunt. Ego cum felici successu hâc methodo utor.

Quando liquet ex Clysteribus per os rejectis & aliis signis verum esse ileum tunc in hæc tria enitor: 1. Ut contrarius iste ventriculi motus, qui similem motum in intestinis efficit, impediatur. 2. Ut intestina acri humore debilitata corroborentur. 3. Ut ventriculus ac intestina ab istis humoribus liberentur. Quibus indicationibus ut satisfaciam, curationem hoc ritu instituo: Primò *salis absinthii* ℈j. ex cochleati uno *succi limonum* mane, & serò sumendum præscribo, intermediis verò temporibus *aquæ menthæ stillatitiæ* sine saccharo, aliove quovis additamento cochlearia aliquot bis quâque horâ propino, cujus vel solius repetito usu & vomitus & dolor ex eo natus subitò evanescent. Dum hæc fiunt *catulum viventem* nudo ventri indesinenter accumbere jubeo. Postquam verò dolor cum vomitu per spatium bidui triduive omninò cessaverit, tum *pil. coch. maj.* ℥j. *in aqua menthæ* dissolutam exhibeo, quam etiam aquam (quò certius vomitûs recursum prævertam) toto catharseos tempore sæpius sumendam injungo. Neque catulus removendus, antequam usum pilularum æger aggrediatur.

Observavi frustra pilulas istas vel quodvis aliud catharticum, utcumque forte propinari, donec ventriculo corroborato, atque adeò ad motum naturalem reducto intestina etiam ad proprium motum æque reducta fuerint. Aliàs enim cathartica omnia intus assumpta emetica evadent, & plus damni quàm commodi inferent. Inde est quod remediis purgantibus viam facere non aggredior donec per spatium quoddam medicamentis istis ventriculum respicientibus usus fuerim.

Victum valde tenuem ægro præscribo, ita ut nonnisi cochlearia aliquot jusculi ex pullo Gallinaceo parati sorbenda bis vel in die permittam. Interim verò ut per totam ægrotationem in lecto decumbat jubeo, donec perfectæ sanationis signa appareant, ac etiam post sanationem per longum tempus in prædictæ aquæ usu persistere & laneis duplicatis ventrem à frigore bene defendere impero, quo minus recidiva fiat, cui hic affectus præ omnibus aliis est obnoxius.

Pauca hæc universam meam in curando hoc affectu methodum exhauriunt, quam à nemine consulto ob simplicitatem suam & splendidioris sive verborum, sive pharmacorum apparatus defectum, aspernatum iri confido.

Atque hæc sunt illa symptomatata, quæ in febre hac occurrere solent. Sunt autem & alia quædam, quibus memorandis nunc supersedebimus, partim quidem, quoniam ea minoris momenti sunt; partim verò, quod peculiarem nullam curationem postulent, febre enim ritè tractatâ sponte suâ cessant.

De *Febre continuâ* hujus Constitutionis, ac de symptomatibus ejus hactenus.

CAPUT V.

Febres Intermittentes Annorum, 1661, 62, 63, 64.

QUandoquidem, ut jam ſumus præfati, quæ prædictos annos omnes Conſtitutio pervaſit, producendis omnium generum *Intermittentibus* tam egregiè favit, quas tum de illis feci obſervationes haud indiligentes, hîc impertiam: Addam inſuper & quæ de paucis illis intermittentibus obſervavi, quæ ab illo deinceps tempore ſporadicè contigerunt, quò minus orationis filum inſequentium deinceps annorum hiſtoriam complectentibus, cogar intercidere.

Primo loco quo naturam illarum atque genium conjectura ſaltem aſſequamur, advertendum eſt, quòd in paroxyſmis Febrium intermittentium hæc tria tempora ſpectanda ſunt. 1. Tempus *Exhorreſcentiæ*. 2. Tempus *Ebullitionis*. 3. Tempus *Deſpumationis*. Et quidem ad *exhorreſcentiam* quod attinet [ut de his rebus ſummatim loquar] ego illam exinde oriundam arbitror, quòd materia Febrilis, quæ nondum turgeſcens à maſſa ſanguinea utcunque aſſimilata fuerat, jam tandem non ſolùm inutilis verùm & inimica naturæ facta, illam exagitat quodammodo atque laceſſit, ex quo fit ut naturali quodam ſenſu irritata & quaſi fugam molita, *rigorem* in corpore excitet atque *horrorem*, averſationis ſuæ teſtem & indicem. Eodem planè modo, quo potiones purgantes à delicatulis aſſumptæ, aut etiam toxica incautè deglutita, horrores ſtatim inferre ſolent, aliaque id genus ſymptomata. Natura itaque hoc pacto irritata [ut ad tempus *ebullitionis* jam tranſeamus) quò faciliùs hunc hoſtem à ſuis cervicibus depellat, *fermentationem* aggreditur, ſolemnem nempe machinam, quâ in Febribus & quibuſdam aliis acutis morbis uti conſuevit, cùm ſanguinis molem ab inteſtinis inimicis liberare conetur: hujus enim efferveſcentiæ beneficio disjunctæ peccantis illius materiæ partes, quæ ſanguini æquabiliter admixtæ fuerant, aggregari quodammodo incipiunt, atque adeò leviori operâ ſubigi poſſunt, ut ad deſpumationem opportunæ evadant. Et quidem ut hoc fiat, vel ex eo plurimum referre conſtat, quod qui ex Febribus Intermittentibus moriuntur, ſiquidem in paroxyſmo pereant, in primo illo tempore [*exhorreſcentiæ* ſcilicet] fato fungantur, nam ſi ad tempus efferveſcentiæ pertigerint, ſaltem pro illa vice non moriuntur. Atque per hæc duo tempora res ægrorum in anguſto verſantur; quibus elapſis, tertium tempus, quod *deſpumationi* dicatum eſt, inſequitur, quo ſuccedente ſymptomata omnia primo leviora fiunt, atque tandem planè evaneſcunt. *Deſpumationis* autem nomine nihil aliud ſignificatum volo, quàm materiæ Febrilis jam ſubactæ, & quaſi devictæ, expulſionem, ſeu ſeparationem; atque illud quod ſeparatur, partim (ut in aliis liquoribus cernere licet) *florum*, partim *fæcum* rationem & ſortem obtinet.

His ita poſitis, videamus quomodo fiat, ut redeat Paroxyſmus, quando quidem ægrorum ſors in vado jam conſtituta videtur. Nimirum Febrilis ma-

teria nondum tota emigravit, sed quemadmodum apum Embrya statis temporibus sensim succrescunt, ita latens hæc materia pro typorum ratione denuò caput effert, ac novum negotium naturæ facessit, idem stadium decurrens, quod in præcedentibus modò ostendimus. Nunc autem si quis à me causam quæsiverit, cur fomes ille deliteſcens efferveſcentiâ præcedenti non satis subactus, ac proinde cum reliqua materia peccante non expulsus, proindeque novas tragœdias daturus, non eodem modo in omni Febre intermittenti progrediatur [nam nunc unum, nunc duos, nunc tres dies exigit, priusquam ad maturitatem perveniat, novumque Paroxysmum excitet,) de hac re, inquam, si quis mihi negotium exhibeat, ego plane me nescire fateor. Neque verò quisquam alius, quod sciam, in hac causa tàm præclarè se gessit, ut arcanum hoc opus naturæ satis enarrasse videatur. Ego Philosophi nomen non ambio, & qui titulum illum se mereri existimant, atque me fortassis hoc nomine cul pandum putabunt, quòd in hæc penetralia non irrumpere conatus sim, moneo illos, ut in aliis naturæ operibus, quæ ubique nobis obſervantur, vires suas experiri velim, antequam aliis dicam scribant. Libenter enim quærierim, cur *equus* ad ἀκμὴν suam pertingat septem annorum spatio, *homo* 21. cur in *plantarum* regno, hæc menſe *Majo*, illa *Junio*, ista alio florere soleat, ut innumera alia nunc silcam. Quod si doctissimos quosque viros non pudeat suam ignorantiam in his rebus palam fateri, non video, cur mihi vitio verti debeat, si in re non minus difficili, atque forsitan prorsus inexplicabili, manus ab αἰτιολογίᾳ abstineam: quippe cum persuasissimus sim, naturam non minus hic loci quam in aliis quibuscunque, methodo quadam certa atque ordine progredi: *quartanosa* enim (ut sic dicam) ac *tertianosa* materia non minus naturæ legibus subjacet, jisque regitur, quam alia corpora qualiacunque.

Cum rigore atque horrore in universum *Intermittentes* omnes incipiunt, cui mox calor succedit, atque huic deinceps sudor; Per utrumque paroxysmum, tum illum quo friget æger, tum quo plus satis incalescit, vomiturit ut plurimum, vehementer ægrotat, cum siti & linguâ aridâ, *&c.* Quæ quidem Symptomata, jisdem omnino gradibus recedunt quibus provehitur sudor, quo uberius prorumpente Paroxysmus solvi videtur. Satis rectè valet qui modò ægrotabat, donec Paroxsmus periodo sibi consueta denuo recrudescat; in *Quotidianâ* scilicet quolibet νυχθημέρῳ, in *Tertianâ* alternis diebus, in *Quartana* tertio quoque die, calculatione videlicet facta ab unius Paroxysmi initio, ad initium subsequentis. Licet haud rarò ingeminentur posteriores duo, ita ut Tertiana quolibet die invadat, Quartana per duos dies continuos, tertio quidem ab insultu libero manente; quandoque etiam ter tribus diebus continuis infestet, cùm *Triplex Quartana* est, morbo ab isto, quem primum assumpsit, Typo nomen sortiente.

Quæ sanè Paroxysmorum reduplicatio nonnunquam à materiæ Febrilis excessu activitateque nimia producitur, quo in casu Paroxysmus *adventitius primarium* antevertit; nonnunquam etiam à virium prostratione, cùm in Ægro nempe nimium illæ fuerint dejectæ, & Paroxysmi vigor retusus, sive refrige-

frigeratione intenſiore, ſive etiam evacuationibus præter modum effuſis: in hoc verò caſu cum Paroxyſmus adventitius primarium inſequitur, mitius inſuper, neque ita prorſus diu atque alter ægrum affligit. In priore inſtantia, materiæ turgeſcentia ſive ὀργασμὸς tardiùs revertentem & ſibi debitam periodum nequaquam præſtolatur, ac proinde aliquanto præmaturius deſpumatione ſua defungitur: in poſteriore autem cum ſanguis non jam ea vi polleat, quæ materiæ Febrili uno impetu excutiendæ ſufficiat, mox alium de novo Paroxyſmum ſubſtituit, quo ejus reliquias è ſinu ſuo exturbet. Quinimo è duabus hiſce cauſis ſibi invicem adverſantibus fortè etiam pendet tam Paroxyſmorum Anticipatio in Febre Intermittente ordinaria atque regulari, quàm eorundem tardior acceſſio; quarum utraque in his Febribus frequenter occurrit, quæ νυχθήμερον omne percurrunt, vel ſolitum Paroxyſmi tempus antiçipantes, vel eò ſerius accedentes.

Febrium autem Intermittentium quædam *Veris* ſunt, quædam *Autumni*: quamvis enim in tempeſtatibus intermediis nonullæ oboriantur quoniam tamen illæ & minus frequentes ſunt, & ad prædictas reduci poſſunt [illas nempe quibus magis appropinquant id circo omnes ſub duobus hiſce generibus, *Vernalibus* nempe, atque *Autumnalibus*, complectar. Tempora ad quæ particulariter ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ referuntur, menſes ſunt *Februarii*, atque *Auguſti*; licèt quandoque maturius invadant, tardius etiam nonnunquam; prout ſcilicet uberior parciorve in aëre apparatus, vel ad eaſdem producendas facit, vel officit, & ex conſequenti magis etiam minuſve Epidemice deprædantur. Cujus rei exemplum habemus ſatis obvium in Febribus Intermittentibus Autumnalibus Anni 1661. quo anno memini fœminam quandam ædibus meis vicinam primo Quartanæ ſuæ Paroxyſmo, ipſo ſcilicet *Johannis feſto* correptam fuiſſe. Et complures alii circa idem tempus præmaturum Febribus illis correpti fuere, quæ poſtmodum adeo Epidemicæ evaſerunt; quod argumento eſt magnum tum fuiſſe in iſtâ quæ tunc obtinebat aeris temperie, ad iſtos morbos apparatum, qui deinceps procedente anno ſtipatiores graſſabantur.

Et quidem uſque adeo neceſſaria eſt hæc Febrium diſtinctio, ut niſi eandem in praxi ſedulo contemplemur, neque de earum duratione prognoſtico aliquo rite facto quicquam pronunciare, neque quomodo regimine ægrorum corpora curare poterimus, habita tum tempeſtatum, tum naturæ Febrium diverſæ ratione. Verum quidem eſt Febres utriſque tempeſtatis ingenium non planè diſſimile nanciſci, ſive modum ſpectes primi inſultus, qui cum horrore primùm incipit, mox in calorem erumpit, ac tandem per ſudorem ſolvitur; ſive typorum diſcrimina, quorùm reſpectu quædam *Tertianæ* ſunt, tum *Vere*, tum etiam *Autumno*. Interim tamen non dubito, quin Febres iſtæ totâ ſuâ naturâ ſive eſſentialiter diſtinguantur.

Atque ut de * *Vernalibus* primò dicam, illæ ferè omnes vel *Quotidianæ* ſunt, vel *Tertianæ*, & vel ſerius, vel ocyùs ingruunt pro vario tempeſtatis apparatu. Nam per brumale frigus ſpiritus concentrati vires in ſuo receſſu ſibi ac

* *Intermittentes Vernales.*

quirunt, quos appropinquantis postea solis calor jam vegetos evocat, qui cum viscidis humoribus (minùs tamen viscidi sunt hi, quàm quos in Autumno prægressi fervores excoxerunt ac torrefecerunt) commissi, quos durante hyeme natura in sanguinis massâ congesserat, dum avolare nituntur implexi detinentur, & quasi irretiti, adeoque vernam hancce ebullitionem concitant. Eodem plane modo quo vasa cerevisia repleta atque in arena vel cella frigida diutius reposita, si igni admoveantur, tumultum statim concipiunt, & liquor ad volatum pronus est. Sanguis hoc modo affectus purgationem sui molitur, atque spirituum volatilium ope negotium hoc sat cito peragit, nisi forte nimia viscidorum succorum vi instructus fuerit, qui fermentationem cœptam remorentur, & licet hoc ipsum accidat, effervescentia tamen verna raro continua, suique similis manet, verum dissilire atque in diversos Paroxysmos quasi findi solet. Sanguine enim opulentis hisce spiritibus jam turgido, natura negotium suum quasi præceps aggreditur, & quarundam partium secretionem admodum perfectæ solutionis per Paroxysmos particulares peragit, priusquam universali separatione defungatur, Atque hæc mihi quidem ratio non inidonea videtur, quod verna tempestate, præsertim illa quæ æstatem propius attingit, paucæ Febres continuæ occurrant, nisi forte constitutio fuerit Epidemica. Fermentationes enim tunc temporis obortæ vel subito consopiuntur, vel ad intermissionem properant; vel denique partes humorum ad separationem proniores, præmaturè & cum vi quadam alio transferuntur; ex quo mox *Anginæ*, *Peripneumoniæ*, *Pleuritides*, aliæque id genus pestes succrescunt, quæ desinente potissimum Vere caput suum exerunt.

Animadverti *Febres Intermittentes Vernales* rarissime fuisse diuturnas, semper verò salutares; ita ut vel maxime senex, vel debilis quispiam, officiosissima damnosissimaque imperiritissimi cujuslibet περιεργία modo probus is fuerit, e medio vix queat tolli. Contigit mihi tamen videre *Tertianas Vernales*, quæ ob Phlebotomiam, & Catharsin indebite celebratas, & regimen insuper cum morbo malè quadrans, moras traxere etiam usque ad tempus illud quo Autumnales solent invadere; quæ tempestas cum hujus morbi genio sit admodum contraria, eundem continenter extinguit; Ægro interim frequenti Paroxysmorum reduplicatione, & duratione longiore ita penè confecto, ut in extremis versari videatur; quæ nihilominus (quatenus mihi hactenus observare licuit) semper est eluctatus Neque in convalescentibus ab hoc morbo mihi adhuc subiit videre gravissima illa symptomata quæ, ut infra dicetur, intermittentes Autumnales diuturniores sequuntur; *Lethalem* intelligo *tonsillarum inflammationem*, *ventrem induratum*, *tumores Hydropicos*, &c. Plus semel tamen adverti ægros à morbi diuturnitate, & Paroxysmorum ingeminatione [accedentibus ad malorum cumulum evacuationibus repetitis] ad summam debilitatem redactos, ubi primum cœperint convalescere, in *Maniam* incidisse, quæ pari cum illo passu recessit, quo eorundem vires de novo redintegrabantur.

Intermittentes vero *Autumnales* longè aliter se habent. Primò enim

Tertiana, licèt quibus annis Epidemica non est, & sanos invadit, citò nonnunquam se proripit, neque pluribus stipatur Symptomatis, quam quæ Verno tempore contingere solent Tertianæ; ubi tamen Epidemice grassatur, & ætate provectiores, aut pravos corporis habitu præditos ferit, haud vacat periculo; quin etiam ad menses duos, vel tres, fortè etiam in sequuturum usque Ver tyrannidem exercet. Deinde *Quartanæ* & periculosiores sunt, & obstinatiores longe quam sunt illæ de quibus ultimo diximus: Ubi enim natu grandiores impetunt, eosdem paucis adhuc Paroxysmis multatos quandoque jugulant; quo in casu æger tempore *exhorrescentiæ*, ineunteque adeo Paroxysmo ut plurimum moritur, quod jam dictum. Quod si æger in senectutis tantùm fuerit confinio, nec-dum ejus limen prætergressus, licèt non in eodem versetur discrimine ne inter Paroxysmos primo lacessentes luce privetur, haud tamen facile à Febre hac elabetur, nisi vertente anno, appetenteque illo tempore quo primo corripiebatur. Nonnunquam etiam *hæret lateri lethalis arundo*, nec nisi à morte, languescenti decutitur. Quartana interim Typum subinde variat, plurima etiam parit Symptomata, *Scorbutum* v. gr. *Ventrem induratum*, *Hydropem*, *&c.* Juniores vero ferendo huic morbo pares sunt, à quo nonnunquam circa *Solstitium Brumale* liberantur, frequentius tamen non nisi adveniente *Verno Æquinoctio*, vel etiam Autumno insequenti, ubi sc. venæ sectionem aut Catharsin admiserint. Sæpe non sine stupore sum intuitus, infantes tenellos cum hoc morbo per totos menses sex commissos, nec oppressos tamen, sed de eodem, *Herculis* instar pueri, in cunis triumphantes.

Hic notandum, quod cujuscunque demum ætatis aut temperamenti fuerit is qui Quartana corripitur, si quolibet alio vitæ tempore (vel etiam ab hoc remotissimo) eadem semel laboraverit, non diu admodum eum secunda hac vice fatigabit morbus, sed post paucos aliquot Paroxysmos sponte sua solvetur, quod scitu dignum erat.

* *Intermittentium* autem *Vernalium* curationem quod spectat, licet illas suo semper arbitrio permittendas existimaverim, & nihil prorsus movendum, cum nemo quisquam, quod sciam, earum unquam opera satis concesserit; atque ex adverso, qui illas abigere sategerunt, remediis præsertim evacuantibus, id tantum egerint, ut morbus inde confirmatior pertinacius obsisteret, si tamen importuna ægri impatientia medici opem obnixe efflagitet, Intermittentes Vernales variis modis, & quidem cum optato exitu aggredi liçet, uti mihi non infrequenti observatione abunde constitit.

Nonnunquam *Emeticum* tempestive propinatum, ut nempe ante Paroxysmum negotio suo defungi possit, fœliciſſimè succesſit; præsertim si quantitatem mediocrem *Syr. de Meconio*, vel cujusvis Narcotici post finitam Emetici operationem, exhibueris immediate ante Paroxysmi insultum.

Est ubi sanitatem videas restitutam per *diaphoretica*, quæ sudorem in Paroxysmi solutione obortum promoveant, ægro interim optime stragulis cooperto, id quod tantopere, ac tamdiu faciendum est, quamdiu vires ægri patian-

tur

* *Intermittentium Vernalium Curatio*

rur. Atque hoc in Veris Intermittentibus, præcipue Quotidianis, sæpe obtinuit: humoribus enim in hac tempestate non admodum crassis existentibus, solutio alias imperfecta futura, in perfectam adolescit, quod quidem in Autumno nunquam accidit.

Quid quod Clysteris in diebus intermittentibus per triduum vel quatriduum adhibiti beneficio, Tertianas aliquando curaverim.

Interim si ob Phlebotomiam liberiori manu celebratam [quo tempestas ipsa parum cautos facilè inclinat,] vel ob ægri debilitatem antecedaneam spiritus illi qui subito ad despumationem se accingerent, pauperiores facti minus valeant, accidere potest, ut hujusmodi Febres Vernales auxiliis quibuscunque frustra tentatis, Autumnalium, diuturnitatem æmulentur. Sed sane non solent illæ eousque durare, quippe quæ vel sponte sua desinant, vel leviori remediorum ope facile in fugam vertantur.

* *Intermittentes* autem *Autumnales* non tam levi opera se amoveri patiuntur. De illis igitur nonnulla mihi dicenda sunt. Si autumnalis Constitutio fuerit Epidemica, circa *Iunium* adultum solent invadere. Sin minus, *Augustum* præstolantur, & *Septembris initium*: in subsequentibus vero mensibus rarius occurrunt.

Cum earum ingens aliquod agmen simul invaserit, observare licebit earum Paroxysmos plerumque una eademque diei hora contingere, accessionibus nunc prævertentibus, nunc postponentibus, simili planè modo, atque eodem tenore, nisi quod accidere queat ut ordo ille medicamentis adhibitis, quæ retardandi vel præcipitandi vi pollent, in quibusdam corporibus immuteturvel pervertatur.

Observandum est etiam quod in principio Febrium Intermittentium (Epidemicarum præcipue quæ Autumno contingunt) haud ita id proclivi est Typum sub primis Invasionis diebus rite distinguere, quandoquidem Febre continua adscita primum adoriuntur, neque facile est aliquandiu, nisi diligenter adverteris animum, quiquam aliud præter aliqualem morbi remissionem deprehendere, quæ tamen paulatim in perfectam desinit Intermissionem, & Typum anni tempestati apte respondentem.

Typorum ratione vel *Tertianæ* sunt, vel *Quartanæ*. Atque de Quartanis quidem illud merito affirmari potest, eas genuinam esse Autumni sobolem. Utræque profecto ea affinitate inter se connexæ sunt, & sæpenumero vices permutare, saltem ad tempus, deprehendantur, mox fortassis ad pristinum genium redituræ. Sed Tertianæ Vernales Quartanarum typos nunquam induunt, cum toto (ut ita dicam) cœlo à se invicem distingnantur. Neque porro observavi unquam hac tempestate Quotidianam contigisse, nisi quis Tertianam duplicem, vel triplicem Quartanam hoc nomime censuerit ἀκυρολόγως appellandam.

Has autem Febres intermittentes eo fore modo suam originem nanciscì arbitror, quem nunc summatim attingemus; Nempe anno surgente atque progresso, sanguis etiam pro rata proportione exaltatur [haud secus ac vegetabilia quævis augmentis atque declinationibus suis anni cursum referunt]

* *Intermittentes Autumnales* G 2 donec

donec ad ἀκμὴν suam, ultimumque vigorem pervenerit; hinc parallelis motibus cum tempestatibus anni pergens, eo declinante relaxati tandem & ipsè incipit; ac tum præcipue cum ab accidentali aliqua causa promotus fuerit, puta sanguinis immodica jactura, frigore admisso, cibis crudis atque excrementis, balneorum usu intempestivo aliisque non paucis. Jam verò sanguis in hoc decidentiæ statu constitutus impressioni morbificæ cuicunque obnoxius est, quam in illum faciet quælibet aeris constitutio quæ hoc tempore dictis Intermittentibus est Epidemica. Atque huc spectat ebullitio mox inducta, qua liquorem sanguineum quandoque valde degenerem corripiente, Febris inde oriunda mali moris esse solet, & malignis atque horrendis symptomatibus plenissima. Illud utcunque accidit ut sanguis spiritibus suis magnam partem exutus, & ab æstate præcedenti plurimum adustus, ebullitione sua non nisi tardissimis motibus defungatur, suæque despumationi longissimam periodum postulet.

Jam vero ut manifestum evadat quam difficulter hæ Febres (Autumnales puta) curationem admittant, hoc loco perpendendum est: Continuarum hujus tempestatis, atque intermittentium discrimen in eo maximè versari; quod *Continuæ* conceptam semel effervescentiam συνεχῶς unoque tenore perficiant, *Intermittentes* autem partitis vicibus ac diversis temporibus eâdem defungantur. Interim in utrisque fermentatio naturæ ductu peragitur spatio horarum 336. aut circiter, neque enim citiùs aut tardiùs massa sanguinea in humano corpore ordinario repurgatur, si negotium naturæ permiseris: haud secus ac pomatium suam, vinum atque cerevisia suam, ac peculiarem habet periodum, quâ depurentur. Quamvis autem in Febribus intermittentibus sanguis nonnunquam (ut in Quartana contingit) sex mensium spatio despumationem suam moliatur, ac tandem perficiat; non tamen (si ritè calculum ponas) plus temporis in eadem absolvenda impenditur, quàm quod in continuis impendi naturaliter solet; quatuordecim enim νυχθημέρια, sive dies naturales efficiunt horas 336; tribuendo nempe horas quinque cum dimidia cuilibet Paroxysmo Quartanarum, habebis in Quartana valorem 14 dierum, h. e. horas 336. Jam si quis dixerit quartanam, verbi causâ, [eadem enim reliquarum intermittentium ratio subintelligenda est) ultra sex mensium spatium aliquando excurrere, antequam periodum suam absolvat; respondeo, idem etiam non rarò in continuis Febribus hujus constitutionis spectari, quæ sæpe ultra dies quatuordecim protrahuntur: in utroque nimirum casu si effervescentiam [præsertim circa Februm finem] ritè atque ordine decurrere, ac sustineri vegetam curaveris, despumatio intra prædicti temporis spatium, hoc est, quatuordecim dierum, vel 336. horarum peragetur: quòd si verò effervescentiam illam seu fermentationem refrigerantium medicamentorum, aut Clysterum usu tunc temporis (scilicet versus Februm declinationem) importune inhibueris, & quasi frænum illi injeceris, mirum non est, si in longum evagentur, ordine quippe naturæ perturbato. Namque hoc modo relaxatur quodam modo sanguinis humani tonus, unde se ad despumationem accingere

cum

cum effectu nequit. Imò verò in Corporibus debilibus & effœtis idem aliquando vel ſponte accidit, niſi cardiacorum ope naturam in illis languentem adjuveris, quo ſanguini deſpumando par ſit.

Verùm illud hîc jam porrò notandum arbitror, ea quæ de fermentationis ſpatio atque continuatione ſuprà tradidimus, de illis ſolummodo Febribus intelligenda eſſe, quæ ſtatam quandam naturam atque habitum nactæ ſunt. Sciendum enim eſt, neque me præterit, Febres quaſdam eſſe, tum continuas tum intermittentes, quæ tranſeuntis & incerti genii ſunt, neque in ſuis effervescentiis ad deſtinatam periodum pertingunt. Hujus generis ſunt quæ à levi aliqua offenſa ex ſex rerum non-naturalium, quas appellant, ut cibi, potûs, aëris, & his ſimilium, abuſu, nonnunquam ortum ducunt, his enim morbis correpti ſubitò ſæpe convaleſcunt. Idem etiam adoleſcentulis, ſanguine puro, ac multis ſpiritibus referto præditis, aliquando accidit: nimirum Febres illorum ſpirituosâ quâdam ac nimis tenui, volucrique materiâ, fermentationes ſuas citiùs perficiunt, ac celeri gradu ſpatia ſua emenſæ evaneſcunt. Ad fermentationem enim illud primò requiritur, ut materia fermenteſcibilis, ſive illa ſanguis ſit, ſive vinum aut alius aliquis liquor quilibet, eâ tenacitate & viſcoſitate polleat, ut ſpiritus implexos, atque irretitos eatenus detinere valeat, ut in liquoris maſſa moveri atque agitari poſſint, eodem ferè modo, quo aves viſco captæ, aut muſcæ atque apiculæ melle detentæ, motitare quidem, & murmura ſua peragere poſſunt, avolare interim non valentes. Neque tamen, (ut obiter illud dicam) eam tenacitatem obtinere debent liquores memorati, ut ſpiritus prorſus obruant opprimantque, adeò ut non omnino moveantur.

His jactis fundamentis (quæ quidem neſcio an aliis, mihi certè ratione non contemnendâ niti videntur) mirum non erit, ſi illis non aliam medendi methodum ſuperſtruam, quàm quæ in Febribus continuis ad deſpumationis debitum opus ritè perficiendum, adhibenda videatur: cùm nimirum illæ à continuis nullo diſcrimine ſejungantur, ſi ordinem ſpectes, quo natura earundem materiam expellere ſolet, ſcilicet per effervescentiam certâ periodo comprehenſam. Etſi quod ad earum ſpeciem, atque naturæ proprietatem attinet, illas & à continuis, & à ſe invicem plurimùm differre non diffitear. Itaque vel methodum, quâ ſe natura liberare ab hoc morbo ſolet, cautè ſollicitéque obſervando indicium ſumere oportet, quo fermentationem obortam acceleremus, atque ita ad ſanitatem ægros perducamus; vel in ipſam cauſam ſpecificam penetrando, danda erit opera, ut remediis efficacibus ac ſpecificis morbo obviam eatur. Ab horum alterutro indicationes ſumendæ ſunt. Ego utramque viam ingreſſus aliquando fui, atque illæsâ (uti opinor) verecundiâ profiteri poſſum, non ſine ſumma cura atque attentione animi indefeſſa, ſed nondum eam felicitatem adeptus ſum, ut Autumni Febres intermittentes certâ aliquâ praxi atque medicandi ratione tollere poſſim, antequam ſtatas illas Fermentationes [de quibus ſuprà locuti ſumus] peregerint, utcunque moleſtum hoc febricitantibus videatur; qui eouſque ſanitatem ſuam expe-

ctare inviti coguntur. Revera autem siquis inter mortales reperiatur, qui sive methodo aliquâ certâ, sive remedio specifico adhibito, Febrium harum intermittentium cursum non solùm inhibere, sed etiam omninò abrumpere novit, existimo eum omni jure teneri, ut humano generi rem illam summopere expetendam patefaciat: quod si non fecerit, ego illum nec boni civis, nec prudentis viri nomen mereri pronunciare ausim; neque enim civis boni est, illud in rem suam vertere, quod toti generi humano tàm ingens beneficium apportet, nec viri prudentis, divinâ benedictione semetipsum privare, quàm à summa bonitate liceret expectare, si ad publicum bonum promovendum se accingeret. Honoris autem ac divitiarum longè minor apud probos, ratio habetur, quàm virtutis & sapientiæ.

Quantumlibet autem fuerit difficile, Intermittentes has Autumnales certò fugare, tradam tamen quicquid ad earundem curationem præ reliquis facere mihi visum est.

* Intermittentium Autumnalium curationem non sine ingenti discrimine per Catharsin tentari, [nisi eo, quem mox dicemus, modo instituantur] præsertim vero per Phlebotomiam, frequentis nimis observatione jam olim didici. Etenim in Tertianis [maximè si ea Constitutio admodum fuerit Epidemica] hâc methodo sanandis, nisi Chirurgi gladiolus eodem ictu, quò venam pertundit, ipsam etiam Febrem confodiat, dictæ Febres, etiam in vegetioribus & Athleticè cætera valentibus, non nisi longò temporis tractu expugnari se patiuntur: in provectioribus autem diutinum Febris cruciatum tandem etiam mors excipit, quam præ foribus jam esse haud rarò denunciat lethalis illa Tonsillarum inflammatio, cujus fecimus mentionem. Adde, quòd Venæsectio alia etiam symptomata illa maturiùs accersivit, quæ Febres Autumnales Intermittentes in statu declinationis vel comitari diximus, vel à tergo sequi. Quartanariis verò in tantum obest Phlebotomia, ut Juvenes, qui à morbo alias intra sex menses fuissent liberati, per sex adhuc alios ab eodem detineantur: Ætateque provectiores, qui nisi sanguinem detraxissent, intra annum poterant sanari, morbum etiàm ultra statum illud tempus alere periclitantur, ac denique ab eodem victi succumbere. Quæ de venæsectione jam dixi, levi operâ ad Catharsin possunt transferri, nisi quòd hæc non usque adeò pernicioſa sit, nisi crebrò repetita.

Intermittentes Tertianas Autumnales hoc pacto aggredior. Ægro in lectulo composito, & stragulis undiquaque cooperto, sudores provoco sero lactis Cerevisiato, cui Salviæ folia incocta fuere, quatuor circiter horis ante Paroxysmi adventum; quibus jam obortis mox præcipio, ut devoret ℈ij. *Pilularum Cochiarum majorum* solutarum in ʒj. sequentis misturæ. ℞. *Aq. vitæ* ℔ij. *Theriac Andromach.* ʒiij: *Croci Angl.* ʒj. *M.* stent simul pro usu. Hæc ubi assumpserit, in sudoribus continuo eliciendis persistat, donec elapsæ fuerint aliquot horæ ab illo tempore, quo Paroxysmus ingruere debuerat, magnâ cum cautelâ se muniens contra illas sudationis interruptiones, quas illi fortè creabunt dejectiones aliquot à medicamento Cathartico profectæ. Sæpiùs

mihi ex animi voto cessit medicamentum hoc in fugandis Tertianarum Paroxysmis, quàm usu receptum illud ad eundem scopum tendens, Decoctum sc. *Rad. Gentian. Summit. Centaur. &c.* cum pauca *Sennæ* atque *Agarici* quantitate. Cùm enim duos illos contrarios sudandi ac dejiciendi motus eodem tempore excitet, eundem cum vulgari isto effectum obtinet, ordinatum scil. Paroxysmi processum confundendo atque interturbando; idque efficacius, nec tamen tuto minus. Atque hac sanè methodo Intermittentes Autumnales Tertianas benè multas pepuli; necdum præstantiorem alium experiri his annis mihi licuit.

In *Tertiana duplici*, quæ Typum variavit, ob Ægrum vel evacuationibus vel alio quovis modo debilitatum, sudor pari etiam modo provocandus, & pari temporis intervallo à futura Paroxysmi invasione, vel medicamento jam laudato (omittantur verò *Pilulæ Cochiæ*, cum nec tutum sit, nec ad rem faciat, Cathartico jam ab eodem fractas ægri vires amplius dejicere, & Paroxysmis ejusdem ope ingeminatis suppetias ferre] vel diaphoretico alio aliquo ἀγρυπνοτέρῳ atque efficaci, quod etiam repeti potest Paroxysmo genuino proxime subsequente: In summa ægri debilitate à dicta Paroxysmi ingeminatione Electuarium, quod jam sequitur, præscribo: ℞ *Conserv. fl. Borag. Buglos. an.* ℥j. *Conserv. Anthos.* ℥ß *cortic. citri condit. Nucis Mosch. cond. Theriac. Andromachi a.* ʒiij. *Confec. Alkermes* ʒij. *M. F. Opiata*, de qua capiat ad magnitudinem avellanæ mane & vesperi, superbibendo cochl. 6. sequentis Julepi ℞ *Aquæ Vlmariæ & Theriacalis stillat. an.* ℥iij. *Syr. Caryophil.* ℥j. *M.* vel hujus loco Aquam aliquam Epidemicam simpliciorem saccharo dulcoratam exhibeo, interdicto Enematum usu; ægro Jusculà è pullorum carnibus, Avenacea, *&c.* concedo.

Quartanarum quod attinet Curationem, nemo est, opinor, in hac arte vel mediocriter versatus, qui nesciat quam parum votis respondeant methodi istæ omnes, quæ huic medicorum opprobrio eluendo hactenus destinantur, si *Corticem Peruvianum* excipiamus, qui tamen inducias sæpius impetrat morbo, quam eundem debellat, cum postquam ad septimanas duas vel tres delituerit, magno cum ægri emolumento, qui ab illo male multatus paululum interim respirat, mox de novo recrudescens haud segnius quam prius lacessit; atque ut plurimum, quotiescunque demum repetatur illud medicamentum, non nisi longo temporis tractu expugnatur. Referam tamen quicquid de methodo ejusdem exhibendi habeo compertum.

Curandum est ante omnia ne præmaturæ nimis hic Cortex ingeratur, ante sc. quam morbus suo se marte aliquantisper protriverit (nisi collabescentes & jam fractæ ægri vires eundem tempori ùs sumendum esse dictaverint) neque enim illud solum est metuendum, ne à præpropero ejus usu inefficax iste reddatur, & spem ægri fallat, sed etiam ne de ægri vita agatur, si sanguini omni fermentationis nisu se despumanti eam derepente injiciamus remoram. Proximo loco, neque Catarsi, multò minus Venæ-sectione, subducenda est materiæ Febrilis pars aliqua, quo liberiùs cortex suo fungatur munere: cùm enim ab utraque labe-

descent Paroxysmi, evanescente semel pulveris vi. Mihi etiam magis è re fore videtur, ut sanguinem dicto medicamine sensim, longioreque à Paroxysmis intervallo leviter inficiamus, quàm ut uno omninò ictu Paroxysmum jam instantem tentemus confodere; hoc enim pacto & plus temporis remedio conceditur, quò suum opus plenius absolvat, & evitatur quicquid id est periculi, quod ægro poterit oriri ex subito isto atque intempestivo nimis sufflamine, quo Paroxysmum jam invalescentem, atque omni se ope exerentem conamur opprimere. Postremò brevibus istis temporis intervallis repetendus est pulvis; ut non protinus evanescat priore dosis virtus, antequam altera exhibeatur: crebrâ enim repetitione istâ ἰυξία tandem recuperabitur, profligato in solidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono: *Peruviani corticis* ℥j. *cum Syrup. Rosar. rubr.* ℥ij. misceatur; æger verò quantitatem Nucis moschatæ majoris manè & serò quotidiè devoret diebus à genuino Paroxysmo vacuis, donec confectionem omnem absumpserit. Repetatur porrò ad très alias vices interjectis semper diebus quatuordecim.

Neque fortè cum minori fructu usurpari poterit cortex hic in Tertianis, quâ Vernis, quâ Autumnalibus, quàm in Quartanis, adhibetur. Sed ut vera loquamur, nec Artem ἀπροσδιονύσως ostentemus; Si harum Febrium alterutrâ correptus æger vel infans sit, vel ætate floreat, convenit omninò [quantum ego hactenus edoctus sum] nihil medicamentorum quorumvis ope, aut aëris, ac diætæ mutione moliri: Nihil enim hinc mali natum hucusque intellexi, si modò totam rem naturæ permiserim. Id quod ego non sine admiratione, præcipuè in infantulis, sæpè observavi; sanguine namque depuratione suâ defuncto, Febres illæ sponte sua evanuerunt. Quod si autem è contrario vel strictiori aliquo regimine utaris, vel medicamenta purgantia subinde adhibeas, [adhiberi scilicet solent eo prætextu, ut obstructiones expediantur, atque humores in primis viis stabulantes exturbentur] vel si, quod præcipuum est, in constitutione Epidemica Venæ-sectio celebretur, fiet ut morbus in longissimum tempus procurrat, atque interim ut ægri mille symptomatis, jisque periculosissimis exponantur.

Si verò febricitantes provectioris ætatis sint; ex utroque morbo (Tertianas dico Autumnales, ac Quartanas (non solùm diuturnitatis, verùm etiam ipsius mortis grave periculum imminet. Hîc itaque Medicum illud agere oportet, si neque cortice *Peruviano*, nec aliâ quâvis methodo morbum submovere valuerit, ut naturæ saltem suppetias ferat, eamque illis adminiculis sublevet, quibus ad negotium suum peragendum opus habuerit. Certè enim in effœtis corporibus, nisi fermentatio cardiacorum, & corroborantis diætæ, ut vini *absinthitis* ac id genus similium, beneficio sustineatur, illud accidet ut ægri incertis atque frustraneis Paroxysmis divexati debilitentur, atque morbus eousque duret, donec languida prius natura Paroxysmo aliquo graviore correpta, ad ebullitionis tempus pertingere non possit, adeoque in ipso exhorrescentiæ tempore diem suum obeant ægroti. Atque hoc in senibus non rarò

usu

usu venit, qui longâ Catharticorum serie debilitati fuerunt, imò, ut aliquando visum est, in ipso vel primorum Paroxysmorum rigore penitus defecerunt, cùm exhibito cardiaco satis forti saltem ad tempus aliquod sustineri potuissent.

Cùm sanguis tempus illud exegerit, quod ad despumationem suam perficiendam requiritur, necessarium est, ut provectioris ætatis ægri eodem ipso tempore, vel paulò antea insignem aliquam aëris mutationem subeant, sive [quod potiùs optandum esset] in calidiorem aliquam regionem commigrando, sive mutando saltem locum, in quo primùm hoc morbo correpti sunt. Mirum sané est, quantum valeat hæc aëris mutatio ad morbum hunc prorsus abigendum. Interim ut ante hunc temporis articulum aër mutetur, non tantùm non necessarium est ad sanitatem ex hoc morbo restituendam; sed & minùs convenit. Etiamsi enim quis in regionem quantumcunque Australem & calidam migraverit, sanguis tamen ejus in morbido hoc motu semel constitutus, depurationem suam ut peragat necesse est; quod quidem beneficii frustra expectabitur ab inusitato novoque aëre, priusquam procedente atque adulto jam sanguinis motu, sanitatis recuperandæ capax fuerit. Insignis ergò illa aëris mutatio tumdemum adeunda est, cùm primùm æger à Paroxysmo liberari potest: Exempli causa: In Quartana, quæ primùm in Autumno invasit, non citiùs aër mutandus est, quàm circa Februarii initium. Interim si æger mutare locum vel nolit, vel commodè nequeat, oportebit ut hoc ipsius temporis articulo, forti aliquo medicamento utatur, cujus eæ sint vires, ut uno quasi ictu languescentem illam depurationem potenter promoveat, & si fieri poterit, perficiat. Ad hanc rem consulerem ego, ut *Electuarii de Ovo* vel *Teriacæ Andromachi* [illegible] *drachma in aquæ Cœlestis*, vel *aquæ Vitæ communis unciis duabus dissoluta exhibeatur*, duabus scil. horis ante paroxysmum. Id quod à me, cum successu non infelici, in morborum hujusmodi declinatione factum est. Licet agnoscam calidiora hæc citius exhibita vel morbum duplicare, vel in Febrim continuam permutare, quod à *Galeno* jamdudum observatum est. Idem in juvenibus hoc morbo detentis fieri potest, cautelâ adhibitâ. Ut autem in puerili ætate idem fiat, non tantùm non convenit, verùm etiam periculo non vacare dudum observavi.

Priusquam huic argumento clausulam addamus, illud monendum venit. Ea quæ de Febrium Autumnalium intermittentium duratione, atque de tempore ad sanguinis despumationem requisito jam dicta sunt, ita intelligenda esse ut nos solum illud nunc spectemus, quod Natura vulgaribus atque usitatis tantùm medicamentis suffulta, præstare soleat. Nequaquam enim eo consilio de his rebus ita locuti sumus, ac si doctos ac solertes Medicos despondere animum velimus, atque vel de melioribus medendi rationibus excogitandis, vel nobilioribus remediis inveniendis spem totam abjicere, quorum ope hujusdi morborum sanationem accelerent; tantum enim ego profectò ab hoc proposito absum, ut non desperem vel à me ipso tale quidpiam sive methodi, sive remedii aliquando repertum iri.

Sublato morbo æger sedulò purgandus est; incredibile enim dictu, quanta

morborum vis ex purgationis defectu post Febres Autumnales subnascatur. Miror autem hoc à Medicis minus caveri, minus etiam admoneri. Quandocunque enim horum morborum alterutrum paulò provectioris ætatis hominibus accidisse vidi, atque purgationem etiam omissam, certò prædicere potui periculosum aliquem morbum eosdem postea adoriturum, de quo tamen illi nondum somniaverant quasi perfectè jam sanati.

Omnino interim cavendum est, ne purgetur æger, nisi morbo penitus depulso. Quamvis enim partes Naturales illuvie istâ, quam in illas congessit Febris, hoc pacto quadantenus sublevari videantur: nova tamen materia derepente succrescet, Febre scil. â Cathartici impetu, atque humorum agitatione jam revocata, eandem suppeditante; ac proinde id tantùm à Purgatione lucri fecerimus, ut morbus contumacior evadat. Quotidiana id nos docent eorum exempla, qui in morbi ἀκμῇ, ut *Theoriæ* isti morem gerant, quæ in tollendis obstructionibus, & evacuando humore melancholico, qui mali fons & origo vulgò habetur, Curationis spem omnem ponit, repetitis purgationibus miserè plectuntur; quibus sanè, quicquid id demum est humorum, quod à corpore divellitur atque eliminatur, compertissimum est nobis Febrem altiores exinde radices agere, & pertinaciùs stationem suam tueri, quàm si non fuerit proritata. Quapropter religio mihi est Catharticum propinare ante tempus illud, quo non tantùm Paroxysmi perceptibiles, sed etiam alteratio ista, qualis qualis ea fuerit, quæ diebus illis, in quos Paroxysmus incidere debuerat, persentiscitur, omninò evanuerint, atque unus insuper mensis fuerit elapsus, quo quidem effluxo Potionem aliquam ex Lenitivis vulgaribus præscribo, atque eandem semel in septimana ad menses duos treve subsequentes repetendam impero; addito etiam singulis vicibus hausto aliquo Paregorico horâ somni assumendo, finitâ jam medicamenti operatione; ut nempe Paroxysmo se de novo ingerendi ansam præscindamus, quæ aliter fortè arriperet ex occasione tumultûs atque orgasmi, quos vel mitissima excitant Cathartica.

Purgationibus instituendis idcirco spatia ista ampla interpono, ut sc. æger à recidivæ metu liberetur, quæ quidem à nimis crebra & confertim repetita sanguinis atque humorum exagitatione, de facili poterat induci. At cùm jam ista res vacet periculo, Apozema sequens frequenter usurpari poterit. ℞. *Rad. Rhabarb. Monachor.* ℥ii. *Rod. Asparag. Bruscі, Petrosel. & Polipod. quer. an.* ℥j. *Cortic. Median. fraxini, & Tamariscі an.* ℥ß. *fol. Agrimon. Ceterach, & capill. Ven. an. M. j. Sennæ mund.* ℥ß. (*irrorat.* ℥iij. *vini albi*) *Epithimi* ℥ß. *agarici troch.* ℥j. *sem. fœnicul.* ʒiij. *Coq. in aqua fontana ad* ℔ ß. *sub finem adde succi aurantiorum* ℥iij. *In colatura dissolve Syr. Cichor. cum Rheo, & Magistral. ad melancholiam an.* ℥ß. *F. Apozema*, de quo capiat ℔ß. singulis matutinis per triduum, & repetatur quoties opus fuerit.

Ut tandem *Symptomata* illa memoremus, quæ Febres intermittentes in declinationis statu comitantur, observandum est, Vernarum pauciſſima esse, si ad illa comparentur, quæ Autumnalibus accidunt, tum quia non ita diu hærent istæ, tum etiam, quia in humoribus non usque adeò terrenis, & minus etiam malignis fundantur.

Pri-

Primum hic sibi locum vendicat, subinde occurrens * *Hydrops*; unde primò quidem Crura intumescunt, deinde etiam venter; qui exinde nascitur, quòd scil. sanguis crebris illis fermentationibus, quas peperit morbi diuturnitas, [præcipue in natu grandioribus] plures Spirituum manipulos prodegit, unde summâ eorundem inopiâ jam laborans, succos cum alimentis ingestos non amplius valet assimilare, quorum cruda adhuc indigestaque moles in crura tandem deponitur, atque his jam distentis, neque ulterius quicquam admittentibus, in ventrem etiam, unde verus Hydrops formatur. Rarò autem juvenes obsider hæc malorum Ilias, nisi Catharcis per Febris decursum sæpenumerò iteratis eandem inconsultò nimis accersiverint.

Verùm Hydrops ex causa memorata superveniens aperientium & catharticorum usu facilè sanatur, si modò recens fuerit. Neque mihi molestum est, quoties hunc natum morbum audio atque intelligo, nempe de rei exitu omnia bona tunc temporis animo concipiens: Nonnullos enim usu Apozematis jam appropriatorum persanavi.

Veruntamen observavi, frustra esse, si quis Hydropem ex Febre intermittenti natum, medicamentis purgantibus tollere conetur, Febre illâ adhuc durante: Febris enim hoc pacto radices profundiùs agere deprehendetur, non autem amovebitur Hydrops; expectandum itaque; donec Febris exulet, ac tum demum negotium prospere suscipiendum.

Verùmenim verò si tàm importunè atque acriter instet symptoma hoc, ut ejus curatio non eo usque videatur differenda, donec Febris recessus Catharticorum usum permittat, aggredienda omninò illa est Infusionibus *rad. Raphani rusticani*; *summitat. Absinthii, & centaurii min. baccarum Juniperi, Cinerum Genistæ*, &c. in vino factis; quæ non solùm huic symptomati obsistunt, effœtas sanguinis vires de novo instaurando, sed naturæ etiam de morbo jam triumphaturæ tempori subveniunt.

* Infantes autem post Febres Autumnales tum Continuas, tum Intermittentes, Hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati, tumentes, ac duri evadunt; sæpe etiam tussis, aliquaque tabidorum symptomata subnascuntur, quæ *Rachitidem* planè mentiantur. Hos ego sequenti modo tractandos consulo. Paretur potio Cathartica quam in Febrium continuarum fine assumendam præscripsi. Hujus capiat infantulus Cochl. j. vel ij. plus minus pro ætate, mane per 9 dies, uno atque altero die, si opus fuerit, intermisso. Interim verò purgatio ita moderari debet ac regi, dosin vel augendo vel minuendo, ut ultra 5 vel 6 sedes singulis diebus non procedat. Post finitam catharsin totus venter inungatur linimento aliquo aperitivo per aliquot dies. Sequenti uti soleo. ℞ *Ol. lilior. & tamarici an.* ℥ij. *Succi rad. brioniæ & apii an.* ℥j *bulliant ad succorum consumptionem, addendo unguenti de althæâ & butyri insulsi an.* ℥j. *gummi ammoniaci in aceto soluti* ℥ß. *ceræ flavæ q. s. f. linimentum.* Sanè quamplurimi infantes, etiam verâ Rachitide laborantes, hâc methodo à me liberati fuerunt.

Verumtamen [ut ante monuimus] cavendum sedulo ne purgationem aggrediamur, nisi Febre jam perfectè fugata; licèt enim hoc pacto humoris in

* *Hydrops.* * *Rachitis.*

partes naturales amandati portio quædam evacuari non sine causa videri possit, nihilominus ab ipsa Febre nova subinde pravæ materiæ copia suggeretur, quæ non solum purgationem redder fruſtraneam, verùm & ipsum morbum diuturniorem præstabit, ob rationes antea memoratas.

Observatu non indignum est, quod cum Febres Autumnales teneram ætatem diu cruciarint, nulla spes sit easdem abigendi, donec abdominis regio, circa lineam præcipue, indurari atque tumefieri occœperit; jisdem enim gradibus quibus hoc symptoma supervenerit, Febris etiam fugam meditatur. Neque forte ex meliori aliquo prognostico morbum hunc brevi abiturum dixeris, quam si sedula animadversione suboriri hoc symptoma perspexeris. Idem porro in crurum tumoribus obtinet, qui in adultis aliquando spectantur.

Ventris tumor qui Infantibus accidit post has Febres, quibus annis aëris constitutio Intermittentibus Autumnalibus progignendis Epidemice determinatur, tangentis digitum haud aliter ferit, ac si materiam aliquam continerent viscera in Scirrhum induratam; cum qui aliis annis simili licet προφάσει, contingit, tactum ita afficit, ceu Tensio tantum foret Hypochondriorum a subjectis flatibus. Hinc nisi annis quibus intermittentes Autumnales præ dominium habent, veræ Rachitides rarius occurrunt, quod observatu dignum.

Tonsillarum dolor & inflammatio post Febres sive Continuas, sive Intermittentes, cum deglutiendi primum difficultate & molestia, supervenientibus deinceps raucedine, oculis cavis, & Hippocratica facie, mortem certo imminentem præmonstrant, interciſa plane omni reddintegrandæ sanitatis spe. Funesto huic symptomati producendo evacuationes justo copiosiores in ægris vi morbi jam ferè attritis, ut & longiorem Febris moram sociam operam ut plurimum commodasse observavi.

* Multa alia sunt accidentia quæ morbos hosce consequi solent ob purgationem vel non omnino, vel non rite celebratam, quibus impræsentiarum enumerandis supersedebimus, cum curationis eadem fere ratio sit ut ubique, nempe sedimenti ab effervescentia præcedanea depositi repurgatio, quippe quod sua mora malis hujusmodi materiam præbuerit. Quanquam licet hic loci non contemnendum symptomatis genus referre, quod non tantum purgationibus & evacuationibus aliis quibuscunque, Venæsectioni præsertim, cedere dedignatur, verum & ab illis vires sibi acquirit. Illud autem peculiaris quædam est ac sui generis *Mania* Intermittentes diuturniores (Quartanas præcipue) nonnunquam excipiens, quæ communem medicandi rationem aspernatur, & post evacuationes fortiores abhibitas in miseram quandam stultitiam degenerans, non nisi cum ipsa ægrorum vita terminatur. Miratusque sæpenumero sum nullam hujus rei mentionem ab Authoribus factam fuisse, cum non raro accidisse viderim. Cum reliquæ Amentiæ species copiosis evacuationibus, & Venæ-sectione, & Catharsi ut plurimum persanentur, hæc neutram potest ferre. Sed cum jam æger in sanitatis limine est, si *vel* Enema ex lacte saccharato semel injeceris, statim de novo recrudescet malum. Et si

* *Maniæ spes quædam.*

reite-

reiteratis Purgationibus, venæ sectioneque contranitamur, ejusmodi evacuationes morbi quidem ferociam possunt domare, ægrum vero certissime non tantum Fatuum, sed & incurabilem omnino reddent. Quod quidem nemo mirabitur, qui secum reputaverit, alteram Amentiæ speciem à nimis exaltata & vivida sanguinis crasi produci, hanc vero ab ejusdem debilitate, & ut ita dicam, vapiditate à diutina Fermentatione quam invexit Febris, qua mediante Spiritus functionibus Animalibus obeundis impares plane sunt.

Huic malo ad hunc modum mederi soleo. Ægro ter in die Cardiacum aliquod è Generosioribus exhibeo dosi paulo liberaliori, e. g. *Theriacam Andromachi. Elect. de ovo. pulverem Comitissæ. pul. Gualteri Raleigh*, vel similem in *Aq. Epidemicâ*, *Theriacali*, vel aliâ. Possunt etiam in aliâ quavis formâ exhiberi Cardiaca medicamenta. Æger interim victu quidem moderato, Analeptico tamen, & Potu generosiore reficiendus est; foras ne exeat, in lecto se diu multumque contineat. Alvus sub hoc regimine justo erit astrictior, unde ut etiam à calidiorum medicamentorum usu à Febre quis sibi metuat, sed vano prorsus timore; cum spiritus antecedente morbo pene exhausti novum deinceps non valeant accendere. Post aliquot septimanas paulatim in melius proficiet, quo tempore omitti possunt Cardiaca ad dies pauculos, Diæta vero Analeptica jugiter instituenda, & post brevem intermissionem repetendus est denuo Cardiacorum usus, atque in eo persistendum donec integra sanitate fruatur.

Dicta methodus *Maniam* etiam quæ has Febres minimè excepit, quandoque sanavit, frigidiori sc. atque infirmiori temperamento præditis. Anno nuper elapso *Sarisburiam* accersebar, ut cum Medico erudito & sagaci, mihique conjunctissimo, Domino Doctore *Thomas* fœminæ nobili consulerem, cui imaginatio haud parum fuit læsa. Verum adhibitis, etiam cum jam prægnans esset, remediis modò dictis, ad sanam omnino mentem rediit.

Attamen *Mania communis*, quæ vegetis hominibus atque etiam nulla Febre prægressa, accidere solet, alius sane prosapiæ est, ac proinde longè diversa, quoad evacuationes, methodo tractanda, tamersi vel in hac specie, ea quæ cerebrum atque spiritus animales corroborant, haud omitti debent. Curationem autem ejus, etsi non sit hujus loci, obiter tamen prædictæ specieci subnectere non gravabor, ne quis fortè præ similitudine morborum in errorem illabatur.

In Junioribus ac sanguineo habitu præditis, mittatur sanguis ex brachio ad uncias octo vel novem bis vel ter, diebus tribus inter singulas venæ-sectiones interpositis: Deinde semel extrahatur sanguis ex venis jugularibus. Ultra hunc modum repetitæ venæ-sectiones ægrum potius in *stultitiam* ducunt, quam curationem absolvunt. Postea aggrediatur usum *Pil. ex duobus*, quarum drachmam semis vel scrupulos duos (pro ratione operationis) capiat semel singulis septimanis stato die, ita ut si, verbi gratia, die lunæ primo Pilulas assumpserit, præcisè eodem ipso die, nec frequentius, sequentibus septimanis eædem repetentur per longum rempus, usque dum perfecte convaluerit. Hac methodo humores qui in hoc morbo mentis arcem impetere solerent, sensim in inferiores sedes dilabentur, alia quasi ῥοπὴ eis inducta.

Die-

Diebus à purgatione liberis per totum decursum Electuario sequenti, vel alio medicamento eadem virtute prædito, utatur.

℞ *Conf. Absinth. Rom. Anthos, & Theriac. Androm. aa* ℥j. *conf. flaved. Aurant. Angelic. condit. nuc. mosch. condit. aa.* ℥ß. *cum s. q. syrup. Caryophil. f. Electuarium*, capiat ad magnitudinem nucis moschati bis in die, superbibendo haustulum vini Canarini, cui fuerint frigide infusi Flores *Paralyseos*.

Febris Continua atque *Intermittentes* quas supra descripsimus, soli ferme erant morbi Epidemici, qui durante illa Constitutione quæ per annos 61, 62, 63, 64. regnabat, emicuere: quot retro annis eum obtinuerant principatum, non habeo dicere, id certo scio, quod ab anno 64. ad Annum usque 77. ratissimæ omnino Londini comparuere.

Dicendum mihi etiam erat de *Variolis*, quales nam scilicet erant istæ quæ tum contingebant, respectu habito ad Constitutionem illam; quandoquidem [ut jam subindicavi] vario admodum se habent modo pro varia Constitutione qua incessunt: sed cùm non satis attente per id temporis animum ad eas adjecerim, missas jam facio: id tantum tradam illis peculiare, quod sc. jis annis labentibus, sub initio Maii confertissimæ invadebant, supervenienti vero Epidemicorum Autumnalium cohorti (Febrem volo Continuam, atque Intermittentes) locum dare solebant. In pustularum summitate foveolæ quædam ad instar capitum acicularum minorum plerumque subsidebant; atque in *discreto* genere æger octavo maxime die periclitabatur, quo tempore, abrupto derepente qui hucusque dimanaverat sive sudore, sive madore, externa exarescebant, nec revocari poterat sudor Cardiacis quibuscunque; æger phrenitide, atque anxietate insigni corripiebatur, cum magno dolore & ægritudine, utinam frequenter, at in parva quantitate, reddebat, ac intra paucas horas de magna spe decidens, ad plures migrabat.

SECTIO SECUNDA.

CAPUT I.

Constituto Epidemica Annorum 1665, & 1666. *Londini.*

PRægressa Hyeme frigidissima, & sicco gelu in veris usque tempora indesinenter perdurante, cum ex improviso solveretur, fine sc. *Martii*, ineunteque, ex Anglorum Computo, Anno 1665. *Peripneumonia, Pleuritides, Anginæ*, aliique id genus morbi Inflammatorii magnam derepente stragem edebant: quo ipso tempore caput etiam extulit *Febris* quædam *Continua Epidemica*, à Febrium Continuarum genio, quæ præcedenti Constitutione

vige-

vigebant, longe diversa; quarum vix ullæ ea anni tempestate solebant invadere. Dolor Capitis quam in priore illa intensior, & vomituritiones adhuc magis immanes ad hanc Febrem accedebant; in plerisque *Diarrhœa*, quam prius diximus assumpto Emetico præcaveri potuisse, jam ab eodem provocabatur, nec tamen cessabat Vomituritio. Externa hîc pariter ac in Febribus Constitutionis præcedentis sicca reperiebantur, attamen, præmissâ maximè Venæsectione, æger in sudorem solvi poterat, quo provocato leviora mox Symptomata; atque hoc nullo non morbi tempore fieri potuit, cum in Febre prægressa nec tuto ante diem 13 vel 14. id tentaveris, nec facilè voti fueris compos. Sanguis sæpe Pleuriticorum & Rheumatismo laborantium sanguinem colore referebat, non vero usque adeo Gelatina illa albescente qua illorum sanguis prætexitur. Hæc primo erant Phænomena hujus morbi Διαγνωστικὰ, Anno vero surgente ipsa *Pestis* irrupit magno symptomatum Pathognomicorum numero stipata, *Carbunculis*, *viz. Bubonibus*, *&c.* Hæc indies magis ac magis invalescens, circiter Æquinoctium Autumnale ἀκμὴν attigit, quo jam instante unius septimanæ decursu octo plus minus hominum millia delevit; tametsi duo ad minimum Civium trientes ob metum contagii se in rus subduxerant; à quo tempore receptui canere cœpit, & urgente Brumali Frigore tantum non evanuit, nisi quod sparsim unum atque alterum hinc inde feriret per omnem hyemem, & insequentis veris exordium; quo appetente & ipsa omnino est deleta, mansit tamen *Febris*, quamvis non ita Epidemica, excurrente integro anno sequente, imò ad Ver usque ortum Anni 1667. De his nonnulla hîc subnectam.

CAPUT. II.

Febris Pestilentialis & Pestis Annorum 1665, 66.

IN superioribus obiter admonui è febribus nonnullas in malignarum classe vulgo reponi, cum indomita symptomatum sævitia, quæ huic opinioni patrocinari videtur, non à venenosa morbi indole, sed à therapeia perperam administrata proficiscatur. Nam cum ad morbi solutionem à natura destinatam haud satis attenditur, sed alia medendi ratio temerè instituitur, hinc perturbatâ totius corporis œconomiâ, ac omnibus susque deque conversis, non modò tristissima rerum facies ultra consuetum morbi morem inducitur, verùm morbus jam à seipso alius, etiam anomalis accidentibus velut alienigenarum satellitio stipatur. Atqui *Febris verè maligna* non est omnium dierum morbus, utpote quæ ab aliis Febrium speciebus ob symptomatum anomaliam eâ nomenclatura utcunque insignitis, totâ suâ ideâ ac ingenio dissideat. Reverâ enim cum ipsissimâ Peste specie convenit, nec ab ea, nisi ob gradum remissiorem, discriminatur. Quocirca utriusque affectûs ortum ac curationem in eodem capite complectar.

Aëris massæ occultam ejusmodi sive crasin sive texturam obtingere, quæ diversarum

diverſarum diverſis temporibus ægritudinum anſa atque pararia exiſtat, nemini obſcurum eſt; qui modò animadvertit unum eundemque morbum certâ aliquâ tempeſtate infinitam mortalium vim corripere, ac Epidemicum fieri, aliàs tamen unum alterumve hominem afflixiſſe contentum, ulteriùs non graſſari. De variolis, ac imprimis de Peſte, hujuſce capitis argumento, res eſt ſat ſuperque manifeſta.

At verò quæ qualiſque ſit illa aëris diſpoſitio, à qua morbificus hic apparatus promanat, nos pariter ac complura alia, circa quæ vecors ac arrogans Philoſophantium turba nugatur, plane ignoramus, quicquid ſit, hoc ſaltem nomine Dei Opt. Max. clementiam ac bonitatem meritiſſimo jure veneramur, quod aëris conſtitutiones λοιμώδεις, id eſt, Peſtem malorum omnium immaniſſimum, ac humano generi maximè internecinum inferentes, rarius evenire voluerit, quam quæ cæteris affectibus minùs exitialibus ſuſcitandis inſerviant. Unde fit quod hunc orbem noſtrum *Britannicum* Peſtis vix frequentius quàm poſt annorum circiter triginta vel quadraginta intervalla (ſummo ſc. perniciei vigore, at totâ furiarum acie) adoriatur. Quæ per annos aliquot Peſtem inſigniorem ſubſequentes, ſparſim occurrunt peſtiferorum funera, paulatim imminui ac evaneſcere ſolita, Peſtilenti aeris diatheſi etiamnum ex parte perſeverandi, nec dum in aliam ſalubriorem penitus immutatæ attribuenda ſunt, quippe quæ antegreſſæ meſſis duntaxat ſpicilegia reputari debeant. A quibus etiam nuperæ luis reliquiis, fit ut Febres quæ anno poſt graviorem Peſtem uno aut altero paſſim graſſantur, Peſtilentes eſſe ſoleant; & licet aliquibus veræ Peſtis notis deſtitutæ, tamen ejuſdem naturam ac indolem quamplurimum referant, nec non conſimilem medendi rationem ſibivindicent, quemadmodum inferius oſtendemus.

Verum præter iſtam aeris conſtitutionem, ceu cauſam communiorem, accedat oportet & alia procatarctica, nimirum μιάσματος ſive ſeminii à peſtifero aliquo corpore, vel immediate ac propiore conſortio, vel mediate ac per fomitem aliunde tranſmiſſi, ſuſceptio. Hoc enim ſi inſtante qualem diximus aeris diatheſi fieri contingat, ab exigua primum ſcintilla mox horribile erumpit incendium, ac denſatis undique funeribus, univerſo aëri per iſtum terræ tractum à Peſte, tum laborantium halitibus, tum mortuorum cadaveribus, labes & contagium inducitur; adeò ut ad triſtiſſimæ ægritudinis propagationem jam non ampliùs vel fomite, vel perſonali conſortio opus ſit, verum quemcunque hominem, vel ſumma cura à Peſte correptis ſemotum, ipſe aër cum ſpiritu intro ſubiens per ſe ac ſuo Marte inficere valeat, modo ille corpus habeat humoribus ad afflatum excipiendum paratis, refertum.

Quanquam autem hic morbus, cùm duntaxat ſporadicus exiſtit, nullo tempeſtatis diſcrimine paucos aliquot, tradito quaſi per manus contagio, affligat, tamen ubi adeſt etiam Epidemica aeris conſtitutio, exoritur circa eam anni partem quæ inter Ver ac Æſtatem ambigit, utpote quæ ad producendam ægritudinem, cujus eſſentia in humorum φλογώσεως ſive inflammatione, ut poſt ea oſtendemus, imprimis conſiſtit, maximè idonea atque accom-

accommodata sit. Porrò & sua habet Incrementi ac Declinationis tempora, non secus ac cæteræ rerum naturalium species. Nascitur eo quo diximus tempore, crescente anno adolescit, eodemque vergente collabascit, donec tandem aerem in diathesin huic morbo adversantem, glacialis bruma transmutet.

Quod si tempestatum anni vicissitudines in hunc affectum nihil imperii exercerent, verùm seminium Pestilentiale, nulla aeris mutatione domabile de alio in alium perpetua propagationis serie transmitteretur, fieri non posset, quin ubi in frequentiorem aliquam Urbem semel pedem intulisset continuatâ strage funera usque & usque densaret, donec tandem nemo surpereresset, in quem Pestilentis miasmatis labes impingat. Atqui contrarium sæpè evenisse animadversum est numero extinctorum, quos unica mensis *Sextilis* septimana ad aliquot millia extulerat, sub *Novembris* exitum valdè imminuto ac propemodum nullo. Nec tamen diffiteor fieri posse, quod & nonnulli authores factum prodiderunt, ut Pestis aliis etiam anni tempestatibus caput primùm exerat; hoc autem rariùs accidit, nec ejusmodi lues in populum admodum debacchatur. Interea, aëris dispositionem quantumvis λοιμώδη pesti suscitandæ per se imparem esse vehementer suspicor, qnin Pestilentiæ morbum alicubi semper superstitem aut per fomitem, aut per pestiferi alicujus appulsum, è locis infectis in alios deferri; ibidemque non nisi accedente simul idoneâ aëris diathesi popularem fieri. Aliàs enim non assequor, quî fiat, ut in eodem cœli tractu dum unum aliquod oppidum Peste gravissimè affligitur, aliud non longè dissitum, omnem commercii necessitudinem cum loco contagioso cautè inhibendo, prorsus immune se præstiterit; quemadmodum non ante multos annos Pesti per universam ferè *Italiam* immaniter grassanti, *Magni Ducis* cura atque prudentia aditum in *Hetruriæ* fines penitùs intercluſit.

Primus insultus rigorem ac horrorem, quemadmodum & Febrium intermittentium accessiones, ferè perpetuum habet comitem. Mox vomitus enormes, dolor circa cordis regionem, ac si torculari premerentur, Febris ardens usitatâ symptomatum συνδρομῇ stipata, indesinenter ægros divexant, donec aut mors ipsa, aut benigna *Bubonis* vel *Parotidis* eruptio, quæ materiam morbificam foras ablegat, eos ab luctuosissimo discrimine liberet. Rariùs quidem accidit, ut circa ullam Febris præsensionem ingruat, ac homines de improviso è medio tollat, *maculis purpureis*, præsentanei interitûs nuntiis, etiam dum in foro versantur, erumpentibus. Quæ repentina exanimatio [quod animadversione dignum] nisi in Pestis admodum funestæ exordio vix contingit, remittente ac refractâ jam lue, aut in annis, in quibus non exiſtit popularis, nunquam observata est. Fit etiam nonnunquam, ut tumores prorumpant, nec Febre, nec graviore aliquo symptomate prægresso, quanquam suspicor rigorem, & horrorem leviusculum, ac minus perceptibilem semper præcessisse. Quibus autem hoc obtingit, jis integrum est per publicas plateas pro lubitu obambulare, ac communia vitæ munia, sanorum more, spretâ omni regiminis curâ, obire.

Cæterùm quod ad morbi essentiam spectat, eam enucleatè definire in me

non ſuſcipio. Nec fortaſſe hominibus cordatioribus rem minùs importunam ille facere videbitur, qui à me poſtulârit, quid hanc aut illam ægritudinis ſpeciem conſtituat, quàm ego etiam facerem, ſi ab illo idem de *Equo* v. c. inter animalia, vel de *Betonica* inter ſtirpes viciſſim ſciſcitarer. Nimirum certiſſimis ubique legibus, ac artificio ſibi ſoli intellecto rerum omnium generationes natura parens exequitur, quæque uſpiam è cauſarum gremio in actum ac quaſi in lucem educit, eorum eſſentias, quidditates, ac differentias conſtitutivas, altiſſimis tenebris obvelat. Hinc unaquæque morborum non minus quam animalium, aut vegetabilium ſpecies, affectiones ſibi proprias perpetuas, ac pariter univocas ab eſſentia ſua promanantes, ſortita eſt. Neque interim magnopere urgebit iſta Quæſtio, Qui demum morborum medela adminiſtrabitur, dum cauſæ ipſorum nos latent? Quandoquidem non cauſarum, ſed methodi convenientis atque experientia comprobatæ cognitione, affectuum plurimorum curatio abſolvitur. Sed ut ad rem redeamus. Quoniam ſimilarium omnium morborum ortus à qualitatum vel primarum, vel ſecundarum vitio (quod ſolum in hac rerum caligine nobis licet) deducere ſolemus, propè eſt ut credam Peſtem peculiarem ac ſui generis Febrim eſſe, quæ à particularum ſanguinis ſpirituoſiorum *inflammatione*, originem ducit, utpote cujus naturæ ſubtiliſſimæ, præ tenuitate ſua, maxime proportionatæ ac adæquatæ videntur. Quod ſi ſubtilitate qua poteſt maxima pollet (ut in principio & ſtatu conſtitutionis Epidemicæ videre eſt) ſubito ac quaſi ex improviſo calorem nativum diſſipat, & ægrum è medio tollit: Cadaveribus interim hujus morbi ferociâ tam ſubito extinctorum maculis purpureis undiquaque conſperſis, atque fœdatis; nempe Fibris cruoris præ inteſtini conflictus violentia diſſilientibus, & compage ipſius prorſus diſſoluta. Atque hæc tragœdia præ hujus quaſi flammæ ſubtilitate eximia, etiam ſine aliqua ſanguinis Febrili ebullitione, vel alterius ægritudinis præſentione, cietur. Secus quàm utplurimùm accidit, ubi cauſa morbifica minùs ſubtilis exiſtit, & quaſi obtuſiori telo vitam imperit. Diſcriminis modus pinguiori exemplo ſic adumbretur. Si acus vel quid aliud cuſpide graciliori præditum pulvinari ſupponatur, ac vi adigatur, illud, æque ac ab obtuſiore inſtrumento ſimiliter adacto, in ſublime non attollitur, ſed perforatur. Verùm ejuſmodi ſubitanea extinctio rariùs occurrit, nec niſi [ut ſupra innuimus) circa initium Peſtis, vel incrementum. Etenim, ut in aliis Febribus, plerumque rigor atque horror primùm invadit, quem calor mox excipit, & tantiſper excurrit, donec particulæ cruoris inflammatæ providò naturæ ductu ad Emunctoria amandentur, ac ibidem ad inſtar, phlegmonum communium in pus vertantur. Jam ſi inflammatio adhuc remiſſior exiſtat; Febres, quas peſtilentes vulgò appellant, producere ſolet; ut in fine peſtilentis conſtitutionis ſæpenumerò accidit, ac forſitan etiam uno alterove poſt anno, donec iſta Febrium ſpecies prorſus diſpareat.

Certè, me judice, in inflammatione iſta, quam Latini *Ignem Sacrum* appellant, quandam Peſtis imaginem non obſcuram intueri licet. Eſt enim morbus hic apud ſaniores Medicos Febris Continua à ſanguinis parte tenuiori cor-

corruptâ ac inflammatâ originem ducens, quâ ut natura se liberet, eam in corporis aliquam partem externam expellit, in qua tumor, aut potius (cum tumor adeò notabilis sæpe non appareat) Macula rubra, lata, dispersa, quam *Rosam* appellant, oritur, Solvitur autem ista Febris, postquam uno atque altero die ægrum afflixit, criticè per hunc tumorem, & proinde aliquando in glandulis sub alis, vel in inguinibus dolor, ut etiam in Peste fieri consuevit. * Et ferè invadit hoc malum ut Pestilentia, cum horrore & insequenti calore Febrili, ita qui ipsum ante non sunt passi, existiment lue pestifera se corripi, donec tandem in crure aut alio loco sese affectus prodat. Quibus accedit quod & maligni aliquid huic morbo inesse nonnulli Authores suspicantur, ac proinde curationem in sudoriferorum atque alexipharmacorum usu constituunt. Hæc quidem flamma, ubi Ebullitionem commoverit, cujus ope particulæ sanguinis leviusculè ustulatæ ac quasi syderatæ brevi spatio foras eblegantur, sponte sua, nec ulteriorem noxam molita, extinguitur.

Verumtamen Ignis noster isto *Sacro* longè *divinior* est, ut qui summa qua poller substantiæ tenuitate intimiores corporis recessus ad instar fulgetri permeare aptus natus sit spiritibus cruoris derepente profligatis, ipsiusque compage nunnunquam citius dissoluta, quam Natura præcipiti malo oppressa, Ebullitionem Febrilem (solemnem nempe machinam qua quicquid sanguini infestum est, suis è finibus amovere satagit) concitare valeat.

Quod si quis mihi hic litem paret de eo quod hunc morbum ab inflammatione oriri existimem, is attendat non modo Febris præsentiam, sed & complura alia huic sententiæ suffragari, nempe sanguinis detracti calorem, qui Pleuriticorum ac Rheumatismo laborantium sanguinem plane æmulatur; adustam *Anthracum* faciem, Pyrotici actualis impressioni non absimilem; nec non *Bubones* ipsos, qui inflammationem æquè solemniter excipiunt ac eandem alii cujuscunque generis tumores consequi solent, uti & inflammationes pleræque omnes in absessum terminantur. Quin & anni tempestas qua Epidemica Pestis ut plurimum exoritur, ad hanc rem symbolum suum conferre videtur, Eodem enim tempore, nimirum quod inter vernum æstivumque medium est, *Pleuritides*, *Anginæ*, aliæque inflammati sanguinis affectiones populariter ingruere consueverunt: quemadmodum etiam nunquam frequentiores mihi visæ sunt, quàm per aliquot septimanas, quæ nuperæ *Pestis Londinensis* exortum anteceserunt. Nec vero nullius est momenti illum ipsum annum tot millium strage funestum, alioquin mitissimum ac saluberrimum extitisse; omnesque qui à Peste immunes perstiterunt nunquam meliori valetudine usos fuisse; quin & eos qui ab eadem convaluissent, cachexiæ aliisque affectibus à residuâ priorum morborum labe provenire solitis, non magis obnoxios deinceps vixisse. Quibus accedit, quod & quantæcunque latitudinis, *Apostemata & Carbunculi*, postquam inflammatæ particulæ una cum sanie decessissent, Chirurgicis auxiliis, jisque non admodum conquisitis, facilè sanata fuerint.

Verum perquirat hîc fortasse aliquis, si Pestis in inflammatione quadam con-

* *Vid Sennertum, lib. 2. cap. 16. de febr. Sympt. contin.*

ſiſtat, qui fiat ut medicamenta calidioris cenſus, qualia ſunt *Alexipharmaca* propè omnia, tàm ad hujuſce affectus Therapeiam, quàm Prophylaxin tanto cum fructu uſurpentur. Cui reſpondeo, illa duntaxat per accidens auxilium præſtare, nempe Diaphoreſeos, quam ſuſcitant, beneficio, quo particulæ ſanguinis inflammatæ diffluntur, atque exterminantur. Quòd ſi fortè exhibita ſudores commovere non valeant [ut perſæpè accidit] mox ſanguinis incendium ab addititio calore magis efferatum, eorum noxam palàm proclamat. Prophylaxin ut verbo attingam, non ſum neſcius etiam ad illam *Antidotalium* calidorum uſum paſſim deprædicari, at quo emolumento adhuc probandum reſtat. Imò vinum liberius ingurgitatum, aliquaque fortiora præſervativa ſtatis horis dietim aſſumpta, complures, qui aliàs ſalvi intactique veriſimiliter permanſiſſent, in hunc affectum conjecerunt.

Quod ad harum Febrium *Therapeiam* attinet, erunt fortaſsè, qui me temeritatis atque arrogantiæ eo nomine inſimulabunt, quod ab Urbe dum nupera Peſtis graſſaretur, maximam partem complurium miliarium intervallo ſemotus, adeoque obſervationum copiâ minus inſtructus, de hac re tamen diſſerere ſuſtineam. Verùm cùm Medicis illis longè peritioribus, quibus per totum calamitoſæ luis decurſum inter media pericula & mille mortis imagines commorandi animus ac fiducia non defuiſſet, tamen ea, quæ crebriori uſu de hujuſce morbi ingenio annotaſſent, in lucem edendi voluntas hactenus defuit, mitiorem, uti ſpero, de conſilio meo ſententiam laturi ſunt omnes boni, quòd meam de truculentiſſimo affectu ſententiam, paucis quidem, ſed propriis obſervationibus ſuperſtructam, in medium expromam.

Ac primus quidem locus *Indicationibus curativis* debetur, quæ eò in univerſum dirigendæ ſunt, aut ut naturæ ductum in exterminando morbo accuratè ſequentes, eidem ſubſidiariam porrigamus manum; aut ut methodo, quâ natura in inteſtino hoc hoſte debellando uti ſolet, minimè fidentes, diverſam ac tuciorem ex noſtro penu atque artificio vice illius ſubſtituamus. Niſi fortè hic aliquis regerat rem etiam ſatis feliciter per peſtifuga alexiteria geri poſſe, quorum ingentem apud Practicos copiam reperire eſt. Verumenim verò annon auxilium quod præſtant hujuſmodi medicamenta, potius manifeſtæ ipſorum facultati, quâ ſudores affatim proliciendo ſimul materiæ morbificæ exitum aperiant, quàm occultæ cuidam indoli, qua à Natura ad Peſtilentis malignitatis labem delendam donata fuerint, referri debeat, magnam atque ancipitem habet diſceptationem. Nec de hiſce tantummodo, ſed & de aliorum morborum Alexiteriis dubitare fas eſt, utrum evacuationem aliquam ſollicitando, potius quam virtute quadam ſpecifica ægrotantibus non ſuccurrant. Quienim, v. gr. in *lue Venerea*, vel *Mercurium* vel *ſalſaparillam*, veneni in iſto morbo reperti alexipharmaca abjiciat, adducenda ſunt ei curationum exempla, in quibus ille ſine ſputo aut ſeceſſu hæc verò ſine ſudoris ſuſcitatione ſanitatem aliquando reſtituerit; quod ego quidem credo ei admodum difficile futurum. Mihi autem veriſimile eſt, peculiare Peſtis remedium, propriumque ipſius pernicei alexiterium adhuc in naturæ ſinu abditum deliteſcere, nec eandem niſi ratione quadam mechanica tolli poſſe.

Quo-

Quocirca ut intentionem illam priorem paulò plenius expendamus, quæ eò spectat ut Naturæ in materiæ morbificæ exterminatione suo more & modo auxilium suppeditetur; advertendum venit, quòd in verâ Peste Natura, dum neque sponte suâ aberrat, neque vi aliquâ transversim agitur, per *abscessum* aliquem in Emunctoriis erumpentem, unde materiæ exitus patescit, negotium suum exequitur. Atqui in Febre, quam Pestilentem nuncupamus, mediante diaphoresi per universam corporis superficiem idem efficitur. Unde colligere est, pro diversa, quam natura in utroque morbo præmonstrat, via ac ordine, etiam diversam medendi rationem instituì debere. Nimirum siquis materiam veræ Pestis, ope sudoris amoliri satagat, is diversa à natura via insistit, utpote quæ id per apostemata molitur. Contra vero qui alias quam per sudores Febris Pestilentis materiam eliminare tentat, is cursum instituit cum naturæ ductu ac ῥοπῇ nequaquam convenientem. Cæterum in Peste vera, quonam idoneo ac certo remediorum genere naturalis morbificæ materiæ ejectio, id est, apostematum eruptio promoveri possit, nondum constat; nisi quis fortè victum corroborantem atque Cardiaca ad illud conferre posse existimet; quæ tamen multum dubitarem ne ægrum, jamjam plus æquo calescentem, in majorem æstum conjiciant. Certè sudores in hoc casu frustra esse compertissimum habeo; quanquam haud inficior post magnos sudores ad trium quatuorve horarum spatium productos, ac deinde abruptos, tumorem se in conspectum dare, quem ego a sudore proficisci minimè arbitror; utpote quo vigente, nullum appareat eruptionis indicium, finito quidem veluti per accidens consequatur, nimirum cum jam aliquam sarcinæ partem, quæ naturam plus satis gravabat, sudores abstulerint, ac corpus a Cardiacis ad Diaphoresin suscitandam propinatis vehementius incalescat. Verum quam fallax & infida sit hæc peccantis materiæ per apostemata à sudoribus foras evocatæ, exterminatio, testor funestos eorum exitus, qui hoc modo tractati fuerunt, è quibus vix tertius quisque (ut modestissimè dicam) medicationis ac morbi periculum evasit. E contra vero multi, quibus laudabili ritu tumores eruperunt, etiam dum negotiis suis intenti versarentur, nec ullius sive naturalis sive vitalis, sive denique animalis facultatis læsione percepta, sanitatem brevi recuperarunt; nisi qui malo suo fato in medicastrum aliquem incidentes, ejusque monitu, quantumvis corpore pariter ac animo optime valentes, ad sudandum in cubilibus compositi, ab eo ipso tempore deterius se habere inceperint, ac demum ingravescentes ægritudine, inauspicati consilii noxam suo interitu comprobarunt. Verum lubricam atque aleæ plenam in se esse hujusce morbi per tumores judicationem ex eo manifestum est, quo interdum *Bubo* qui primum laudabiliter ac cum symptomatum remissione protuberavit, postea ex improviso dispareat, ejusque loco *Maculæ purpureæ*, certissimi mortis indices, succedant; cujus retrocessionis causa magnis illis sudoribus ad eruptionem promovendam destinatis, jure tribuenda videtur, ut qui bonam materiæ partem, quæ tumoris molem infercire ac sustentare debuerat, alioversum per ambitum corporis distrahendo ac dissipando leves in auras difflaverint. Ut ut si, hoc saltem

tem planiſſime conſtat, cæteris affectibus, à Dei Opt. Max. benignitate, certam amoliendæ cauſæ morbificæ rationem, huic autem, enormium delictorum flagello, non niſi lubricam admodum & verſatilem adjunctam eſſe. Atque hinc forraſſe non minus commode, quàm à *malignitate*, ut loqui amant, eximiæ pernicici cauſa atque origo peti poſſit. Nam & in *Arthritide* aliiſque morbis, qui exiguam habent malignitatis ſuſpicionem, materiæ morbificæ recurſus non minori certitudine fatum accerſit. Ex quibus omnibus manifeſto conſequitur, Medicum, qui in aliorum morborum medicatione, naturæ ductum ac propenſionem preſſim, ac paſſibus æquis ſequi tenetur, hîc ejuſdem auſpiciis renunciare debere. Cujus effati veritatem, quia pauciſſimi hactenus perſpexerunt, hinc numerus eorum, quos tumulo Peſtis intulit, haud paulo auctior evaſit.

Quare cum minime ſecurum ſit in exterminando hoc morbo naturæ veſtigiis inſiſtere, proximo loco diſpiciendum venit, quâ demum arte ſecundæ quam diximus Intentioni ſatisfiat, nempe aliam atque à Naturali diverſam, hujuſce morbi ſolutionem aggrediendi. Hoc autem dupliciter omnino fieri poſſe exiſtimo; ſcilicet vel per ſanguinis miſſionem, vel per ſudores. Priorem quod attinet, non ſum neſcius ſacram apud pleroſque audire in hoc morbo venæſectionem. Verùm vulgi præjudicia parùm moratus, rationum in hac quæſtione momenta, quâ par eſt æquitate atque candore, pauliſper expendam. Ac primum quidem Medicorum, qui graſſante nupera lue in Urbe perſtiterunt; fidem appello, Numquis eorum, Phlebotomiam largâ manu ac repetitis vicibus, nec non tumore nullo adhuc protuberante celebratam, Peſte laborantibus funeſtam eſſe animadvertit? Parcam quidem, vel tumore jam conſpicuo, ſanguinis detractionem ſemper damnoſam eſſe, neutiquam mirandum eſt; Siquidem cùm mediocris tantùm quantitas cruoris adimitur, hinc Naturæ, quæ tumori protrudendo totas intendit vires, rei adminiſtratio è manibus eripitur, nec interea alia ſatis efficax materiam morbificam evacuandi, ratio ſubſtituitur. Apparente autem jam tumore, celebrata venæ-ſectio, cùm à peripheria ad centrum trahat, motui naturæ, qui fit à centro ad circumferentiam, inducit motum planè adverſantem. Hihilominus vix quicquam frequentiùs factitatum videas, quàm Phlebotomiæ, perverſo hoc ritu adminiſtratæ, noxam, à contrariæ patronis univerſim ac in genere adverſus ſanguinis in hoc morbo detractionem validiſſimi argumenti loco torqueri; uti in *Diemerbroeckio* aliiſque Obſervationum ſcriptoribus paſſim videre eſt. Quod ad me attinet, equidem eorum ratiocinationi aſſentire non poſſum, donec intellexero, quid Quæſtioni ſuperiùs propoſitæ reſpondeant. Sanè venæſectionem in Peſte convenire, complures, jique graviſſimi ſcriptores jampridem ſenſerunt, quorum præcipui ſunt *Ludovicus Mercatus*, *Joannnes Coſtæus*, *Nicolaus Maſſa*, *Ludovicus Septalius*, *Trincavelius*, *Foreſtus*, *Mercurialis*, *Altomarus*, *Paſchalius*, *Andernachus*, *Pereda*, *Zacutus Luſitanus*, *Fonſeca*, aliique. Verùm qui totum curationis negotium in copioſa, qualem nos poſtulamus, ſanguinis detractione collocaverit, unus, quod ſciam, reper-

tus

tus est *Leonardus Botallus*, medicus superioris sæculi celeberrimus, quem, ne solus in hac palæstra versari videar, Lector accipiet suis ipsius verbis de hac re differentem. * *Ego* (inquit) *ut uno verbo dicam, nullam Pestem esse puto, cui hæc non possit esse salutaris supra omnia remedia, modo opportunè & quantitate convenienti usurpata sit, propterea quod aut tardius aut parcius quam opus esset, aut quod utroque modo circa eam usurpandam peccatum sit.* Et paulò post hæc subjungit; *At in tanta timiditate & parca detractione qui fieri potest ut quis rectè possit judicare quantum ea in Pestilenti morbo prodesse valeat, aut obesse? Non enim morbus pro cujus curatione requirebatur detractio librarum quartuor sanguinis, in quo una tantum detrahitur, si hominem interficiat; ideo interficit, quia sanguis est missus, sed quia non justo modo missus est, nec forte etiam opportune. Verùm nebulones nequissimi & ignavissimi in id semper culpam convertere satagunt, non quod nocuit, sed quod per fas & nefas à cunctis vituperari exoptant. Aut si id nequitia non faciant, ignorantiâ tamen pravæ dispositionis efficiunt: utraque certe perniciosa, sed illa magis.* Quæ omnia experientia confirmaturus, paulò inferius sic pergit; *His observatis nemo rationis capax jure in his morbis vituperare missionem sanguinis potest, sed mirificè & tanquam divinum auxilium commendare, extollere, & confidenter usurpare; quod ipse profectò ab annis quindecim facio. Ideo in morbis Pestilentibus, in obsidione Rupellarum, & montibus Hannoniæ ab hinc quadriennium, & Parisiis toto hoc biennio, & Cameraci anno proximè acto, in omnibus meis ægrotis (qui innumeri fuerunt) nullum præsentius ac salutarius reperi ipsâ largâ & tempestivâ sanguinis missione.*

Deinde ad curationum exempla descendit, quæ brevitati studens, huc transferre supersedeo. Libet tamen rei in hac nostra *Britannia* ante aliquot annos gestæ historiam oppido raram ac à proposito nostro non alienam, hîc loci apponere.

Cùm inter cæteras belli civilis calamitates, quæ hanc patriam nostram miserrimè afflixerunt, pestis etiam multis in locis grassaretur, ac fortè in Castrum *Dunstar*, quod in provincia *Sommertocensi* situm est, aliunde invecta, aliquot præsidiariis cum macularum efflorescentia derepente examinatis, complures etiam alios corripuisset. Chirurgus quidam qui à longa in regionibus exteris peregrinatione redux tunc temporis stipendia inter alios faciebat, à præsidii præfecto enixe rogat ut sibi liceret commilitonibus suis truculento morbo correptis pro virili succurrere, quo annuente, singulis ægris, statim à primo morbi insultu, atque nullo adhuc tumore conspicuo, sanguinem ingenti copia detraxit donec pedibus deficere incîperent, nam stantibus ac sub dio vena pertusa est, nec aderant vascula quæ cruoris in terram effluentis mensuram definirent. Hoc facto eos in tuguriola sua ad decumbendum dimisit. Et quanquam à Phlebotomia nullum omnino remedium adhibuit, tamen ex complurimis jis, quos hoc modo tractasset, mirum dictu, ne unus quidem desideratus est. Vir Nobilissimus juxta ac morum probitate atque fide spectabilis

* *Cap. 7. de curatione per venæ sectionem.*

bilis *D. Franciſcus VVindham*, militum Tribunus, ac prædicti caſtri tunc temporis Præfectus, mihi hæc retulit, & etiamnum in vivis eſt, pro eâ quâ eſt humanitate rei geſtæ veritatem cuilibet dubitanti confirmaturus.

Quid mihimet ipſi circa hanc rem ſingulare ac memoratu dignum aliquando obſervare contigit, Lector inferiùs accipiet, ubi pauca ea, quæ deſæviente nupera Peſte *Londinenſi* à me uſu atque experientiâ annotata fuerunt, inferius oſtendam.

Hujuſce autem praxeos utilitatem etſi non mente tantùm ac judicio aſſequor, verùm etiam reipsâ atque editis experimentis dudum exploravi, tamen Peſtilentis fermenti per diaphoreſin diſſipatio, præ ejuſdem per Venæſectionem evacuatione mihi multis nominibus arridet; utpote quæ nec ægrorum vires æque proſternat, nec medicum infamiæ periculo objiciat. Atqui & hæc difficultatibus ſuis non vacat; primò enim, multis, ac præſertim calidioris temperamenti juvenibus, ſudores ægriùs proliciuntur; cujuſmodi ægrotos, quò hydroticis fortioribus, ac cumulatiori tegumentorum pondere diaphoreſin conciere ſatagas, eò in manifeſtius Phrenitidis periculum adduces; aut quod triſtioris adhuc ominis eſt, vanâ ſpe aliſquantiſper lactatus, tandem pro ſudoribus *Exanthemata Peſtilentialia* elicies. Cùm enim præcipua hujuſce mali labes in ſpirituoſiori maſſæ ſanguineæ parte reſideat, unde craſſiorum particularum exagitatio nonnihil languidior, quàm in aliis inflammationibus plerumque exiſtat, tenuior illa portio novi caloris acceſſione in majorem rabiem acta, impetu demum facto omnes cruoris fibras ultra texturæ modum diſtenſas prorſus frangit ac comminuit. A qua fibrarum ſanguinearum diſſolutione macularum Peſtilentialium cauſam petendam eſſe cenſeo, quippe non ſecus ac *vibices* à plaga fortiore in partem aliquam corporis muſculoſam inflictâ, primò intenſius rubicundæ in cute effloreſcunt, ac brevi poſt tempore livorem quendam aut nigredinem induunt.

Deinde verò, in corporibus quæ ſatis promptè in ſudorem ſolvuntur ſi diaphoreſis juſto præmaturiùs [nempe totâ materiâ morbosâ nondum penitus diſſipatâ) abrumpatur, bubonum, qui laudabiliter quidem ſub finem ſudoris prodire inceperant, poſtea deterior evadit conditio. Nam ſubductâ quæ eos in molem attollere deberet materiæ parte, aut de facili intrò remeant, aut ſaltem ad legitimos abſceſſus, nunquam perducuntur, [quemadmodum etiam in Variolis accidere ſolet, quoties æger per primos dies impenſiùs ſudavit] recepto autem denuò intra muros hoſte ferali in ſanguine commotio excitatur, cujus operâ eo, quo ſuperiùs innuimus, modo ſæpè ecthymata imminentis lethi indicia foras propelluntur.

Verùm quibuſnam modis his aliiſque difficultatibus obviam iri poſſit, ut luculentiùs pateſcat, quid in hoc morbo à me pro modulo meo factum obſervatumque fuerit, initio à nuperæ luis primordiis ducto, ſummâ fide ediſſere lubet.

Nobilem fœminam ineunte *Majo* anno 1665. ætatis circiter 21. annorum, ac temperamento ſanguineo præditam inviſi, Præter Febrem ardentem, quæ paulò

paulò ante invaserat, vomitiones importunæ, aliaque symptomata febrilia ægram excruciabant. Curationem â Venæsectione auspicatus, posterodie ad præcavendam Diarrhœam, [quæ, ut in hujusce Tractatus initio monuimus, ob omissam, quod postulabat in principio morbi vomendi propensio, Emetici exhibitionem, deferveſcente Febre supervenire consuevit) Vomitorium imperavi, quod satis commodè ventriculi saburram elicuit. Postero mane, cùm ægram iterum adirem, ei alvum profluere intelligo, quæ res ab aliquot annorum usu insolentior visa, mihi non levem sollicitudinem injecit. Exinde autem Febrem non vulgaris generis esse judicavi, (quemadmodum etiam eventus docuit) proindeque aliam ab ea, quæ superiùs tradita est, quæque constanti successûs serie hactenus à me usurpata fuisset, medendi rationem sibi vindicare. Quocirca adscito in negotii societatem medico alio seniore, venæ-sectio, quam ægrotantis ætas, temperamentum, ac inordinata sanguinis ebullitio flagitare videbantur, ex communi nostro consilio iterum celebrata est; etiam cardiaca moderatè refrigerantia propinata, ac denique clysmata alternis diebus injecta sunt. Sub finem ægritudinis, quoniam symptomata valdè anomala ac inconsueta (malignitatis egregiæ indicia vulgò habita) ingruebant, ex Alexipharmacorum classe fortiora aliquot præscripsimus. Quibus tamen omnibus nequicquam proficientibus, ægra circa diem decimum quartum è vivis excessit. Insolitum hujusce Febris ingenium per aliquot post dies animum meum variè exagitabat; ac tandem in memoriam revocans, summum ardorem, etiam post reiteratam venæ-sectionem in prædicta ægra perseverasse; ruborem genarum adfuisse; cruoris aliquot guttulas paulò ante mortem è naribus fluxisse; nec non sanguinem ipsius in acetabulis refrigeratum, ei qui à Pleuriticis detrahitur, non absimilem fuisse, quin & tussim aliquam & obscuros quosdam in partibus vitalibus dolores emicuisse; porrò & eam anni tempestatem incubuisse, quæ finem veris ac initium æstatis complectitur, quæque Febribus continuis producendis minus esset idonea, [illæ enim hoc tempore suâ sponte quasi dissiliunt & in intermittentium classem se reponunt, vel in Pleuritides atque id genus alias inflammationes præcipites ruunt) denique Pleuritides eo ipso tempore admodum populares fuisse: His inquam omnibus ritè perpensis, in eam deveni sententiam, ut Febrim hanc, etsi pathognomicis Pleuritidis, aut etiam Peripneumoniæ signis destitutam, tamen symptomatis rationem habuisse judicarem, inflammationis cujusdam respectu circa partes spirituales delitescentis, etiamsi nullus aderat lateris dolor, nulla insignis spirandi difficultas. Ut rem contraham, eò tandem deveni, uteâdem omninò mihi methodo procedendum fuisse in prædicto casu arbitrarer, quâ in Pleuritide sæpius cum successu singulari usus fueram. Quæ sententia deinceps feliciter atque ex voto cessit. Vocatus enim non multò post ad hominem consimili prorsus modo ægrotantem, reiteratis venæ-sectionibus, quales ad Pleuritidem supra laudantur, curationem commisi & absolvi. Circa mensis modò memorati exitum atque initium *Junii*, complures operam meam implorantes ab eadem Febre (quæ jam valdè populariter grassabatur) prædictæ

praxeos beneficio convaluerunt. Ab hoc tempore immaniter debacchari cœpit calamitoſa illa Peſtis quæ eo tandem truculentiæ devenit, ut ſeptem dierum ſpario totidem animarum millia in hac una urbe extinxerit.

Febri autem illi, de qua modò loquebar, an peſtis apellario attribui mereatur, non auſim definitò pronuntiare. Hoc tamen exploratè cognitum habeo, omnibus, quos illo & aliquanto poſt tempore ipſiſſima Peſtis cum univerſo ſymptomatum ſibi peculiarium apparatu, in mea vicinia afflixit, eandem non in primo morbi inſultu, quàm in decurſu, accidentium συνδρομὴν adfuiſſe. Cæterum cùm proximo pariete ardente propiùs ædibus meis immineret periculum, ego tandem amicorum ſuaſu numeroſiſſimis fugientium turbis me adjunxi, familiâ etiam meâ ad aliquot ab Urbe lapides ſubductâ. Eò tamen vicinis meis maturiùs redii, ac dum calamitoſæ illius luis in tantum perſeveraret ſævitia, ut fieri non potuit; quin meliorum medicorum penuriâ ad Peſtiferorum auxilium advocarer. Nec multo poſt complures Febricitantes inviſi, quorum Febrem, illius quæ ante deceſſum meum tàm proſperis ægrorum rebus, à me tractata fuiſſet, morem atque genium æmulari non ſine magna admiratione deprehendi, Ideoque proprià experientia fretus ceu duce, quibuſcunque præceptis umbratilibus anteponendo, Phlebotomiam ſimiliter adminiſtrare non dubitavi.

Hunc autem ritum imminuendi liberalius ſanguinem (cui etiam Ptiſanæ ac diætæ id genus refrigerantis uſus acceſſit) in multis ægris miro profectu continuavi, donec tandem in nonnullorum tractatione ſolito ſucceſſu deſtitutus præ adſtantium protervia, qui præjudiciis inanibus occupati debitam ſanguinis quantitatem auferri non patiebantur, (magno ægrotantium malo, quibus, ſaltem dum in hoc cardine curandi ſcopus verſaretur, ſanguis aut ſufficienti quantitate, aut non omninò detrahendus fuerat,) inſignem obicem conatibus meis oppoſitum ſenſi, ac proinde alium à venæ-ſectione huic morbo occurrendi modum reperiri, magnopere ex uſu futurum judicavi. Nocumenti quod aliquando inſons dedi, non ex eo, quòd ſanguinem ademerim, ſed quòd ex voto eundem adimere impeditus fuerim, exemplum hîc adducam. Vocatus ad juvenem quendam, temperamento ſanguineo ac habitu athletico præditum, quem Febris uehementior cum doloribus capitis vertiginoſis, vomitu enormi, aliiſque id genus ſymptomatibus à biduo corripuerat, cum nullum adeſſe tumoris ſignum interrogatus reſponderet, ſtatim liberali manu ſanguinem emitti imperavi, cujus refrigerati ſuperficies puriformem Pleuriticorum ſanguinem referebat, præſcriptâ etiam ptiſanâ cum juſculis ac Julapiis refrigerantibus. A meridie pro ſecunda vice parem ſanguinis jacturam ſubiit, quâ etiam ſequente aurorâ ſimiliter mulctatus eſt. Sub hujus autem diei exitu ægrum meum inviſens, eum quidem multo melius ſe habere, & nihilominus amicos ejus adverſus ulteriorem venæſectionem animis vehementer obſtinaſſe deprehendo; quam tamen ego denuò celebrandam eſſe enixè contendi, ſupereſſe alteram duntaxat venæ-ſectionem dictitans, quæ ægrum in ſicco collocaret; ſin

sin contra niti pergerent, satius fuisse, ut nullo omninò sanguine detracto curatio persudores instituta fuisset; uno verbo, ægrum certò certius interiturum. Præsagium eventus confirmavit; nam dum hæc altercatio rei agendæ occasionem corrupisset, maculæ purpureæ postridiè eruperunt; nimirum materiæ peccantis reliquiis, quas radicitùs evacuari oportuit, cùm jam omnem abscessûs spem Phlebotomia toties repetita abstulisset, morâ suâ universam cruoris massam pervertentibus, ejusdemque compagem subtilitate eximiâ disrumpentibus, Æger autem post aliquot horas satis concessit. Cùm ergo frequentior hujusmodi obstaculorum occursus mihi molestiam faceseret, magna cogitandi sollicitudine mecum agitavit, ecquis demum reperiri possit medendi modus, qui morbum non minus efficaciter abigeret, nec hominum offensionem æquè incurreret. Re diu multumque apud animum meum deliberata, tandem in hanc methodum incidi, quam nunquam non proficuam, ac omnibus numeris absolutam deinceps expertus sum.

* Primo, siquidem tumor nondum protuberaret, sanguinem pro ægrotantis viribus ac temperamento, moderatè detraxi, quo facto, Diaphoresis, cujus aliàs sollicitatio in nonnullis corporibus non modò summam habebat difficultatem, verum etiam majoris incendii, proindeque ecthymatum purpureorum periculum minitabatur, facilis erat atque expedita. Atque hanc sanguinis jacturam, quæ utut exigua aliàs gravissimum incommodum attulisset, diaphoreseos immediate insequentis beneficium abunde compensavit. Post Venæsectionem [quam in lecto celebrandam curavi, cum jam omnia ad sudores proliciendos in promptu essent) ne vel minima interposita mora stragulis ægrum obrui, ac laciniam laneam sincipiti alligari jussi, quæ quidem capitis obtectio ad sudorem ciendum plus proficit quam quis facilè crediderit. Deinde, si vomitus non adessent, hæc & similia hydrotica exhibui; ℞ *Theriac. Androm.* ʒß. *Elec. de ovo.* ℈j. *pul. è chel. cancror. comp. gr.* xij. *cochinell. gr.* viij. *croci gr.* iiij. *cum s. q. succi. hermes. f. bolus, quem sumat. 6â quâque horâ, superbibendo Cochl.* vj. *seq. Iulapii.*

℞. *Aq. Card. benedicti & scord. comp. an.* ℥iij. *aq. theriac still.* ℥j. *syr. caryophil.* ℥j. *misc. f. Iul.*

Quod si vomitio interpellaret, ut in Peste ac Febribus Postilentialibus sæpissimè accidit, medicamentum sudoriferum tantisper propinare distuli, donec solo tegumentorum pondere (nisi quod linteaminis pars subindè ad colligendos halitus vultui superinduceretur) sudor promanare inciperet. Nam [quod quidem observatu summe dignum est] cum materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis sese exporrigant, illico alvi profluvium & vomitiones, ab eisdem introrsum reflexis, ac in ventriculum & intestina decumbentibus provenientes, ultro sedantur; Adeo ut quantacunque stomachi subversio præcesserit, assumpta deinceps medicamenta probè retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant.

Memini cum me aliquando Pharmacopola quidam ad fratrem suum ex

* *Curatio.*

Febre Peſtilentiali graviter ægrotantem vocaſſet, atque ego de medicamento ad ſudorem ſuſcitandum exhibendo, ſermonem injicerem, retulit ſe jam varia eaque fortiora ſudorifera incaſſum propinaſſe, ſiquidem æger omnia vomitu rejecerat. Cui ego, adduceret, inquam, ex omnibus jis quæ antea exhibuiſſet vel ingratiſſimum ac ſumme faſtidioſum, ne illud deinceps evomeretur. Promiſſi fidem eventus liberavit; quippe æger, ubi à ſola ſtragulorum mole paululum maduiſſet, largiorem *Theriacæ Venetæ* bolum deglutivit ac retinuit, cujus beneficio in copioſiorem ſudorem conjectus incolumitatem recuperavit.

Sed ut ad inſtitutum redeam, inceptam jam diaphoreſin hauſtibus *Zythogalæ ſalviâ alteratæ*, vel *cereviſiæ, cui macis aliquantulum incoxerit*, ſubinde repetitis, ad naturalis diei ſpatium continuari præcepi, abſterſione interim omni religioſe interdictâ; imò nec infra quatuor ac viginti horas à ſudoribus finitis induſium utcunque madidum ac immundum mutari permitto; Id quod ſumma cautela obſervari velim. Quod ſi ſudatio anguſtiori temporis limite circumſcribatur, recrudeſcit illico ſymptomatum ſævitia, atque ægroti ſalus, quam prolixior diaphoreſis extra aleam conſtituiſſet, in acie novaculæ relinquitur.

Et profecto *Diemerbroeckium* alioſque nequeo ſatis mirari, quoties adverto eos tam levi prætextu ad diaphoreſin interpolandam adduci, ut ſcilicet ægrotantium viribus conſulatur. Primò enim ægrum ſudore diffluentem viribus melius quam antea conſtare, nemini in hujus morbi medicatione vel tantillum verſato non poteſt eſſe animadverſum. Quid me in hac re uſus atque experientia docuit, palam eloqui ac etiam propugnari non verebor. Multi me authore in 24 horarum diaphoreſin conjecti tantum abeſt, ut ſe exinde debiliores factos quærerentur, quin totius quantum ſupervacanei humoris ſudando deceſſiſſet, tantundem novi roboris ſibi accreviſſe profiterentur. Circa horas autem aliquot poſteriores ſæpe non ſine ſtupore obſervavi erumpere ſudorem quendam, priore illo, quem vis medicaminum expreſſerat, magis naturalem, genuinum, copioſum, quique multo plus levaminis afferret, plane ac ſi vere criticus foret ac totius morbi eradicativus. Porrò in ſummo ſudoris vigore juſculis ac ſorbilibus confortativis ægrum reficere, quid ſecum trahat incommodi non video, ideoque ad nihilum recidit illa objectio de virium ad longos ſudores perferendos impotentia. Si qua igitur defectio ſub finem imminere videatur, juſculi ex pullo tantillum, vitellum ovi, vel his ſimilia ſorberi permitto; quæ cum cardiacis & hauſtibus ad ſudorem continuandum ex more deſtinatis, virium labefactationi abunde ſuccurrunt. Cæterum in re adeò manifeſta non opus eſt, ut plura argumenta adducam: Etenim, quod hujus praxeos utilitatem palam proclamat, videre eſt, quod quandiu æger ſudore diffluit, benè ſe habere exiſtimet, nequeminus ex aſtantium judicio res tota invado conſtituta videatur; Atqui quam primum corpus areſcere incipit ac ſudor abrumpitur, omnia in pejus ruantmor bo quaſi poſtliminio redeunte.

Per horas à finito ſudore viginti quatuor, moneo ut frigus caute viterur, indu-

induſium ſponte ſua in corpore areſcere permittatur, potulenta omnia calidiuſculè hauriantur, & Zythogalæ ſalvia alteratæ uſus etiamnum continuetur. In ſequenti luce commune Catharticum exhibeo, *ex infuſione ſc. thamarind. fol. ſennæ. rhabarb. cum manna, & ſyr. roſar. ſol.* Atque hâc medendi ratione, anno à Peſte proximo; complurimis Febre Peſtilentiali correptis ſanitatem reſtitui, adeo ut ne unus quidem ex eo morbo mihi deſideratus eſt, poſtquam eandem exercere inceperam.

Verum ubi tumor jam enatus fuerit, venam aperire, etiam in corpore ad ſudandum quantumvis inhabili, hactenus non ſuſtinui, veritus ne materia morbifica in depleta vaſa confertim remeante, ſubitaneus ægri interitus deſtinatam diaphoreſin anteverteret, Nihilominus fortaſſe ſatis tutò adminiſtrari poterit Phlebotomia, modò confeſtim ab ea peracta, ac nulla mora interjecta eliciantur ſudores, qui ad ſpacium ſuperius requiſitum producti, omnem tumoris molem paulatim abſumere ac diſſipare valeant; idque longè minore ſalutis periculo, quam ſi legitima apoſtematis maturatio, quæ in præcipiti affectu admodum incerta ac fallax exiſtit, ſeriùs expectaretur.

Denique, ut ad calcem tandem perveniam, ſicubi circa Theoriam me hallucinatum fuiſſe Lector deprehendat, errori veniam peto; verum quod ad Praxim attinet, profiteor me omnia ex vero tradidiſſe, nihilque uſpiam propoſuiſſe, niſi quod probe exploratum habeam. Sanè cum ſupremus vitæ meæ inſtabit dies, confido mihi adfuturum alacrem in præcordiis teſtem, me non ſolum ægrorum omnium, cujuſcunque demum ſortis, qui ſeſe curæ meæ concrediderant, ſummâ fide ac diligentia ſalutem procuraſſe (quorum interim nemo à me aliàs tractatus eſt, quàm ego memet tractari cuperem, ſi mihi ex jiſdem morbis ægrotare contingeret) verum etiam pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendiſſe, ut ſi quo modo fieri poſſit, morborum medela poſt cineres meos majoricum certitudinè adminiſtraretur; ratus quantulamcunque in hoc ſcientiæ genere acceſſionem, etſi nihil magnificentius, quam *odontalgiæ* aut *clavorum pedibus* innaſcentium curationem edoceat, longè maximi faciendam eſſe, præ inani ſubtilium ſpeculationum pompa, ac levicularum rerum notitia, quæ fortaſſe Medico ad abigendos morbos non magis ex uſu futura eſt, quam *Architecto* ad conſtruendas ædes *Muſicæ* artis peritia.

Unicam hanc annotatiunculam, ne quis fortè ſiniſtrâ interpretatione mentem meam detorqueat, aut eam ſaltem non ſatis aſſequatur, poſtremo loco ſubjungam. In præcedenti nempe Diatriba, *Naturæ* nomine ſæpius utor, illique varios effectus attribuo, perinde quaſi rem aliquam ſingularem & ſeorſim ſubſiſtentem, ſed per totam hanc mundi machinam ubique diffuſam ſub hoc titulo mihi repræſentarem, quæ ratione aliqua & conſilio freta corpora quævis regeret ac moderaretur, quale quidpiam de *Mundi Anima* nonnulli Philoſophorum cogitaſſe videntur. Verum ad me quod attinet, uti nec rerum, ita nec verborum novitatem affecto; adeoque antiquam quidem vocem, ſed ſenſu [ni fallor] & ſobrio, & à ſanis omnibus non intellecto ſolum, verum

etiam usitato, in hisce pagellis usurpavi. Ego enim, quoties *Naturam* nomino, toties *causarum naturalium complexum* quendam significari volo; quæ quidem causæ brutæ licet, atque omni consilio destitutæ, non tamen sine summo consilio reguntur, dum suas quæque operationes edunt, suosque effectus exequuntur. Nimirum supremum illud Numen, cujus vi producta sunt omnia, & à cujus nutu dependent, infinita sua sapientia sic disponit omnia, ut ad opera destinata se certo quodam ordine atque methodo accingant, neque frustra quicquam molita, neque nisi quod optimum est, ac toti Rerum Fabricæ, suisque privatis naturis maximè accommodum, exequentia perinde atque *automata* non pro suo, sed artificis consilio moventur.

SECTIO TERTIA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica Annorum 1667, 1668. *partim etiam Anni* 1669, *Londini.*

ANno 1667, appetente Æquinoctio Verno, *Variolæ*, quæ durante illa, quæ proximè est prægressa, constitutione Pestilentiali, vel prorsus delituerant, vel rarissimè comparuerant, caput cœperunt attollere, jamque indies latius grassantes, sub Autumno Ἐπιδημικώτατοι factæ sunt; à quo tempore paulatim imminuta vi, superveniente brumali frigore parcius lacessebant; at proximo Vere adolescente, postliminio invaluit hic morbus viguitque, donec ab insequentis hyemis gelu, uti prius, retuso impetu cœrceretur. Posthæc tertio demum cum Vere surgente increbuit, at jam languidior, & succiso quasi poplite, minus late dominabatur, quam duabus quæ præcesserant æstatibus: Mense verò Augusto 1669 penitus intercidit, Dysenteriæ Epidemicæ locum cedens. Labente primo illo biennio, quo hæc Constitutio regnabat, Variolæ plures in urbe aggrediebantur, quam unquam alias, quantum ego memini, seu prorsum spectes, seu retro: Quo non obstante, cum genuinæ per id temporis fuerint, neque mali moris paucos jugulabant, si ingentem laborantium numerum reputemus.

Quo primum tempore Variolæ incessebant, & novum quoddam Febris genus exortum est, à Variolis, quales se tum gerebant, non multum abhorrens, si pustularum eruptionem demas, & quæ ab illa pendent, de qua in sequentibus speciatim agemus. *Febris* hæc licèt multo pauciores invaderet quàm Variolæ, easdem tamen durationè æquabat: Hyeme verò cum jam illæ minuerentur, invaluit, atque, illis Vere novo invalescentibus, recessit, prædominium Epidemicorum hujus constitutionis hoc pacto illis relinquens; Nihilominus

lominus per hæc tempora non planè desiit unquam, donec tandem cum Variolis mense Augusto 1669 omnino disparuit.

Binos hosce morbos Epidemicos & tertius comitabatur, ultima præsertim æstate, quam dicta Constitutio defamabat, *Diarrhœa* scilicet, aeris Constitutione jam tum ad subsequentem *Dysenteriam* vergente: Utut verò hæc se res habuerit, id saltem constabat, morbum hunc Febrem quæ tunc regnabat, ita proxime attingere, ut nihil aliud esse videretur, quàm ipsa Febris introversa & visceribus incumbens.

De tribus hisce morbis, qui soli in hac *Constitutione* Epidemicorum nomen sibi jure vendicabant, sigillatim jam agam, a *Variolis* initium faciens; quas idcirco paulo fusius tractabo, quoniam quæ per hos annos regnabant, mihi Genuinæ præ cæteris & *regulares* maximè videbantur, utpote eadem prorsus exhibentes φαινόμενα, & parili symptomatum agmine omnes, quotquot adoriebantur, ubique impetentes, & à quibus proinde, tanquam in suo genere perfectissimis, tum vera morbi Historia, tum etiam medendi methodus est desumenda. Notandum enim est, non tantùm Febrim quandam propriam & peculiarem cuilibet peculiari constitutioni competere, sed peculiare etiam Variolarum genus, quæ hanc quidem speciem referunt durante hac annorum serie, aliam verò annis sequentibus, quantumlibet inter se convenire videantur quoad certa φαινόμενα omnibus communia. Ita ludit natura in morborum Epidemicorum generatione! Sed ut ad rem redeam; Variolarum hujus generis Historiam ante omnia præscribam; quas ideò *Regulares* mihi licebit indigitare, ut ab *Anomalis* subsequentium annorum valeam dispescere: Tùm etiam methodum adjiciam, quæ mihi in earundem θεραπεία ex animo votoque maximè cessit.

CAPUT II.

Variolæ Regulares An. 1667, 68 *& partis* 69.

VAriolæ, quibus annis Epidemicè grassantur, si *Regulares* etiam sint atque mitiores, circa *Æquinoctium Vernum* [uti hæ, de quibus sermo nobis est] ingrediuntur; quibus verò annis non tantùm grassantur Epidemicè, sed & *irregulares* atque periculosioris sunt generis, maturiùs nonnunquam mense puta *Januario*, invadunt. Integras familias contagio suo afflantes, nemini parcunt, cujuscunque demum ætatis is fuerit, nisi prius hoc morbo laboraverit; Neque tamen eximuntur illi, quos adulterinus Variolarum genus aliquod, ad hunc morbum nihil attinentium, priùs obsederit. Duplex est harum species, (ut & Variolarum, quæ quibuslibet annis infestant;) vel sunt enim *Distinctæ*, vel *Confluentes*; quæ licet essentialiter, ut ajunt, non differant, per illustriora tamen quæ *hanc* comitantur speciem, *illam* verò non item haud difficulter ab invicem discriminantur.

1. *Interstinctæ* vel Discretæ cum rigore atque horrore invadunt, quos mox excipiunt calor intensus admodum, Capitis & dorsi vehemens dolor, vomituri-

mituritio, ingens in ſudores propenſio (quod de Adultis dictum volo, neque enim in infantibus hujuſmodi διάθεσιν mihi unquam obſervare contigit, vel ante puſtularum eruptionem, vel etiam poſt,) doloris ſenſus in partibus, quæ ſcrobiculo cordis ſubjacent, ſi manu premantur, ſtupor etiam & ſomnolentia, in infantibus præſertim, nonnunquam & Paroxyſmi Epileptici: Qui ſi infantes Dentitione jam perfunctos corripuerint, ſuſpicor ego ubique, Variolas in procinctu ſtare, quæ intra pauculas horas ſe exerente Prognoſtico ut plurimum fidem conciliant, & authoritatem; ita ut ſi fortè infans inſultum Epilepticum ſub veſperam, quod fieri ſolet, patiatur, Variolæ ſequente aurorâ in conſpectum ſe dederint; & [quod ſæpè ſæpiùs obſervavi] quæ Variolæ infantes ſtatim ab hujuſmodi paroxyſmi aggrediuntur, puſtulas emittunt magnitudinis conſpicuæ, mites etiam ſunt, atque boni moris, & rariſſimè confluunt. Atque hæc ferè ſunt illa ſymptomata, quibus hic morbus ſub initio ſtipatur, quæque eruptionem puſtularum utplurimum antecedunt. Quamvis interim hîc loci conſentaneum fuerit ſubindicaſſe, in ſanguine laxiori atque ἐυμεθολήτῳ nonnunquam accidere, ut ſeparationis periodus ſenſim atque gradatim ſine inſigni aliqua ægritudine tranſigatur, priuſquam expulſio materiæ puſtularum eruptione ſe prodat.

Variolæ diſcretæ quarto ut plurimum die, (ſi primum etiam incluſeris) ab invaſione erumpunt, nonnunquam ſeriùs aliquanto, ante illum verò rariſſimè; quo quidem tempore vel minuuntur admodum ſymptomata, quod plerumque fit, vel etiam penitus evaneſcunt; ac proinde jis affectus ſatis pulchrè ſibi videtur valere, niſi quod adulti in ſudores propenſi vix ab illis poſſit cohiberi, utut leviter tegantur; quæ quidem διάθεσις non niſi puſtulis jam maturationem attingentibus ægrum deſerit, idque ſuâ demum ſponte. Eruptionem quod ſpectat, hoc ſe ferè habet modo: Primò puſtulæ ſubrubræ, tenuiſſimarum acicularum puncta æquantes magnitudine, ſparſim ſe produnt, faciem imprimis occupantes, vel etiam collum & pectus, dein corpus univerſum. Per id temporis & fauces dolor infeſtat, qui unâ cum puſtulis ſurgentibus augetur, quæ indies grandeſcentes, & in majus faſtigium elevatæ cutem carneſque vicinas rubore afficiunt atque inflammatione.

Circiter enim *octavum* à primo inſultu diem [quam in hoc morbo Epocham ubique ſervo] intervalla, quæ prius ſubalbebant, pro puſtularum, quibus obſidentur, numero, rubere jam incipiunt, atque in molem attolli, non ſine partium dictarum dolore tenſivo & lancinante, qui in horas auctus inflammationi & tumori prædictis viam ſternit; ita ut progrediente morbo palpebræ uſque adeò impleantur extendanturque, ut æger luce quandoque privetur; qui quidem palpebrarum tumor veſicam inflatam ac reſplendeſcentem per eaſdem extenſam non male refert. Eſt etiam ubi temporiùs oculis capiuntur ægri, ſi nempe major puſtularum vis à prima eruptione ſe in illos effuderit. Proximæ à facie intumeſcunt manus, digitique pro puſtularum numero diſtenduntur. Uſque ad hunc diem puſtulæ, quæ faciem obſederant, læves ad tactum fuêre atque rubræ, jam vero aſperiores evadunt [quod quidem primum eſt inci-

pientis

pientis maturationis indicium] & subalbidæ ; paulatim insuper succum quendam luteum, colore à favo non abludentem, evomunt. Faciei interim & manuum inflammatio ad summum evecta apicem, colorem exhibet in pustularum interstitiis satis floridum, & Rosarum Damascenarum æmulum. Et sanè quo mitiores sunt Variolæ & genuinæ magis, eo etiam magis tum ipsæ pustulæ tum & cutis in earundem interstitiis dictum calorem ad vivum exprimunt, qualem jam descripsi. Uti verò quæ faciem occuparunt pustulæ, asperiores quotidiè ac magis flavæ pro maturationis ratione ; ita e contra, quæ manus & reliquum corpus ; minus asperæ, albæque magis conspiciuntur indies.

Die *undecimo*, faciei tumor atque inflammatio satis apertè recedunt, & pustulæ tàm faciei quàm reliqui corporis jam maturitatem, & justam magnitudinem adeptæ, (quæ his annis ad pisum grandiusculum ascendebat) exarescunt deciduntque ; atque, in hac variolarum specie, die *decimo quarto* vel *decimo quinto* utplurimum funditùs pereunt. Veruntamen manuum pustulæ, cæterarum partium pustulis pertinaciores plerumque, recentes adhuc albæque, diei unius aut alterius moræ illas vincunt. Faciei & reliqui corporis pustulæ desquamatione, at verò manuum quæ sunt, diruptione abitum sibi parant. Pustulis faciei succedunt squamulæ furfuraceæ, quas aliquando excipiunt foveæ cutis. Etenim ubi primùm decidunt pustulæ, nulla adhuc in cute cernitur inæqualitas ; at verò hujusmodi squamulis exurgentibus recedentibusque vicissim, tandem excavantur foveæ istæ, quæ sæpenumero inconvalescentibus ab hoc morbo diu visuntur, quamvis rarò admodum *Variolæ Interstinctæ* ulla sui linquant vestigia ; atque illæ fermè solæ, quæ sex postremis anni mensibus invasere, cùm quæ hos præverterint, nullas cuti notas imprimant, nisi fortè confluxerint, ut postea dicetur. Decurrente morbo omni, æger vel constipatam prorsus habet alvum, vel saltem rarissimè dejicit, Atque hæc de Variolis *Discretis* dicta sunto.

2, Symptomata cum Discretis communia habet & illa Variolarum species, quas *Confluentes* appellavimus, nisi quòd hîc atrociora sint omnia : Febris scilicet, anxietas, atque ægritudo, vomituritio, *&c.* immaniùs affligunt, quibus signis Medico sagaci etiam ante eruptionem *Confluentes* se produnt, Nihilominus non ita promptè hîc in sudores dissolvitur æger ac in alio genere jam suprà descripto, ubi magna, ut fit, eosdem propensio utplurimum prænunciat variolas, quæ mox erumpent, minimè confluxuras : Diarrhœa insuper nunnunquam eruptionem præcedit, & ad diem unum alterumve post illam protrahitur ; quod quidem in *Discreto* Variolarum genere nundum mihi contigit observare.

Tertio utplurimum die erumpit species hæc, *ante* illum aliquando, vix unquam *post* illum ; cùm *Discretæ* vel ipso die *quarto* inclusivè à primo insultu morbi, vel postea, ante illum rarò admodum se monstrent. Quantoque magis quartum illum diem præverterint Variolæ, tanto etiam confluent magis, Quamvis autem, ut generaliter loquamur, *confluentes* diem quartum vix præstolentur unquam ; fit tamen, licet oppido raro, ut ob atrocius aliquod

ſymptoma, ad quartum vel quintum uſque diem differatur eruptio : Verbi gratiâ, acutiſſimus dolor nunc in regione lumborum, Paroxyſmi Nephritici æmulus, nunc in latere, qualis Pleuriticos vexat, nunc in artibus ut in Rheumatiſmo, nunc denique in ventriculo cum ingenti ægritudine & vomitu enormi ante eruptionem ægrum fatigat angitque. Hiſce in caſibus, licet infrequentes ſint, Variolas ſolito ſeriùs erumpere animadverti, utpote ab immani ſymptomatum dictorum violentiâ conſtrictas atque impeditas: Quæ quidem ſymptomata ſolitis vehementiora, cùm agmen ducant, mihi ſatis apertè indicant ſecuturas Variolas & è *Confluentium* genere eſſe, & periculo minimè vacare.

At verò [quod jam proximè dicendum] licet in *Diſcretis*, mox ab eruptione (uti dictum eſt) quæ morbi in inſultum comitabantur ſymptomata, nullum jam amplius faceſſant negotium, in *Confluentibus* longè aliter ſe res habet; cùm tam Febris quam alia ſymptomata etiam ad multos dies à puſtularum eruptione ægrum diſcrucient.

Variolæ dictæ nunc Eryſipelatis ritu, nunc Morbillorum, erumpunt, à quibus non niſi à Medico in his morbis verſatiſſimo diſtinguuntur, ſaltem quo ad faciem externam: Nam qui ad diſpar in utroque morbo eruptionis tempus, aliaſque circumſtantias, quas utriuſque hiſtoria longè ad invicem diſcrepantes exhibet, ſedulò animum adverterit, haud difficulter hunc ab illo diſcriminaverit. Creſcente morbo non in molem aliquam ſpectabilem, uti *Diſcretæ*, attolluntur, quæ faciem præſertim occupavêre; at ſibi invicem implicitæ primò ſe habent inſtar veſiculæ rubræ vultum omnem contegentis, quem maturiùs etiam in tumorem elevant, quàm ſolent *Diſcretæ:* dein adinſtar pelliculæ albæ vultui agglutinatæ, ſolitam cutis ſuperficiem non multùm ſuperantes. Præterlapſo die *octavo*, pellicula alba quotidiè paulatim magis exaſperatur judice digito, & ad colorem fuſcum, non verò flavum, ut in *Diſcretis* accidit; intenduntur indies tum aſperitas, tum etiam cutis color, donec tandem pellicula dicta latioribus laminis deſquamatur, quod in quibuſdam faciei partibus, ſi morbus truculentior fuerit, non niſi poſt viceſimum diem ſolet contingere. Quantò atrociores fuerint Variolæ, tantò magis puſtulæ matureſcentes ad colorem ſubfuſcum vergunt, tantò etiam lentiùs, ſi ſuo utantur genio, abſcedunt; ut econtra quantò minus confluxerint, tantò magis & flaveſcunt, & ſe ocyus protipiunt. Pellicula hæc ſeu ſcabies omnia pervadens, ubi primùm deciderit, nullâ quidem ſcabritie vultum afficit, at verò mox illam excipiunt ſquamulæ furfuraceæ indolis perquam corroſivæ, quæ non modò patentiores excavant foveas, quàm ſolent Variolæ diſtinctæ, ſed etiam faciem cicatricibus fœdè deturpant. In *Confluentium* genere, ſi admodum ſævierit morbus, humerorum etiam & dorſi cuticula nunnunquam deperditur, nudatis partibus ſubjectis expoſitiſque.

Animadvertendum eſt autem, Morbum hunc magnum æſtimari, non pro Variolarum frequentiâ, quæ reliquum corpus, ſed pro earum numero tantùm, quæ faciem obſedêre, quæ ſi his tanquam injectâ arenâ ubique contegatur, utut paucæ atque Diſcretæ ſint eæ, quæ in reliquo corpore cernuntur, haud

minus

minus periclitatur æger, quam si membra omnia denso agmine pervaserint: Atque ex adverso quantumlibet spissè truncum & artus occupaverint, si in facie rariores comparuerint, magis in vado res est. Quod de numero diximus, & de Variolarum more potest affirmari, malusne scilicet is fuerit, an secus, vultus apertè indicat.

In *Confluentium* genere ubique observavi Pustulas manuum atque pedum majores fuisse, quàm reliqui corporis, & quò altiùs ab artuum extremitate truncum versus ascenditur, eò sensim minores & contractiores semper extitisse. Atque hæc de *Pustulis* censui dicenda.

Sunt verò & alia sympromata duo, quæ Variolis *Confluentibus* accidunt, haud minoris momenti, quàm vel Pustulæ ipsæ, vel tumor; vel aliud quodlibet è prædictis; *Salivatio* nempe in adultis, atque in infantibus *Diarrhœa*. Horum prius ita perpetuum se comitem adjungit, ut unicum tantùm viderim Variolis *Confluentibus* laborantem; nullâ superveniente Salivatione: Posterius autem, nempe Diarrhœa, Infantes hac specie laborantes non ita certò discruciat. Utrum providens natura has evacuationes idcirco substituerit, quòd in pusillo hoc ac humili genere materia morbifica ita penitus nequeat exterminari, ac in pustilis istis majoribus ac magis fastigiatis generis *Discreti*, nullus definio, cum Historiam tantum scribam, non solvam Problemata. Hoc certo scio, quod non solum Variolas *Confluentes* plerumque commitantur, sed etiam quod quæ per illas fit evacuatio tam est necessaria, quam sunt vel Pustulæ, vel faciei & manuum intumescentia.

Dicta *Salivatio* nonnunquam sub primum eruptionis tempus se prodit, nonnunquam non nisi postridie, biduove præterlapso. Materia primò tenuis excernitur, ac facile ad tempus aliquod rejicitur, ægro interim multa lintea eadem nocte conspurcante. Neque sanè multum cedit Ptyalismus hic alteri illi qui ope *Mercurii* excitatur, nisi quod non ita male oleat. Die autem ferè *undecimo* saliva viscidior jam facta, ægerrime excreatur; sticuloſus est æger, tussit subinde inter bibendum & potus per nares revertitur, atque ab hoc die cessat ut plurimum Salivatio; licet aliquando, (rarius tamen id accidit,) ubi per diem unum alterumve omnino cessaverit, tandem postliminio recrudescat. Dicto autem die, undecimo scilicet, tumor faciei una cum Salivatione imminui incipit, ac tunc primum ejus loco manus intumescere solent, aut debent.

Diarrhœa non ita mature infantes solet invadere, atque adultos *Ptyalismus*; quocunque vero tempore ingruerit, nisi ante sistatur, singula morbi stadia decurrit.

In utraque Variolarum specie Febris à primo statim insultu ad eruptionem usque præcipuè dominatur; qua peracta inducias ferè dat usque ad pustularum maturationem, & tempus in quo pus conficitur, quo demum elapsos prorsus desinit.

Observavi semper in morbo vehementiori, ægrum sub vesperam quasi Paroxysmo laborasse, & funestiora symptomata vespertinis præsertim horis se ostendere, atque exacerbari.

En justam Variolarum hujus generis Historiam; vera ac genuina hujusce morbi Phænomena, prout scilicet naturaliter se habet, complectentem: De

Accidentibus Anomalis, quæ eidem, ubi minus rectè tractetur, superveniunt, jam proximè disseremus.

Animadvertendum est itaque, ista quæ die *octavo* in genere *Distincto* occurrunt Symptomata Anomala, & quæ *undecimo* die in *Confluente*, (facto semper à primo morbi insultu computandi initio] maximum ad ægri sive vitam, sive interitum pondus habere, magisque ad amussim expendi debere, cum liquido constet, maximam eorum partem qui utrolibet morbi (sc. *jam descripti*) genere intereunt, præfatis singulatim diebus defungi. Primò enim qui *Discretis* Variolis laborat æger, cum satis promptè sudoribus diffluat, (quod hîc in adultis fieri solere jam diximus, ac sibi omnia bona promittat, si morbi, ut sperat, virus per cutis poros hoc pacto amandaverit; diligenter ideo huic methodo insistit, tum remediis Cardiacis intro assumptis, tum regimine calidiore, ut par est, adhibito; [atque hæc eo facit lubentius, quod tum ab hac Methodo in principio sibi meliùs videatur habere, tum etiam ad male fundatam Astantium opinionem propiùs accedat,] Tandem vero eliminatis per διαφόρησιν particulis istis quæ ad pustularem elevationem, atque intumescentiam faciei debuerant facere, die *octavo* quæ turgescere, & per interstitia pustulis interjecta inflammari debuerat facies, flaccida è contra reperitur, & albescunt interstitia, licet interim rubescant pustulæ atque eleventur, etiam post ægri mortem Qui ad hunc usque diem nullo negotio manaverat sudor, jam subito suaque sponte evanescit, neque remediis ullis Cardiacis, vel etiam calidissimis, revocari potest. Æger interim Phrenitide corripitur, anxietate, jactatione, ægritudine vehementibus; urinam parcè reddit, ac frequenter; ac tandem pauciſſimarum horarum spatio amicorum spem fallit, & ad plures migrat. Veruntamen hîc est notandum, quod, si paucæ compareant Variolæ, hyems si fuerit, æger ætate provectior, aut venæ-sectio fuerit celebrata, regimen illud calidius in quod jam animadvertimus, non ita certo faciei turgescentiam impedit, & proinde mortem accersit, atque ubi confertæ Variolæ, Ver æstasve fuerit, æger ætate florens, neque sanguis detractus.

At vero in *Confluentibus* maxime periclitatur ægri, & plerique etiam moriuntur die *undecimo*; nam cum hoc fere tempore *Salivatio*, quæ ægrum hactenus in tuto posuit, soleat desinere sponte suâ, nisi faciei intumescentia adhuc aliquantulum persistens, ac manuum insigniter jam incipiens ejus vicem subeat, necesse est ut pereat æger: Id enim est perpendendum, quod in hoc Variolarum genere, ubi pustulæ tam sunt exiguæ, non Salivatio tantum, sed faciei insuper & manuum intumescentia ad materiam morbificam rite eliminandam omnino requiruntur; quarum utralibet, si vel non adsit, vel ante justum tempus recedat, ægro protinus moriendum est. Jam vero nimio sæpius evenit in morbo calidiori, ut sanguinis crasi à regimine præfervido dissecta fractaque, atque eo usque accensa ut particularum inflammatarum exterminationi sensim faciendæ non amplius competat, [ut quæ sudoribus importune extortis debentur mala jam taceamus,] hinc vel non omnino intumuerint facies manusque, vel tumor ille una cum salivatione evanuerit, quam-

vis

vis enim faciei tumor ipso hoc die aliquantisper debeat remitti, non debet tamen nisi post diem unum alterumve omnino recedere, manuum interim tumore persistente vigentéque; quo quidem vix aliud est minus fallax Convalescentiæ προγνωστικὸν, uti neque contrario certum magis imminentis periculi indicium.

Sed utut id sit; materia Ptyalismi quæ ad hunc usque diem cruda fuit, tenuis, & facilè excreabilis, viscida jam facta & tenax, ægro suffocationem intentat; Potus quem assumit in pulmones ferè dilabitur, unde cum Tussi violenta per nares rejicitur, voce est rauca; somnolentia & stupore corripitur ingentibus, oppressus undique vi morbi, atque in hujusmodi agone ut plurimum extinguitur, eo quem jam diximus die.

Sunt & alia adhuc symptomata, quæ in quolibet morbi statu occurrunt, tam *Discreto* Variolarum generi, quam *Confluenti* patiter communia.

Phrenitis, v. g. à nimia sanguinis ebullitione nonnunquam ægrum corripit, & caloris tam parum est patiens, ut magnis viribus, ac furibundo nisu injectas prehendentium & lecto incarcerantium manus eludere conetur.

Aliquando eadem causa effectum longe diversum, seu contrarium, ut videtur, producit, Affectum sc. *Comatosum*; ita ut æger nunquam fermè evigilet, nisi continuo pulsu excitatus.

Est etiam ubi in hoc morbo, perinde atque in Peste, laxata, inflammationis vi, sanguinis compage, *maculæ purpureæ* se ostentant Pustulis interspersæ, mortis ferè semper Prænunciæ. Frequentius hoc evenit, ubi aeris Constitutio morbo isti Epidemico grassanti præ cæteris favet. Aliquando in pustularum summitate maculæ nigræ exiguæ, acicularum capita vix æquantes, in medio vero subsidentes, se produnt variis in locis; quæ cum nimio fervori ortum debeant suum, tandem beneficio regiminis magis temperati fuscum colorem acquirunt, posteaque pedetentim subflavum illum, qui variolis genuinis, ac suum morem obtinentibus, naturaliter competit; quod satis liquido cernitur in illa quæ circa morbum hunc versatur praxi, in quo omnia Symptomata eo, sunt mitiora, quo magis pustulæ maturitatem adeptæ ad dictum colorem accedunt, atque è contra.

Adolescentum porrò, & ætatis flore vigentium, [præcipuè si vino, aut alio quovis liquore spirituoso se nimium impleverint] usque adeo in hoc morbo nonnunquam sanguis accenditur furitque, ut per Arterias & vesicam viam sibi faciat, & qua data porta ruat; quo quidem *mictu sanguineo* vix aliud symptomata pejoris notæ atque ominis invenire licet, per omnem hujus morbi tragœdiam.

Ab eadem insuper causa nonnunquam, licet rarius, sanguis è pulmonibus ejicitur. Utraque vero Hæmorrhagia hæc sub morbi initio plerumque contingit, pustulis nondum erumpentibus, vel si in quibusdam locis se ostendant, in plerisque tamen aliis adhuc sub cute densæ latent, atque ejus sunt generis, quæ in maximè *Confluentes* adolescerent, nisi jam dictum symptoma ægri morte morbum finierit.

Aliquando etiam *Vrinæ ſuppreſſio* totalis ad malorum cumulum accedit, in juvenibus præſertim, idque in ſtatu, vel etiam declinatione *Diſcreti* generis.

Sunt & alia ſymptomata, quæ à προφάσει aliqua jam dictis contraria interdum oriuntur, ſi nempe æger à frigore nimis intenſo fuerit læſus, vel ſi præter jus faſque vena fuerit pertuſa ad ingentem vim ſanguinis amiſſionem, aut alvus nimia Catharſi ſubducta, unde puſtulæ nonnunquam faſtigiis cedunt & de repente conſidunt, ſuperveniente inſuper *Diarrhœa*, à qua ægro, (adultus ſi fuerit, ut ſupra innuimus,) ingens eſt diſcrimen, & anceps morbi exitus, materia ſc. Varioloſa intro verſa, ita ut natura eidem per cutis poros debite exterminando impar prorſus inveniatur. Huc accedit, quòd faciei manuumque tumor ab his retunditur, qui non minus in boni ægri rebus eſt cenſendus, quam ipſa Puſtularum eruptio, niſi eæ fuerint *perpaucæ*.

Quæ vero à ſuſcepto frigore pendent ſymptomata, raro admodum occurrunt, ſi cum illis conferantur quæ à contrario, calidiori nempe regimine, naſcuntur; Cum enim morbus hicce inter calidiſſimos jure optimo habeatur, longe minus ab hac parte peccatur, quam ab altera.

Qualis vero ſit hujus morbi eſſentia, ob naturalem & communem mihi cum reliquis hominibus Intellectus defectum, neſcire plane me fateor; veruntamen prælicta ſymptomata penſiculatim trutinata mihi videntur ſubindicare, *Inflammationem* eum eſſe (à cæteris tamen Inflammationibus ſpecie diverſam] tum ſanguinis, tum reliquorum humorum, in qua amolienda, per dies priores duos treſve id agit natura, ut particulas inflammata digerat coquatque, quas poſtea in corporis habitum ablegatas maturat adhuc, & ſub Abſceſſulorum forma ſuis demum finibus expellit. Quapropter ut fundamento alicui medendi methodus ſuperſtruatur, notandum eſt, duo eſſe hujus morbi tempora, quorum primum *ſeparationis* eſt, ſecundum *expulſionis*. Atque primum quidem illud tempus plerumque cum Febrili ebullitione tranſigitur, quod tribus vel quatuor primis diebus peragi ſolet, quorum decurſu natura id ſatagit, ut partes ejuſmodi inflammatas ſeligat congregetque quæ ſanguinem laceſſunt, atque etiam ut illas in carnoſas corporis partes relegatas ibidem deponat, quo facto priſtina quiete fruitur, ſedato jam tumultu, qui, dum hoc ageretur, in ſanguine ciebatur. *Separatione* ſic ope ebullitionis, in ſanguine peracta, *Expulſio* jam locum obtinet, quæ per reliquum morbi tempus, mediantibus parvis illis *abſceſſibus*, in carne perficitur. Sicut enim à natura abſceſſuum ſua ſpecie non abludunt, ita parem cum aliis, cruditatis maturationis, atque exareſcentiæ ſtatum percurrere ſolent; quæ omnia ſi ritè atque laudabili modo abſolvant & exequantur, in tuto res eſt, cum exinde curationis ſumma dependeat; ſin minus, omnia peſſum ruitura ſunt. Et quidem poſtremum hoc negotium, priori illo *ſeparationis* opere, tanto plus temporis ſibi vendicat, quod prius illud in tenui fluidoque corpore tranſigatur, atque in ipſo (ut ſic dicam) naturæ foco; poſterius autem denſo ſpiſſoque theatro, atque à vitæ fonte paulo remotiori, partes ſuas exequi cogatur.

His ita præmiſſis, Indicationes exurgunt: 1. Ut æquabilis ille tenor ebullitionis

litionis in sanguine conservetur, qui neque nimis properè separationem nimia sua vi perficiat, neque tamen torpido nimis motu eandem remoretur, vel non satis idoneam præster. 2. Ut abscessuli, pustulæve summa cura sustineantur, quo debita tempora percurrentes, tandem contentam in se materiam omnino avehant, ipsæque etiam evanescant.

Ut itaque paucis de *primo* agamus; solicitè inprimis cavendum est, hoc tempore præsertim, ne nimium assurgat ebullitio, sive id fiat ex congestis stragulis, sive ex aere loci in quo decumbit æger, igne nimium excalefacto, sive ex calidorum medicamentorum & cardiacorum usu; præcipue vero ab his cavere oportet, si æger in ætatis flore constitutus fuerit, vel sanguinem habeat generosiori potu nimis exaltatum, vel anni tempestas aut Verna sit, aut saltem ultra æstatis initium non processerit. Hinc enim fiet, ut separatio, quæ sensim lentisque gradibus peragi debebat, ut ad universalem quandam despumationem opportunius pergat, præcipiti cursu feratur; atque ita vel non satis idoneus partium numerus congregetur, vel [quod forte contingat] nonnullæ partes ad secretionem damnentur, quas alias Natura illam subire noluisset; nisi quod ultra debitos limites excurrere coacta, noxam hanc sibi creet: secretis enim illis, quæ ad separationem minus opportunæ sunt, aliorum illuc propendentium motus, eorum commixtione impeditur, adeoque redduntur expulsioni minus accommodæ. Mihi quidem rationi consentaneum videtur, ut quo diutius natura *separationem* molitur, ac perficit; dummodo ebullitio non omnino torpeat, eo certius atque universalius eadem *separatio* absolvatur. Atque ex illa sic absoluta, curationis insequentis successus potissimum ut dependeat necesse est, uti ex methodo contraria, contrarius plane rei exitus; ex calido enim isto regimine nihil boni nascitur, sicut ex præcoci fructu, nihil frugi: cum frequenter usu veniat, ut vel in Phrenitidem æger prono lapsu ruat; vel (quod pejoris notæ est) sudores ingentes oboriantur, ex quibus partes non secerni aptæ, neque *puris* naturæ respondentes (quod ipsum tamen pus genuina soboles est hujusce excretionis) eliminentur, vel ex cardiacis illis administratis, calidaque custodia, Variolæ nimis protrusæ in unum confluant, fœdo certè spectaculo, tristemque eventum interminanti.

Atque hæc & hujusmodi symptomata ex his erroribus progigni solent, cum ex altera illa methodo nihil unquam mali observaverim. Natura enim sibi permissa negocium suum suo tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum secernit, tum etiam expellit, ut (in Junioribus præsertim vegetisque temperamentis) nostra ope, nostris artificiis, atque auxiliis non indigeat, suis viribus optimè instructa, suis opibus locuples, suo denique ingenio satis edocta. Neque sanè vel ipse vidi, vel fando accepi, quenquam ex eo periisse, quòd Variolæ primò non eruperint, etsi nimis multi perierint, quorum Variolæ primùm laudabiliter, & cùm summa spe erumpentes, postea recedentibus pustulis præmaturè detumuerunt.

Quemadmodum autem inconsultum est atque periculosum, calidioris regimi-

nis

nis vel Cardiacorum ope cœptam ebullitionem nimis evehere ; ita è contrario non minùs vacat periculo mediantibus venæ-sectione, clysteribus, emeticis, catharticis, aut id genus aliis eandem minuere, cum hoc pacto partium separabilium commoda secretio plurimùm impediatur. Licet enim vulgare illud atque tralatitium argumentum, quo adversus Phlebotomiam, aliasque evacuationes utuntur (nempe quòd non liceat à circumferentia ad centrum movere humores, cùm natura in hoc morbo contrarium affectare videatur,) nullarum planè virium sit ; eo quòd ex earundem usu contrarius omnino effectus, subitanea scilicet variolarum eruptio, sæpissimè consequi deprehendatur ; aliæ nihilominus rationes in promptu sunt, quæ vehementer suadent, ut, siquidem ullo modò vitari possit, ab hac praxi manus abstineamus. Namque [ut earum præcipuas paucis attingamus] per hasce evacuationes, non tantum ebullitio nimis imminuitur, cujus interim ope partes despumandæ accuratè secerni debuerant, verum etiam illud ipsum subducitur, quod cœptæ secretioni quasi pabulum continenter suppeditaret ; unde sæpenumero contingit, ut variolæ primùm laudabili impetu erumpentes [eoque fortasse melius, quòd evacuationes jam dictæ præcesserant] paulò post ex improviso quasi repercussæ detumescunt, idque ob eam potissimum causam, quòd materia desit, quæ quasi à tergo præeuntem insequeretur, atque agmen clauderet. His verò non obstantibus, si vel minimum suspicari liceat variolas mox erumpentes è Confluentium genere futuras esse, utile prorsus erit, ut non solùm sanguis quàm primùm mittatur, sed & Emeticum propinetur, ob rationes alio in loco, fusè dicendas.

Tandem ut ad secundam illam Indicationem pedem promoveamus ad tempus *expulsionis* accommodatam ; quo tempore materia separata, parvorum abcessuum sive pustularum ope, amandatur atque expellitur ; nempe illud hic agendum est, ut pustulæ debito modo sustineantur, quo ritè atque ordine destinatam periodum assequantur.

Sicut itaque supra satis, ut opinor, ostensum est, imprimis periculosum esse, si æger præsenti Febre, at pustulis vix dum apparentibus, in ipso *secretionis* tempore nimium calefiat ; ita etiam non minori periculo plena res est, si idem quovis morbi tempore fiat, atque illo præsertim quod ad expulsionis initium vergit, crudis adhuc existentibus pustulis : Quamvis enim sanguis, peracta jam *separatione*, atque relegata ad carnosas partes materia, ab intestino tumultu magnam partem immunis sit, interim tamen tener adhuc, recensque, ac vix novo statu & quasi textura indutus, ἐυπαθὴς est, facileque vi caloris immodici undecunque appellentis afficitur, atque adeo leviſſimo momento irritatus flammam concipit, & in novam ebullitionem proclivis est ; quæ quidem nova ebullitio, non, uti prior illa, *separationem* jam molitur [illam quippe peractam supponimus] verum illius loco non tantum symptomata superius memorata excitat, sed & cœptam per pustulas *expulsionem* interturbat, & contentam materiam exagitando noxam parit. Vel itaque partes jam secretæ, atque in corporis ἕξιν depositæ, vehementi illo rapidoque

sangui-

sanguinis ebullientis cursu abreptæ in ejusdem massam resorbentur ; vel partes carnosæ ultra gradum suppurationi debitum excalefactæ, minus commodè illam exequuntur ; vel denique fortassis obortà hac nova ægritudine, sanguinis œconomia, ipsarumque carnium tonus pervertitur, usque adeo ut materiam illam expulsam vincere, eamque solemni more abscessuum coquere nequeat.

Interim non usque adeo nos illuc intentos esse oportet, quo ebullitionem nimiam in sanguine prævertamus, ut ægrum frigoris injuriis exponendo, pustularum eruptio impediatur. Gradus ille caloris ad harum expulsionem promovendam accommodatissimus, naturalis sit oportet, atque ejusmodi, quæ carnosarum partium temperie conveniat, quique hunc excedit, aut ab eodem deficit, utrinque periculosus est.

Ex dictis itaque satis manifestum videtur, in quam incerto lubricoque sit loco, tum, morbus ille, de quo loquimur, tum praxis medica, quæ eidem accommodanda est. Atque etiam exinde pronunciare ausim, illius famam, qui in medicando hoc morbo frequenter sese exerceret, in angusto versari ; quandoquidem nun vulgus solummodo mortis causam satagenti nimis Medico transcribere paratum sit, verum etiam ejusdem artis professores calumniandi ansam inde cupide arripiant, atque coram iniquis judicibus causam dicentes, severissimam sententiam facilè eliciant ; eo scilicet consilio, ut ipsi pluris æstimentur, & super aliorum ruinis viam sibi sternant ad famam : id quod viris literatis indignum prorsus est, imo & vilioribus Artificibus, modo probitatem colant. Hinc porro cernere est, quod minus mirum sit, si Nutricibus, per se nimium plerumque officiosis & satagentibus ; res male sæpenumero succedat ; Nempe res ardua est, & quæ mulierculârum ingenium atque judicium superat, gradum caloris huc requisiti definire, præsertim cum anni tempestas, ægrorum ætas, & vitæ ratio, aliaque huc spectantia simul pensanda veniant, id quod prudentem profecto atque sagacem Medicum omnino postulat.

Si contigerit, ut vel Phlebotomia minus opportune celebrata, vel admisso frigore pustulæ reciderint, vel facies ac manus detumuerint, Cardiacis utendum est. Sed cavendum tamen, ne in his exhibendis nimii simus : Quamvis enim sanguinem ademeris, fieri tamen potest, ut virium inde jacturam metuens, adeoque Cardiacis aut fortioribus aut sæpe repetitis utens, novam ebullitionem ex improviso suscites. Nimirum sanguis adhuc tenuior est, & vim calidioris stimuli facilè sentit ; unde fit, ut sæpe repetitæ ebullitiones in eodem excitentur, quibus ægrorum mors majori jure tribuenda est quàm prægressæ venæ-sectioni. Atque hæc generatim de jis, quæ primariis Intentionibus satisfacere possint, dicta sunto.

* Jam ut calcata vestigia repetam, ac ad Praxin propiùs accedam : Quamprimùm manifesta hujus morbi indicia se produnt, ægro aura liberiore, vino, ac carnium esu interdico, cerevisiam verò tenuiorem pane tosto leviter tepefactam

pro potu ordinario, ac subinde pro arbitrio hauriendam concedo; pro victu etiam jusculæ avenaceæ, hordeaceæ, poma cocta, aliaque, quæ neque frigoris neque caloris vim aliquam egregiam obtinent, aut ventriculo concocturo molestiam exhibent, injungo. Nec vulgarem illam rusticamque dictam admodum improbo, nempe ut lacte cum pomo cocto & contuso vescatur, modò cautum sit ut eo per vices utatur, & modicè, dempto etiam lactis frigore. A regimine calidiore protinùs inhibeo, ut & ab usu medicamentorum Cardiacorum quorumcunque, quibus variolas in cutem ante diem *quartum* qui eruptioni proprius est ac naturalis, temerè propellere nonnulli satagunt: Cùm pro certo habeam, eò magis universalem fore materiæ Varioloſæ separationem, quo tardiùs istæ prorumpunt, proinde & securiores possumus esse ne se denuò intro condant, & rectius maturescent, cùm, si ante tempus extrudantur, præcipitatur materia cruda adhuc atque inconcocta, quæ ad instar fructuum præcociorum inani spe lacta. Adde, quòd ab hac nimium festinata diligentia periculum est (in calidiotibus præsertim temperamentis ac vegetioribus, quorum principia Activa plus satis Cardiacorum supplent vicem) ne natura nimis incitata coactaque, universam pene corporis substantiam in variolas effundat; ita ut jam *confluunt* illæ, quæ, nisi plus æquo properasses, in *distinctarum* ordine lætiori omine substitissent. Portò non ideò statim foras propellendæ sunt Variolæ, ubi primum aliqua morbi hujus suspicio oritur, quia sc. æger ante eruptionem vehementer ut plurimum laborat angiturque, cùm ne vel una quidem instantia possit ostendi, quempiam ideo interjisse, utut graviter ægrotaverit, quod non mox prodirent Variolæ, vel naturam jisdem seriùs ocyus extrudendis defuisse, nisi sicubi regimine calidiore & remediis Cardiacis, præmature ingestis, fuerit impedita. Etenim non semel observavi in junioribus & temperamento sanguineo præditis, regimen calidius, & Cardiaca eo animo exhibita ut Variolas ante justum tempus exturbent, ita parum eruptionem acceleraſſe, ut eidem è contra obicem ponerent: Sanguine enim his modis excalefacto, & in motum violentiorem, quàm qui materiæ Varioloſæ separationi ritè peragendæ par esset, concitato, certa tantùm quædam morbi indicia se prodidere, latentibus intra cutim pustulis, neque se ultra efferentibus, quibuscunque demum Cardiacis solicitarentur, donec tandem sanguine ad moderatam debitamque temperiem redacto, concessa sc. Cerevisia tenuiori, demptoque partim stragulorum, quibus torrebatur onere, pustulis exiturientibus commodam viam stravi, atque ægrum in turo, Favente Numine, collocavi. Neque magis, si quid ego judicando valeo, ab illis stat Ratio, qui ægrum ita pertinaciter ante diem *quartum* lecto addicunt, modo cubiculi ambitu se contineat, quam ab his, qui adeo præmature atque intempestive Cardiaca ingerunt; Etenim *Sanguinis mictus*, *maculæ purpureæ*, & reliqua symptomata lethalia, [de quibus supra] eo tantum nomine, præsertim ætate florentibus, superveniunt, quod nempe lectulo præpropere nimis affigantur. *Quarto* vero die lectulo ægrum adjudico, ac tum temporis, si eruptio parum pro votis succedat, recte exhiberi potest Car-

dia-

diacum aliquod blandius, unica saltem vice, quo exigantur pustulæ. Inter ista quæ huc faciunt medicamenta, *Paregorica* dicta, qualia sunt *Laudanum Liquidum*, *Diascordium*, *&c.* si in pauca quantitate Aquis Cardiacis appropriatis admisceantur, cæteris prælucent: Hæc enim cum sanguini æstuanti frænum injiciant, Natura materiam morbificam opportunius atque liberius ejicit, atque amolitur. Neque etiam consulerem, Cardiacum ante hunc diem propinare vel urgente *Diarrhœâ*, atque illud, ut videtur, indicante. Licèt enimi, quod antea innuimus, nonnunquam Variolarum *Confluentium* eruptionem præcedat *Diarrhœa* (quæ oritur ab halitibus inflammatoriis, vel humoribus à massa sanguinis per primos dies exagitati atque æstuantis, in intestina exoneratis) non tamen hic magis deerit natura dictis materiæ varioloſæ halitibus in corporis habitum propellendis, [quo facto, sua jam sponte sisteretur Diarrhœa,] quam solet in halitibus istis extrovertendis eliminandisque, qui in ventriculum inversi sub initio morbi vomitum provocant.

Animadvertendum verò est, quod si ad adolescentem vegetiorem accersor, & qui insuper liberaliore sive vini sive liquoris cujuscunque spirituosi compotatione morbo ansam dedit, non satis habeo ad frænandam sanguinis ebullitionem, ut tam Lectulo, quàm Cardiacis abstineat, nisi ad hæc sanguis è brachio mittatur: Quòd si non concedatur, obtinente vulgi præjudicio, missionem mihi saltem esse petendam existimo. Superinducta enim Inflammatione ista, quam sanguini impressit liquorum spirituosorum Fervor, intenso illi calori, quem hic morbus naturaliter comitem habet, ita fuerit sanguis, ut non raro in vesicam vasorum ducto irruat; vel maculas pariat purpureas, aliaque ejusmodi symptomata, quæ per omnem morbi decursum crucem figunt Medico, atque ægrum è medio tollunt. Atque hæc de illis quæ ante pustularum eruptionem sunt peragenda.

Ubi primum eruperint Pustulæ, jam proximò diligenter mecum perpendo, an *Discreti* fuerint generis, an verò *Confluentium*; cum longo hæc intervallo ab invicem distent, quantumlibet conveniant quoad symptomata quædam utrisque communia. Si itaque ex pustularum magnitudine, & paucitate, tardioreque eruptione, tum etiam Ægritudinis, aliorumque symptomatum gravissimorum; quæ in *Confluentibus* etiam post eruptionem fatigant, evanescentia, de genere *Discreto* mihi constet; ægrum Cerevisia tenuiori, jusculis avenaceis, hordeaceis, &c. reficiendum curo, modo quem suprà descripsimus. Atque si tempore æstivo eoque calidissimo Variolæ non ita multæ obtingant, quorsum attineat ægrum in lecto jugiter stratum obrutumque detinere, ego quidem non video, Quin potius singulis diebus, per aliquot horas de toro surgat, eâ lege, ut tàm loco, quàm vestitu, frigoris pariter ac caloris nimii incommoda præcaveantur. Quid quod ægroto à cubili quandoque abstinente, morbus minori cum molestia, ac etiam breviori spatio tempora sua peragat, quàm si eidem continenter affigatur, quod non modò ægritudinis tædium adauget, verùm etiam Febrilem æstuationem fovet, & prodeuntibus vesiculis dolorificam inflammationem conciliat. Quòd si aut frigidior anni

tempestas, aut copiosior Exanthematum eruptio perpetuò decumbendi necessitatem ægrotanti imponat, prospicio, ut non intensiore caloris gradu, vel adjectis pluribus stragulis in lecto decumbat, quàm quibus in prospera valetudine uti solebat, accenso interim non nisi hyeme incumbente, manè & serò foco mediocri. Neque etiam exigo, ut in eodem loco semper jaceat, nempe ne sudores erumpant, quos ego tum rationibus supra allatis, tum ipsâ experientiâ fretus, fidenter affirmo non absque ingenti periculo promoveri posse.

Determinente morbo, cùm alicuum à materia jam in pus conversa prodeuntium eruptio liberior à pustulis tandem crustosis ac duriusculis impediatur, absque non erit *Vini Canarini semi-cocti cochl.* 5 *vel* 6, vel aliud medicamentum Cardiacum temperatum exhibere, ne scilicet halitus illi putridi in sanguinis massam postliminio revertantur. Et sanè jam nunc, neque prius, Cardiacis locus est. Eodem pariter tempore Diæta paulò calidior & Cardiaca magis potest concedi; jusculæ v. g. ex pane & cerevisia saccharata, è farina avenacea cum cerevisia & saccharo, &c. Neque aliis omnino erit opus, in genere scil. *Discreto* ac leniori, si æger hac Methodo ac diæta, utrisque moderatis, se tractari patiatur; nisi fortean inquietudo, vigiliæ aut alia symptomata Phrenitidem minitantia, Paregorici usum subinde suadeant.

Hæc sanè, reclamante licet immani isto ac malè fundato hominum præjudicio, quod ex adverso militat, vera est ac genuina Methodus huic Variolarum generi medendi, & obtinebit demum, me vitâ functo. Et licet non negem, multos regimine admodum opposito tractatos nihilominus convalescere, fatendum est tamen, [& sanè dolendum etiam, si nobiscum reputemus quàm omni prorsus periculo vacat ex sua natura hoc *Discretum* genus] plurimos etiam interire, quin & alii complures fatis pariter concederent, nisi vel à frigidiore tempestate, in quam incidit morbus, vel à Phlebotomia [aliter supervacanea atque inutili] nuper celebrata servarentur. Quo nomine, si vel obstinatio amicorum, vel ægri diffidentia prædicto regimini intercesserit, tutius mihi videbatur sanguinem detrahere; quod quidem, licet in hac specie per se officiat (quatenus sc. & separationem perturbat confunditque, & pabulum insuper tum pustulis, tum tumoris elevandis destinatum subducit) aliquantisper tamen secuturum regimen calidius pensat, ac proinde hanc, quam non nisi coacti usurpamus, Methodum, non usque adeò periculosam atque ancipitem reddit.

Ex dictis [ut obiter attingam] facile erit vulgare illud Problema solvere; quî fiat sc. ut perpauci adeò è plebe hoc morbo pereant, si ad eos comparentur, qui inter divites eodem trucidantur; quod quidem vix ad aliam causam potest referri, quàm quòd ob rem domi angustiorem, & agreste vivendi genus, vix illis fiat copia sibi nocendi regimine magis accurato ac delicatiori. Quinimo & plures inter vulgus jugulavit hic morbus, ex quo *Mithridatii*, *Diascordii*, *Decocti* C. C. *&c.* usum didicere, quàm in sæculis *indoctioribus* quidem, at magis *sapientibus*; cùm in singulis fermè ædibus reperiatur stolida aliqua ac sciola muliercula, ,quæ in hominum perniciem, quam non didicit,

Are-

Artem exerceat. Atque hæc de Variolarum, quas *Interstinctas* appellavimus, curatione.

At si *confluant* Variolæ, periculosæ plena res aleæ est; arbitror enim ego, genus hoc non minus ab altero illo discrepare, quàm ab hoc ipsa pestis, licet apud hominum vulgus, quibus nomina & verba pro rebus sunt, utriuslibet Curatio ex æquo prædicetur. In hac morbi specie, cùm intensioris sanguinis inflammationis proles sit, major pariter adhibenda est cura, ne calefiat æger, ut in prioris Curatione jam dictum est. Quamvis autem species hæc ex sua natura majorem sibi vendicet refrigerationem, quàm altera ista, ad promovendam tamen faciei ac manuum intumescentiam, (sine qua de ægro actum est) & pustularum elevationem atque augmentum, tum etiam, quia æger ob exulcerationes dolorificas lecto abstinere nequeat, expedit, ut in eodem contineat & se, & manus etiam suas, modò stragulis modicè contectus sit, & concessa fuerit venia ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio suo transferendi, ut in genere *Discreto* innuimus. Præsertim verò morbo exeunte, cùm jam appetat *Febris Maturatio*, non tantùm hac libertate privandus est æger, sed monendus etiam, ut eâ utatur, quin & versandus persæpè nocte atque interdiu, ut ingens calor contemperetur, & evitentur sudores, quibus amandatur lenis iste humor, quo diluendæ sunt Variolæ, ut mitescant.

Quandoquidem verò, ut diximus, *Ptyalismus* hanc speciem jugiter comitatur, qui cùm è præcipuis sit Naturæ evacuationibus, atque hic in ejus locum, quæ per pustulas fieri debuit, substituatur, [quæ quidem per pustulas evacuatio in hac specie humili ac depressiore non æquè atque in altera procedit] summoperè annitendum est, ut dicta Salivatio in vigore perstet & conservetur, nec ante diem suum sistatur, vel remediorum calidorum usu, vel à cerevisia tenui aut simili alio liquore liberaliter hauriendo, ægrum arcendo. Jam cùm Ptyalismi mos sit naturaliter se habentis, ut cum prima eruptione incipiat, & die *undecimo* minuatur, neque tamen nisi post diem adhuc unum aut alterum omninò desinat, si ante diem illum penitus cesset, in lubrico sunt ægri res. Nam cùm faciei rumor [per quem nonnihil materiæ morbificæ evacuatur] nunquam non eo ipso die dispareat, si Salivatio eodem pariter tempore se subducat, æger materiâ Variolosâ jam putrescente, ceu veneno, inficitur; cumque nulla amplius detur porta, per quam evacuari possit, in busti limine constituitur; nisi fortè [quod fit nonnunquam] manuum intumescentia, quæ ut seriùs quàm illa faciei se ostendit, ita tardiùs recedit, ejus sit molis ac momenti, ut ab Orci faucibus illum eripiat, *Salivatio*, quæ tanti hîc est tamque necessaria, admodum promovetur, si ægro affatim propinetur Cerevisia tenuis, vel liquor alius quilibet, qui nec illum calefaciat, nec ad sudores provocet.

Præter hæc verò, ut consopiatur vehemens illa sanguinis ebullitio, quâ hæc Variolarum species alteram illam longè superat, & sustentetur *Ptyalismus*, (necessaria nempe hujusce morbi evacuatio) conveniunt medicamenta *Narcotica* præ aliis quibuscunque: quæ licet ob vim, quâ donantur, incrassan-

tem, educendæ Salivæ videantur officere, jamdiu tamen ego me isto liberavi præjudicio, atque eadem in hoc morbo adhibui, astipulante ubique rerum eventu, modò æger pubertatem excesserit. Sanguis enim Infantium Puerorumque (qui perintegrum morbi stadium plerumque satis benè dormiunt (cùm mitius ferveat, minus hujusmodi eget sufflamine; atque insuper horum usu *Diarrhœa*, quam in hoc morbi genere infantibus evacuationem natura instituit, cum ægri damno sistitur. Adultis verò *Paregorica* Medicamenta, si frequenter usurpentur, hæc adferunt commoda: Primò, somnum moderatè conciliando, efferam minus sanguinis ebullitionem ac proinde Phrenesin cohibent, præcaventque. Dein, ab eorum usu Faciei & Manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet evacuationem, rectiùs procedit. Quinetiam, quod non parum facit ad egri securitatem, cum non rarò justo citius detumescat facies cum malis ægri rebus, tumor Narcoticorum ope ad debitum usque naturæ terminum tuffulcitur & protrahitur; mitigato enim sanguinis fervore, radii inflammati opportunè ad manus, faciem atque omnem corporis superficiem pro morbi ingenio feruntur. *Ptyliasmus* denique hisce propagatur, qui licet vi medicamenti ita fortiter incrassantis ad horas aliquot sistitur in quibusdam, mox tamen aucto novis hisce suppetiis robore, insurgit denuò natura, & cœptum opus feliciter peragit. Quin etiam animadverti *Salivationem*, quæ circa diem *undecimum*, aliquando etiam citius, cum ingenti ægri periculo minui solet, exhibitis plus semel *Paregoricis* de novo fuisse redintegratam, nec ante diem *decimum quartum*, alicubi etiam & post illum, desiisse. Propino ego ut plurimum vel *Laudani liquidi* guttas 14. aut circiter, vel *Syr. de Meconio* ℥j. in *Aq. flor. Paralys.* vel simili stillatitia solutam℥: Quæ si Adultis post plenam eruptionem ad morbi usque finem singulis noctibus propinentur, non modò incommodi nihil, sed & magnum inde emolumentum capient, quod frequenti experientiâ didici. Expedit verò, ut censeo, paulò temporiùs quàm aliter fieri solet, *Paregoricum* exhibere; facilè enim observatu est in Variolis pessimi moris, *caloris*, ut ita dicam, *Paroxysmum* vesperi plerumque ægrum inquietudine, anxietate, aliisque symptomatis lacessere, quæ si *Paregoricum* horâ sextâ septimave vespertinâ sumatur, aliquatenus præcaveri possint.

Proximo loco, cum in Variolis *Confluentibus* haud minus certò *Infantes Diarrhœa* comitetur, quàm *Adultos Ptyalismus*, naturâ, ut suprà ostendimus, alterutram harum evacuationem materiæ morbificæ eliminandæ ubique constituente, ut nec hîc *Ptyalismo*, ita neque istic *Diarrhœæ* frenum injicio, cùm utrumque ex æquo sit absurdum: Malè locata interim imprudentium aliquot mulierculorum opera in sistenda hujusmodi Diarrhœa, multa infantium millia letho dedit, dum falsò secum reputant, Diarrhœam par in *hac* Variolarum specie atque in *Distincta* discrimen apportare; nesciæ scilicet, *illic* tantùm officere Diarrhœam, ubi per pustulas fit evacuatio, *hîc* verò naturæ opus illam esse, morbo effugium quærentis. Missâ itaque Diarrhœâ, καὶ τῇ φύσει ex præcepto Divini senis συμπαράστεον, quo cœpi pede pergo;

go ; in cunis ut nunc jaceant infantes, ut nunc istinc auferantur, consulo ; & si fuerint ablactati, eandem, quam superiùs Adultis, Diætam istis concedo.

Ultimis morbi diebus, cùm facies ob pustulas crustosas, duras aridasque fermè riget, eandem *oleo Amygdal. dulc.* inungo persæpè, tùm ad mitigandum dolorem à rigiditate ortum, tùm ut effluvia calidiora liberiùs exhalent.

Facies ne cicatricibus deturpetur, nihil quicquam molior ; cùm *Olea, Linimenta, &c.* id tantùm agunt, quò tardius evanescant albi isti furfures, quibus se invicem pellentibus excipientibusque, postquam æger jam lecto surrexit ac mediocriter valet, paulatim succedunt, fœdæ illæ cicatrices. Sed ab his non valdè metuendum est ægro, ubi ob regimen, moderatius pustulæ minus exacerbatæ nullam qualitatem Causticam contraxêre.

* Jam verò, licet Methodus hæc (si cautè scil. ac prudenter circumstantiis particularibus accommodetur) prædicta illa à natura abhorrentia atque periculosa symptomata præoccupet, & securum atque perbenignum morbum reddat ; à quacunque tamen causa extorta sint hæc, me nondum accersito, necesse habeo in aliquibus, quæ hîc subnectam, aliâ viâ insistere, eadem ut submoveam atque debellem.

Imprimis igitur, si in *Discreto* genere ob regimen justo calidius, & continuos sudores, ægri facies die *octavo* non intumescat, (pustulis interim satis dense se exerentibus) sed flaccida sit, & palleant pustullarum interstitia, in casu posito, ultra quod ad temperatum magis regimen, & compescendum sanguinis ὀργασμὸν velis remisque contendo, *Paregoricum* aliquod medicamentum è vestigio hauriendum præcipio ; quod quidem somnum blandè conciliando (nisi plus nimio cerebrum incaluerit) & mitigando proinde effrænem sanguinis ferociam, sanguinem unâ cum calore ad faciem, prout morbi ratio postulat, tempestivè determinat. Quod si eo usque processit malum hâc προφάσει ortum, ut sudor, qui huc usque copiosè manavit, sponte suâ defecerit, æger Phrenitide corripiatur, de vehementi queratur ægritudine, urinam paucam at frequenter reddat ; jam non aliis auxiliis (cùm in propinquo mors sit) ægro subveniri posse autumo, quàm vel Narcotica affatim exhibendo, vel sanguinem liberaliter extrahendo, corpusque auræ exponendo. Et profectò haud ita temerarium atque ἄδικον videbitur, quod jam proposui, si ad illos animum advertamus, qui ob copiosas narium Hæmorrhagias subitò ingruentes, ferreas imminentis lethi manus salvi evasêre. Illud insuper est perpendendum, quòd in extremo hoc agone non idcirco instat mors, quòd pustulæ intrò recedant, [extant enim hæ eminentque cum insigni rubore, etiam animam agente ægro] sed quòd facies non turgescat ; ad promovendam verò hanc faciei intumescentiam, quicquid id demum est, quod ad sanguinem contemperandum facit [Venæ-sectionem autem & modicam refrigerationem eam vim obtinere nemo, opinor, negaverit] necessariò æquè ac Paregoricorum usus, atque ob easdem planè rationes, debet conferre.

Non hæc ita velim intelligi, ac si in qualibet *Phrenitide*, Variolis superveniente, [cùm nullum hîc symptoma frequentius occurrat] Venæ-sectio-

nem ſtatim ſuaderem, ſed in illa tantùm, quæ ideo accidit, quia facies non turgeſcit, in *diſtincto* ſc. genere, & puſtulis copiâ ſatis magnâ comparentibus; vel ubi ob regimen admodum calidum; & Cardiacorum uſum, ſanguis adeò efferus eſt, atque ultra omnem modum evectus, ut inducias ferre nequeat, donec medicamentis *Paregoricis*, & reliquis eodem facientibus, ad debitam temperiem reduci poſſit. Cùm enim ita ſe res habent, Medicus ad conſcientiam ſuam potius, quàm ad incertam famam ſe componens, vel ſanguinem, ut antè dictum, detrahere debet, vel ut æger aëre liberiori refocilletur, præcipere: Quod ut ſatis efficeretur, ſæpè mihi vi. ſum eſt in tali agone phreneticò, ut æger lecto aliquantiſper exſurgeret, quo facto plures à morte liberavi. Præter iſta verò, quæ oculis ipſus uſurpavi, innumera ſunt illorum exempla, qui his modis quaſi Orci faucibus erepti ſunt. *Phreneticorum* enim nonnulli Nutricum curam fallentes (miris ſc. artibus utuntur homines ita affecti) atque è lecto dilapſi aëris frigori ſemetipſos etiam noctu expoſuerunt: Alii frigidam vel furtim, vel raptim nacti, vel etiam precibus à nutrice emendicatam hauſerunt, adeoque felici errore ſalutem jam planè deſperatam conſequuti ſunt.

Unicam hîc loci hiſtoriam adſcribere non gravabor, quam ab eo ipſo accepi; cujus res agebatur. Is nempe *Briſtolium* profectus, juvenis adhuc, inque ipſo ætatis flore, circa mediam æſtatem Variolis correptus eſt, jiſque paulo poſt Phrenitis acceſſit: Nutrix in urbem ingreſſa, interim ægrum ſuum aliorum curæ commiſit, mox nempe reditura. Verùm dum paulo diutius moratur, ægrotus (ut aſtantibus viſum eſt) interea moritur. Aſtantes & anni tempeſtatis, & habitûs ægri, craſſi ſcil. atque corpulenti, rationem habentes, ne oleret cadaver, è lecto ſublatum ac nudum menſæ imponunt, linteo ſuperſtrato; Nutrix tandem rediens, accepto nuncio, cameram intrat triſtiſſimo ſpectaculo interfutura; mox amoto linteo, vultuque conſpecto, ſub obſcura quædam vitæ indicia conſpicari ſibi viſa eſt, ac proinde ſtatim projectum corpus in lectum repoſuit, adeoque ſub manu conſilium capiens, ac neſcio quid ſatagens, ægrum ſuum in vitam revocavit, atque diebus aliquot interpoſitis ſanum conſpexit.

Sed ut ad propoſitum revertar; Proximo loco, ſi in Variolis *Confluentibus* Saliva eo uſque excocta ſit & viſcida ob calorem præcedentem, ut tantum non ſuffocetur æger, (quod *undecimo*, ut ſuprà diximus, die non inſolens eſt,) *Gargariſma* neceſſariò in uſum trahatur, & ut ſæpè die nocteque ſiringâ in fauces ſedulò injiciatur, ſeriò imperandum. Componatur verò illud è Cereviſia tenui, vel aquâ Hordei, cum melle Roſarum. Vel ſequens uſurpari poterit: ℞. *Cort. Vlmi* ℥vj. *Rad. glycyrrhiz.* ℥ß. *Paſſular. enucleat. n.* xx. *roſ. rubr. p.* ij. *coq. ſ. q. aq. ad* ℔ij ß. *colaturâ diſſolv. Oxymel. ſimp. & mel. roſ. aa.* ℥ij. *M. ſ. ſ. Gargariſma.* Quòd ſi æger ritè fuerit tractatus, *Ptyaliſmus*, etiam cùm jam cœperit imminui, ita pulchrè ſuo fungetur munere, ut hoc remedio opus non fuerit. Et profectò ubi eò res rediit, ut æger ſingulis momentis à ſuffocatione periclitetur, ſtupore obrutus, & ſpiritu ferè undiquaque præcluſo,

non

non satis tutò huic remedio fiditur: Ægro ita ad incitas redacto *Emeticum*-rum, sed dosi paulò majori, sc. *ad* ʒjß; quando, ob eximiam, quâ laborat æger, stupiditatem, minor dosis haudquaquam operabitur, atque interim eos exagitando humores, quos nequeat educere, ægrum in magnum vitæ discrimen conjiciet. Sed neque huic remedio satis fidere possimus, atqui (quod verè dolendum) aliud adhuc certius desideratur ad truculentissimum hoc symptoma debellandum, quod solum ac suo marte eos ferè omnes jugulat, quotquot in hac Variolarum specie *die undecimo* intereunt.

Cætera quæ in hoc morbo accidunt symptomata, ut *præcaventur* ope regiminis moderati, ita ab eodem pleraque etiam *tolluntur*: e. gr. ut *Phrenesis* antedicta, à nimia cerebri excalefactione prognata, sanguine quovis modo paululum ventilando curatur, eâdem Methodo & *Comati* (quod alteri contrarium prorsus videtur symptoma, & ab obstructione corticis cerebri fit, dum halitus calidiores à sanguine regiminis ac medicamentorum calidorum usu attenuato, magnâ copiâ ac vi illic impelluntur) facilè occurritur.

Eâdem hâc sanguinis contemperatione & *Maculas Purpureas* vidi sublatas: Sed neque hâc neque aliâ Methodo quâcunque, vel *mictum sanguinis*, vel violentam ejusdem è pulmonibus eruptionem adhuc sustlaminare potui; utraque verò Hæmorrhagia hæc, quatenus mihi hactenus observare licuit, indubiè mortem prænuntiat.

In *Vriuæ suppressione*, quæ juniores ac vegetos nonnunquam incessit (à confusione sc. magna & spirituum ἀταξία, ejusdem excretioni subservientium, ob sanguinem & humores nimio fervore agitatos) omnes *Diureticorum* tribus in auxilium accersivi, sed nihil æquè feliciter hîc mihi cessit atque è lecto eximere ægrum, qui postquam adstantium manibus suffultus cubiculum bis terve circumambulaverit, mox urinam satis copiosè reddet, haud parvo cum levamine. Testes hîc possim compellare Medicos quosdam è familiaribus meis, qui in hoc casu ex meo consilio idem fieri præceperunt, neque eos fefellit eventus.

At verò quæ à materiæ Varioloſæ repercussione ob frigus extremum, vel evacuationes indebitè factas, proveniunt symptomata, usu Cardiacorum & conformi regimine sunt tollenda, qui tamen non ultra spatium, quo ista perstant, continuandus. Horum præcipua sunt Pustularum depressiò seu procidentia, & *Diarrhœa* in Variolis *Discretis*. Neque enim in *Confluentibus*, vel Pustularum depressio mali quidquam ominatur, cùm ea sit morbi natura; neque *Diarrhœa* infantium jisdem laborantium, cùm salutem ista adferat, non periculum. In utroque hoc casu potio Cardiaca ex *Aquis stillatitiis* approbatis, cum *Diascordio*, *Laudano liquido*, *&c.* jure optimo concedetur, idque non tantùm ad dicta symptomata submovenda, sed quolibet morbi tempore, si æger de cordis dolore atque ægritudine conqueratur. Sed ut verum loquamur, symptomata hujus generis oppidò rara sunt, si cum iliis conferantur, quæ extremorum alteri, exitiabili magis, licet minus culpato, debentur.

tur. Et quidem opinor, remorem illum, qui de crebra pustularum retrocessione invaluit, ex eo natum esse, quòd qui eacundem depressionem in genere *Confluentium* observaverint, illam pro materiæ Varioloſæ ob susceptum frigus recessu habuerint, cùm nihil sit hîc præter morbi morem: Atque in genere *Distincto* idem suspicatur, quia se pustularum eruptionem atque augmentum ante diem expectant, cùm non satis attenderint ad tempus illud, quo natura fructum hunc ad maturitatem soleat perducere.

Ægro jam convalescente pustulisque deciduis, ubi per dies aliquot carnes idem degustaverit, circa diem nempe *Primum & vicesimum*, sanguinem è brachio extrahendum censeo, si morbus fuerit vehementior; cùm inflammatio, quam sanguini impressérunt Variolæ, sive adultus fuerit æger, sive infans, non minus Venæ-sectionem indicet, quàm colluvies, quæ eidem accrevit, Catharsin: quod satis liquet, *tum* à sanguinis colore, qui post atrociorem morbum educitur, Pleuriticorum sanguini omninò similis, *tum* etiam à magnis illis inflammationibus, quæ post morbum hunc in oculos decumbunt, aliisque diris sanguinis excalefacti & à morbo depravati effectibus; unde etiam, qui anteà pancraticè valebant; posteà cum humoribus calidis acribusque in pulmones, aut aliam aliquam partem depluentibus, per reliquam vitam omnem confligunt. At si pauciores exciterint pustulæ, Phlebotomiâ non opus erit. Post venæ-sectionem Catharticum exhibeo ad tres vel quatuor vices.

Adhæc, ægro à *Confluentibus* Variolis jam diu liberato, & è lecto quotidiè surgenti nonnunquam accidit *Crurum tumor* ferus ac molestus; qui tamen vel sponte facessit post Venæ-sectionem & Catharsin, vel usu Herbarum Emollientium ac Discutientium, (quales sunt *Malvæ, fol. Verbasci, Sambuci, Lauri*, cum *flor. Chamomillæ & Meliloti*,) in lacte coctarum, facilè fugatur. Atque hæc de Historia Variolarum quæ hosce annos grassatæ sunt, quas, ut ab aliis speciebus, quæ insecutæ sunt, dirimam, *Legitimas* appellare libuit.

CAPUT III.

Febris Continua Annorum 1667, 68, *& partis* 1669.

IAm ut de *Febre* illa dicam, quæ durante *Variolosâ* hâc *Constitutione* dominabatur, & cum Variolis ingressa, stetit cum jisdem, ceciditque. Ita se hîc res habuit; Doluit æger in regione, quæ cordis scrobiculo subjicitur, nec sustinuit, ut manu illa premeretur; quod quidem symptoma non memini me observasse in alio morbo præter hanc Febrem, & hanc speciem Variolarum. Capitis dolor, & calor totius corporis, ut etiam Petechiæ, satis manifesto indicio se prodebant. Sitis interim non urgebat. Lingua sanorum similis non rarò comparuit, nisi quod quandoque albida, sicca rarissimè, nunquam verò nigra. Æger in spontaneos eosque effusissimos sudores ab initio morbi solvebatur, sed cùm nullo levamine; quinimo ubi calidioribus medicamentis & regimine provocabantur isti, periculum erat, ne mox Phrenitide corriperetur.

Petechiæ

Pethechiarum insuper numerus augebatur, atque alia symptomata adhuc efferebantur omnia. Urinæ separatio, quæ satis videbatur laudabilis *vel* ab initio, spem faciebat saluris ; neque tamen æger magis exinde in melius proficiebat, quàm post διαφόρησιν, de qua prius diximus. Si minus rectè tractaretur hic morbus, diutissime protrahebatur plerumque; neque Crisi aliquâ factâ, nec sponte more aliarum Febrium desinens, sed vehementibus symptomatis miserum excrucians ad septimanas sex vel octo, nisi mors intercederet. *Ptyalismus* quandoque satis copiosus sub finem accedebat, si nempe nulla insignior præcesserat evacuatio, atque ægro Julapia refrigerantia imperata fuerant, quo quidem, si neque evacuationibus, neque usu Medicamentorum calidorum fuerit interceptus, morbus ultra spem omnem fugam sibi quærebat.

Ut verò Febris hæc ab ista aëris Constitutione Epidemica pendebat, quæ eodem tempore Variolas producebat, ita profecto dicta Febris, si non eadem plane esset, ejusdem ferè cum illis naturæ atque indolis per omnia videbatur, demptis solummodo symptomatis istis, quæ eruptionis vel consequentiæ, vel effecta erant necessaria : Nam eodem modo uterque morbus aggrediebatur, dolor idem in partibus, quæ cordis scrobiculo subjacent, si manus admoveretur, linguæ item color, urinæ consistentia, & Sudores spontanei copiosi ab initio oborti ubique respondebant. Propensio itidem quam habebat hic morbus, quoties in flammam vehementiorem assurgeret, se per *Ptytilismum* exonerandi, eadem prorsus erat atque in Variolis hisce, quoties scilicet *confluebant*. Cùm insuper hæc Febris eo præcipuè tempore sæviret, quo latiùs quàm unquam aliàs, quantum ego observavi, hîc locorum grassabantur Variolæ, nemini dubium esse potest quin ejusdem omnino sint prosapiæ. Id certò scio, Phænomena practica omnia, quæ Curationem respiciebant, eadem planè fuisse in utroque morbo, exceptis istis, quæ Variolarum eruptio, ejusque effecta in isto morbo indicabant, quæ, cùm nulla esset in hac Febre, indicari proinde non potuêre; quod quidem mihi abundè constabat ex accuratissimis illis observationibus, quas feci dum utroque morbo laborantes tractarem. Quâpropter danda mihi est venia [non quod nova rerum nomina affectem, quæ perinde mihi sunt invisa atque illi cui maxime, sed ut hanc Febrim à cæteris distinguam] ut istam à similitudine quam cum hac Variolarum specie habet, *Febrem Variolosam* insigniam.

Utut verò Febris dicta Variolas referebat, nemo tamen sanus eadem illam methodo debere curari facilè sibi persuaserit, cùm in his mediantibus Abscessulis particulæ inflammatæ in habitum corporis amandentur eliminenturque ; in hac Febre autem non nisi per Salivationem ejiciantur : Qui enim in morbi principio manabant *sudores* profusi, *Symptomatici* erant, non *Critici* ; cùm natura non aliam hîc evacuationem videretur designavisse quàm *Salivationem*, quam tamen ipsa eadem natura pervertit ut plurimum, vel *Diarrhœa*, quæ sæpissimè à radiis inflammatoriis per arterias mesentericas in intestina delatis, atque eadem ad excretionem solicitantibus, exoritur, (quod etiam in *pleuritide* usu venit, aliisque Febribus Inflammatoriis, ob sanguinis par

ticularumque fervidarum orgasmum, ut eventilentur satagentium (vel immensis etiam *sudoribus*, qui morbum hunc pariter cum Variolis ex naturæ præscripto ubique comitabantur: quibus: cùm symptomatici essent ipsi, *Salivatio* quæ Critica aliàs erat futura, aliò derivabatur; ita ut nisi evacuationem aliam suggereret Ars, ad septimanas aliquot perseveraret morbus, nec aliarum Febrium more Concoctionem subiret.

Sed ut paulò ulteriùs progrediamur, quò & Febris hujus naturam rectiùs capiamus, & ea pariter substernamus, quibus *Indicationes Curativæ*, tanquam immobili fundamento, superstrui possint; omnino animadvertendum est, quòd in *Febre* illâ, quæ in *Constitutione Intermittentibus Epidemicâ*, vigebat, materia quæ à sanguine erat sejungenda tantæ erat crassitudinis, ut separari nequiret sine prævià Digestione, quâ ad debitam evacuationem disponeretur, (determinato scil. ad hoc tempore,) idque (vel διαπνοῇ paulò pleniori, vel Dejectionibus Criticis; ita ut id tantùm negotii Medico daretur, sic se ad morbi genium accommodare, ne ex una parte in symptomata periculosa assurgeret atque ebulliret, neque ex altera ita parum efferveseeret ut materiæ inimicæ exterminandæ impar prorsus esset, cùm Febris Naturæ instrumentum, fuerit, ad hujus secretionis opus debita opera fabricatum. Quin & in *Peste* materia aliqua reperiebatur à sanguine segreganda; sed cùm subtilissimarum fuerit partium & maximè inflammabilium, (ita ut quandoque ubi summè exacuerentur, sanguinem, fulguris instar, pervaderent, nec ebullitionem quidem in eodem ciere valerent] ictu oculi per eum trajiciebat, nec nisi in glandula aut parte aliqua externa sistebatur; ubi irretita carnes circum jacentes primò in flammationem, postea in Apostema, pertraxit. Est autem *Apostema* Naturæ machina, quâ ista, quæ carnibus infesta sunt, amolitur, sicut *Febris* ejusdem est machina, ad distillanda ea, quæ sanguinem malè habent. Quo in casu, Medicorum est, evacuationem materiæ Pestilentialis, quam per hos abscessus natura molitur, prout decet, regere; nisi fortè quis magis consultum esse putaverit, aliam aliquam evacuationem substituere, quæ magis penes illum fuerit, ejusque arbitrio certius obtemperaverit, quàm illa Naturæ. Eodem etiam modo procedit Natura in expellenda *Variolarum* materia, licet ea species sit inflammationis pinguioris ac magis crassæ, quæ per pustulas ubique sparsas ejicitur, *Carbunculorum* loco ac *Bubonum* &c. Atque in hoc etiam casu Indicationes Curativæ eò sunt dirigendæ, ut naturalis per pustulas evacuatio ritè administretur. Jam verò cum in hoc *Febris Inflammatoriæ* genere, de quo nunc agimus, non inveniatur crassior illa materia, non nisi prævià Digestione egerenda, sicut in Febre superiùs descripta, incassum Ebullitioni obsecundamus ad obtinendam hujusmodi Digestionem quinimo econtra, haud leve est periculum, ne huic viæ insistentes, stimulos addamus morbo, cujus *esse* in inflammatione plus satis violentâ consistit: atque porrò, cùm natura nullam huic Febri evacuationem per modum eruptionis constituerit, quod in Febre Pestilentiali & Variolis fieri cernimus, (utut rebus aliis posteriori huic morbo respondeat,) necessariò in hoc stabit rei summa, ut

sedetur

ſedetur *inflammatio* evacuationibus & medicamentis contemperantibus. Hunc mihi proponens ſcopum, hujuſce Febris Curationem aggreſſus ſum, quæ methodo hâc haud difficulter expugnata fuit.

* Ad ægrum accerſitus, mox ſanguinem è brachio educendum curavi, modò nimia debilitas, præſertim verò provectior ætas, non contra-indicaret; & Venæſectionem inſuper alternis diebus ad duas adhuc vices repetendam juſſi, niſi redeuntis ſanitatis ſigna aliter ſuaderent. Diebus interjectis *Enema* è lacte & ſaccharo, vel ſimile injiciendum præcepi; præſcripſi & Julapium ſequens vel aliud ejuſmodi, frequenter per omnem morbi decurſum aſſumendum; ℞ *Aq. Portul. Lactuc. ſl. Paralyſ. an.* ℥iiij. *Syr. de Limon.* ℥jß. *Syr. Violacei* ℥ſ. *Cap.* ℥iij. quater vel quinquies in die, & ad libitum; ſerum lactis, Aquam hordei, & ſimilia ejus farinæ pro Potu ordinario conceſſi; pro victu juſcula etiam Hordeacea, Avenacea, Panatellam, Poma cocta, *&c.* juſculis verò è carne pullorum, vel aliâ quacunque interdixi.

Præ reliquis omnibus edixi ne ſe in lecto aſſiduè contineret, ſed illo abſtineret bonam diei partem, idque quotidiè; quando obſervaverim in hâc Febre, (uti etiam in *Pleuritide*, *Rheumatiſmo*, aliiſque omnibus morbis Inflammatoriis, in quibus abigendis Venæ-ſectio & Refrigeratio primas obtinent,) medicamenta ſummè Refrigerantia, & repetitam ſæpiſſime Phlebotomiam ne hilum prodeſſe, dum interim æger lecto indeſinenter affixus, ejus calore torreatur, æſtate præſertim. Quocirca nec ſudores quibus ſubinde diffluebat æger, ab hac methodo refrigerandi, tum Medicamentis exhibitis, tum jugem lecti uſum vetando, me deterrebant: Etſi enim, ſumpta à plerumque juvantibus *Indicatione*, magnum ſibi quis inde emolumentum haud injuria pollicitaretur, refragabatur tamen ubique experientia, qua magiſtra didici, ægrum non modò nihil exinde commodi capere, ſed è contra vehementius incaleſcere; ita ut non rarò *Phreneſis*, *Petechiæ*, cæteraque peſſimi ominis ſymptomata mox hujuſmodi ſudores exciperent, quæ non tam à morbi *malignitate* quàm *ſiniſtro regimine* oriri videbantur.

Si è contra dicatur, jam laudatam Febrium curandarum Methodum Authorum Theoriæ omnimodè adverſari, qui omnes uno ore pronunciant, Febrim per διαφόρησιν rectiſſimè ac maximè naturaliter expediri; hæc habeo quæ pro me militant, præter certiſſimæ ac conſtantis Experientiæ teſtimonium mihi in hujus particularis Febris curatione nunquam non ſuffragantis. Suppono ante omnia viros doctos, qui ſudorum provocationem ad tollendam Febrem efflagitant, eos velle ſudores qui à prævia Digeſtione humoris alicujus in ſanguine ſtabulantis excernuntur, in quo humore elaborando præparandoque ut per διαφόρησιν eliminentur, natura certo aliquo ac determinato tempore fuerit occupata. Verum enim verò longè aliter hîc ſe res habet; æger enim à primo ſtatim morbi impetu in ſudores uberrimos ſolvitur, qui ſoli morbi hujus pars magna ſunt, & ſi Phænomenis omninò omnibus ſit habenda fides, morbus hicce à nudo potius calore & ſanguinis æſtu, quàm ab humore aliquo deliteſcente, & poſt debitam Concoctionem à ſanguine per ſu-

dores expellendo, pendere videtur. Quod si demus, hujusmodi humorem Digestione maturandum in hac Febre, pariter atque in multis aliis reperiri, quorsum attinet, Naturæ [cuius enormiora molimina in ordinem redigere opis est nostræ] plus nimio satagenti morem gerere, hujusmodi sudores vel Cardiacis provehendo, vel regimine calidiore, cùm non minus sudores respiciat quàm Dejectiones tritum illud Axioma, *Cocta, non cruda, sunt medicanda.*

Stante hâc Constitutione, accersebat ad virum doctissimum D. D. *Morrice* (qui tum temporis *Londini*, jam *Petvvorthiæ* Medicinam cum laude facit,) hâc Febre cum effusissimis sudoribus & frequentibus Petechiis laborantem; Consentientibus aliis aliquot medicis, utrique nostrum familiaribus, Vena secta fuit, surrexit è lecto, absterso primum sudore, Medicamentis & Diætâ Refrigerantibus usus est, præsentissimo cum levamine, multis malis atque periculosis symptomatis mox difflatis, &, cùm eidem methodo insisteret, intra paucos dies sanitati restitutus est.

Sed ad rem: Neque etiam *Diarrhœa*, quæ Febrim hanc sæpissime comitabatur, me à Dicta Methodo vel latum unguem dimovit; quinimò expertus sum (cùm sc. ab halitibus inflammatoriis è sanguinis massa per Arterias Mesentericas in intestina excretis, atque eadem vellicantibus, illa nasceretur) nihil huic profluvio sistendo æque conducere atque Venæ-sectionem, & sanguinis contemperationem, *aquâ Hordei*, *sero lactis* atque aliis supra nominatis procurandam.

Hæc sanè Methodus optimè mihi cessit in hujus morbi curatione, ad quam quidem apta nata præ cæteris mihi videtur. Non quod ego nunquam via longè contraria incedentibus spectator interfuerim, adhibitis sc. Cardiacis & calido regimine, ægro nihilominus à morbo sæpe liberato, ita tamen ut mihi semper videretur is non mediocre discrimen adiisse, nulla id suadente necessitate: Etenim *Petechiæ*, quæ aliter perpaucæ erant, his modis numerosissimæ scatebant; sitis, quæ ut plurimum vix molestabat, jam intensius urgebat; Lingua, quæ alias humida solebat esse, neque à sanorum linguâ, nisi quòd, ut diximus, subalberet aliquantisper, multum abhorrens, sicca in hoc regimine arefactaque, quin & nigra sæpe comparebat. Postremò illi ipsi sudores, quos Cardiacorum usu extorquere satagebant, tandem eorundem ope penitus intercidêre: Exacta enim per corporis habitum nimis larga seri copia, sanguis humori istiusmodi ulterius suppeditando par non erat, cumque ista qua diluí debuerat humiditate in solidum jam spoliaretur, exarescebat protinus æger; atque in externis partibus constringebatur, omnino præter naturæ morem quem in hac Febre observare solet, donec tandem sanguis humiditate ab absumptis mutuata denuò repletus, partim Medicamentorum, partim etiam Febris vi, serum hoc recens ingestum, ac cum illo Febrem, à finibus suis pelleret. Quæ quidem Crisis erat coacta nimis, & nimis periculosa, & (quod adhuc pejus) rariùs etiam contingebat.

Jam verò, ut supra monuimus, Febris hujus solutio, ut etiam Variolarum,

[quæ

[quæ ſoror ejus germana meritò audiunt.] per *Salivationem* non rarò fiebat; quæ quidem nunquam non ſalutaris fuit, ita ut eâdem liberaliùs procedente tam maculas revera purpureas, quàm Febrim ipſam evaneſcere oculis vidi meis. Oborta itaque *Salivatione*, nulla omnino Evacuatio convenit, nec quæ venâ pertuſa, nec injecto quæ fit Enemate; cùm ab utraque periculum ſit, ne humor alio divertatur. At ſerum lactis, atque alia refrigerandi vi pollentia neceſſariam in *Salivatione* elicienda operam navabant, ut è contra Cardiaca, & quæcunque alia calefaciebant, materiam inſpiſſando ejuſdem eductioni officiebant.

Superſtite adhuc Febre hâc, necdum extincta penitus, anno maximè 1668. * *Diarrhœa*, ſine manifeſto aliquo Febris indicio, Epidemicè graſſabatur: Jam enim *Conſtitutio* ad *Dyſentericam* illam accedebat, quæ inſequenti anno invaluit, ut jam proximè dicemus. Hanc nihilominus eandem ego cenſui Febrem eſſe cum *Variolosâ* adhuc regnante, formâ tantùm diverſa, atque alio ſeſymptomata efferentem. Cum enim mihi conſtaret, rigorem atque horrorem hanc etiam *Diarrhœam* præcedere ſolere, atque illam inſuper ut plurimum ex eadem προφάσει invadere, ex qua ſolebat iſta quæ tùm depopulabatur Febris, veriſimile mihi eſt viſum, Febrem hanc ortum ſuum debere radiis inflammatoriis in inteſtina inverſis, atque eadem ad expulſionem hanc ſolicitantibus; cùm interim ſanguinis maſſa, ope hujus diverticuli à malis, quos aliter radii iſti attuliſſent, effectibus integra maneat atque illæſa, nullo Febris viſibili ſigno exteriùs ſe prodente. Adhæc æger partes cordis ſcrobiculo accumbentes manu premi non tulit [quod quidem ſymptoma & *Variolis* & *Febri* hujus *Conſtitutionis* accidiſſe jam pridem oſtendimus.] Idem etiam dolor, atque eadem carnium teneritudo ſæpenumero externè in Epigaſtrium protendebatur; nunnumquam etiam inflammatio, quæ in Apoſtemate, atque ægri morte demum terminabatur. Quæ omnia luce clarius indicabant, *Diarrhœam* hanc ejuſdem omnino naturæ fuiſſe atque eſſentiæ cum illâ, quæ tum dominabatur, Febri. Sententiam hanc meam magis adhuc ratam faciebat, felix eventus quem Venæ-ſectio, & Medicamentorum, Diætæ, atque Regiminis refrigerantium uſus, quæ in *Febris Variolosæ* curatione uſurpaſſe nos ſæpe diximus, in ſananda etiam hac *Diarrhœa* perpetim habuere, utpote quæ huic Methodo promptè ceſſit: Cùm verò alia longè diverſa tractaretur, ſive exhibitis *Rhabarbaro* aliiſque *Cathartcis lenitivis* [ad deturbandos ſc. mordaces iſtos ſuccos, qui inteſtina ad hujuſmodi Excretiones putabantur irritaſſe] ſive etiam Aſtringentibus; ex levi, ſuâ natura, morbo inexitialem ſæpiſſime evaſit; ut, qui eo anno concinnabantur *Diem obeuntium Indices*, plus ſatis teſtantur. Atque hæc dicta ſunto de *Morbis Epidemicis*, qui ab hac *Conſtitutione* pendebant.

* *Diarrhœa*

SEC-

SECTIO QVARTA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica partis Anni 1669, *atque integrorum* 1670, 1671, 1672, *Londini.*

INeunte *Augusto* * An. 1669, *Cholera Morbus*, immania *Ventris tormina sine Dejectionibus*, uti etiam *Dysenteria*, quæ per decennium jam parciùs comparuerat, grassari cœperunt; *Cholera Morbus*, quem nunquam antehac ita fuisse Epidemicum animadverteram, hoc non obstante, eo etiam anno, uti semper, intra *Augusti* cancellos stetit, vix in priores *Septembris* Hebdomadas evagatus. Ventris autem *Tormina absque dejectionibus* ad *Autumni* exitum usque perseverabant, & *Dysenterias* comitabantur, quibus etiam latiùs spargebantur *illa*: Superveniente verò hyeme tormina ista sine dejectionibus, penitus disparebant, nec deinceps infestabant per sequentes Annos quibus vigebat hæc *Constitutio*, qua nihilominus Dysenteriæ ἐπιδημικῶς sæviebant. Cujus rei hanc ego causam fuisse arbitror, quod scilicet *Constitutio* ista nondum ita perfectè in *Dysentericam* transierat, ut symptomata illa omnia quæ Disentericos affligunt, in singulis valeret producere. Etenim insequente Autumno cum jam redirent tormina, nullo non symptomate Pathognomonico stipatus incessit morbus. Inter *Tormina* hæc dejectionibus cassa, & *Dysenterias* jam memoratas quæ ubique populabantur, exoriebatur & novum *Febris* genus, utrique morbo comes, quæ non eos tantùm invadebat, qui priorum alterutro laborabant, sed etiam illos, qui ab utroque adhuc immunes perstabant; nisi quòd nonnunquam (at rariùs id quidem) ventris tormina admodum levia accederent, nunc soluta alvo, nunc verò astricta; quæ cum illam Febrem quadantenus referret, quæ morbis præfatis non infrequenter adhærebat, *Febris Dysentericæ* nomine ab aliis distinguenda est; maximè cùm, ut mox docebimus, à *Dysenteriæ* genio atque indole in eo tantùm recederet, quòd *Dejectionibus* istis caruerit, quæ in *Dysenteria* indesinenter molestabant, cæterisque iis effectibus, quæ huic evacuationi necessario debebantur. Appetente jam Brumali frigore *Dysenteria* ad tempus se subduxit; *Febris* autem *Dysenterica* magis grassabatur; *Variolæ* etiam, at mitiores, & fractis admodum viribus quibusdam in locis impetebant.

* Anno verò subsequente vix dum ingresso, ipso nempe *Januario*, successêre *Morbilli*, qui indies auctiores facti, nullam ferè familiam, nullos saltem infantes intactos sinebant, atque ad *Vernum* usque *Æquinoctium* sensim invalescentes, ab illo tempore jisdem ferme quibus insurrexerant gradibus

dibus paulatim referebant pedem, & *Julio* menſe evanuêre, non amplius viſi per eos annos omnes, quibus dominabatur *Conſtitutio* hæc, niſi quòd proximo anno ea ipſa tempeſtate, qua in præcedente, eruperant, rari hac illac diſſiparentur.

Morbilli iſti *Variolarum* generi, mihi hactenus non cognito, viam ſternebant, quas ut à cæteris diſtinguam, ob Phænomena irregularia inuſitataque à me obſervata [quæ poſtea in earundem Hiſtoria tradentur] à præcedentis *Conſtitutionis* Variolis longè diſtantia, *Variolas Anomalas Conſtitutionis Dyſentericæ* compellare lubet, *Variolæ* hæ, licet morbillis longe infrequentiores, non paucos tamen aggrediebantur, donec inchoante menſe *Julio*, *Febres Dyſentericæ* prævalerent, Epidemice incurſantes; approximante verò Autumno, *Auguſto* ſcilicet, *Dyſenteriæ* poſtliminio revertebantur atque omnia pervaſtabant, etiam inclementiùs quàm prægreſſo anno deſævientes. Hyberno tamen frigori terga dederunt, ut priùs. Verumenimverò his fugatis *Dyſenteriæ Febris* & *Variolæ* hyemem omnem funeſtabant.

At circa initium *Februarii* * Anni inſequentis, ſubſtitutis *Tertianis Intermittentibus*, uterque morbus rariòr prodibat. Dictæ *Intermittentes*, licet non admodum Epidemicæ, frequentiores tamen erant, quàm quovis alio tempore obſervaſſe me memini, à quo ſc. expiravit *Conſtitutio* iſta, quam ſibi adeò faventem illas habuiſſe ſupra notavimus. Atque hæ, pro more *Intermittentium Vernarum*. Solſtitio æſtivo vix præterlapſo omnino evanuêre. Incipiente menſe *Julio*, *Dyſentericæ Febres* quam præcedentibus annis obtinuerant ſtationem de novo repetebant, Autumno verò aliquantum provectiore, *Dyſenteria* jam tertiò regreſſa eſt, ſed contractior quàm anno ultimo elapſo, quo ad ἀκμὴν perveniſſe videbatur, ſupervenienti autem Hyemi tertiùm etiam ceſſit *Febre Dyſentericâ*, & *Variolis* reliquam eam tempeſtatem iterum contriſtantibus.

* Cùm verò, ut jam monuimus, ſub ingreſſu utriuſque anni præcedentis morbus aliquis valdè Epidemicus invaleſceret, *Morbilli* ſcil. exoriente Anno 1670, *Intermittentes* autem *Tertianæ* Anno 1671 inchoato, quorum prædominio ita intercidebantur *Variolarum* copiæ, ut fines ſuos, prædictis annis ineuntibus, longè lateque propagare nequirent: Hâc inquam de cauſa remoto jam obice, (nempe initio Anni 1672) cùm ſolæ dominarentur Variolæ, *Epidemicè* admodum ex conſequenti graſſabantur, donec ſubintrante rurſus *Julio*, *Febres Dyſentericæ* denuò invaderent, quæ redeuntibus jam quartò *Auguſto Dyſenteriis* mox faceſſebant; *Dyſenteriæ* verò non pauciores tantùm quàm prioribus annis fuerant, ſed mitiora inſuper apportabant ſymptomata. Porrò *Variolis* hinc indeque ſimul ſparſis, haud facilè erat dictu, quis morbus præpolleret. Exiſtimo quidem ego, *Conſtitutionem* æëris ad *Dyſenterias* progignendas minùs facientem, Variolis eam ſubminiſtraſſe facultatem, quâ pari paſſu procedere valerent, ſecus atque iis annis quibus *Dyſenteriæ*, *Auguſto* menſe confertim magis trucidabant. *Hyems*, ut ſolebat, *Dyſenterias* abſegavit, ſed neque *Febrem*, nec *Variolas*: Variolæ hîc etiam pro more ſuo, exulantibus *Dyſenteriis*, rerum denuo potiebantur, & per omnem reli-

* 1671, * 1672.

quam brumam regnabant. Quinimò subsequente *Vere*, ut etiam *æstatis* initio, huc atque illuc deferebantur, longè tamen mitiores quàm pro hoc genere.

Verùm enim verò quando assero, *Epidemicorum* alterum ab altero, ut clavum à clavo, pelli, non statim dico, eum, qui pellitur ac cedit, morbum in solidum evanescere, at verò rariùs invadere. Durante enim hac *Constitutione* uterque morbus reperiebatur, etiam illa tempestate qua cum minùs ei conveniebat; e. gr. *Dysenteriæ*, etsi morbus *Autumno* maximè proprius, unum fortasse aut alium, licèt raro admodum, *Vere* incessebat.

Satis itaque evicimus, quod per integram hanc *Constitutionem*, subintrante *Iulio* [qui mensis certissima est *Febrium Autumnalium Epocha*, uti *Vernarum Februarius*) *Febres Dysentericæ* grassabantur; Autumno vero jam se propiùs admovente, *Dysenteriæ* (morbus, si accuratius loquî velimus, verè Autumnalis) iisdem succedebant, quas ab hyeme difflatas excipiebant *Febris Dysenterica* & *Variolæ*; quæ quidem Variolæ non eam tantùm hyemem sed & subsequens etiam Ver, nec non æstatem illi conjunctam peragrabant, donec reverso *Iulio*, *à Febribus Dysentericis* Epidemicè prædantibus ejicerentur: Atque hæ rerum erant vices dum vigeret prædicta *Constitutio*.

Observare insuper est, quod sicuti Epidemicorum quilibet in subjecto particulari suas habet periodos, *Augmenti* sc. *status*, & *Declinationis*; ita etiam *Constitutio Generalis* quæcunque, quæ huic alterive morbo Epidemicè producendo favet, pro ratione temporis quo dominatur suas etiam periodos habet, quatenus sc. indies magis ac magis Epidemicè grassatur, donec ἀκμὴν attigerit suam, atque exinde iisdem ferè gradibus decrescat, donec tandem penitus exoluerit, alteri *Constitutioni* locum cedens. Symptomatum enim quod attinet vehementiam, atrociora sunt omnia ubi primùm se ostendit; quæ quidem paulatim mitescunt, & in Constitutionis Catastrophe tam sunt benigna atque ἐυφόρητα, quàm patitur morbi naturæ, in quo fundantur; quod satis demonstrant *Dysenteriæ*, & *Variolæ* hujus *Constitutionis*, ut mox fusiùs declarabimus. Hujus *Constitutionis* morbos particulariter tractandos aggredior, eo quem ipsi servarunt ordine

CAPUT. II.

Cholera Morbus An. 1669.

MOrbus hic, qui, ut antea diximus, Anno 1669. se latiùs diffuderat, quàm alio quovis anno, quantum ego observaveram, eam anni partem, quæ Æstatem fugientem atque Autumnum imminentem complectitur, unice ac eadem prorsùs fide, qua veris primordia Hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem Cuculus, amare consuevit: Qui ab ingluvie ac crapula nullo temporis discrimine passim excitatur affectus, ratione symptomatum non absimilis, nec eandem curationis methodum respuens, tamen alterius est subsellii. Malum ipsum facile cognoscitur, adsunt enim vomitus enormes, ac pravorum humorum cum maxima difficultate & angustia per alvum dejectio, Ventris ac intestinorum dolor vehemens, inflatio

& disten-

& distentio; Cardialgia, sitis Pulsus celer, ac frequens, cum æstu & anxietate, non raro etiam parvus & inæqualis; insuper & nausea molestissima, sudor interdum diaphoreticus, crurum & brachiorum contractura, animi deliquium, partium extremarum frigiditas, cum aliis consimilis notæ symptomatis, quæ astantes magnoperè perterrefaciant, atque etiam augusto vigenti quatuor horarum spatio ægrum interimant. Est etiam & *Cholera sicca* à spiritu, flatuoso suprà & infrà erumpente, idque sine vomitu vel secessu; cujus unicum duntaxat exemplum me vidisse memini, ineunte hujus anni Autumno, quo tempore prior illa species mihi creberrimè & facto quasi agmine sese obtulit.

* Sedulâ mentis applicatione, & multiplici etiam experientiâ edoctus, quod si hinc acres istos humores, fomitem, morbi Cathartici expellere conarer, idem agerem, atque is, qui ignem oleo extinguere satagit, cùm Cathartici vel lenissimi operatio omnia magis perturbaret, & novos insuper excitaret tumultus: Et si ex adverso medicamentis Narcoticis aliisque astringentibus in ipso statim limine primum humoris impetum compescerem, dum naturali evacuationi obsisterem, & invitum humorem detinerem, æger, inimico visceribus incluso, bello intestino indubiè conficeretur. Has, inquam, ob causas, mediâ mihi viâ insistendum esse duxi, ut partim scilicet humorem evacuarem, partim etiam diluerem; morbum itaque hâc arte mihi à multis retrò annis comperta ac comprobata, toties quoties in ordinem coëgi,

Pullus tenetior in tribus circiter aquæ fontanæ congiis elixatur, adeò, ut carnis saporem vix perceptibilem liquor referat; hujus decocti (vel defectu ejus, liquoris possetici) capaciores aliquot cyathos æger tepidè exhaurire jubetur, eodemque tempore bona ejusdem quantitas pluribus *Enematis* successivè injiciendis inservit, donec quâ per superiora, quà per inferiora, tandem omne jusculum absumptum; ac denuò rejectum fuerit. Hisce haustibus, pariter ac Clysteribus, Syruporum *Lactucæ, Violarum, Portulacæ, Nymphææ*, eorumve alicujus, Uncia subinde admisceri poterit; quanquam & citrà ejusmodi additamenta, jusculum ipsum per se rem satis commodè exequatur. Ita Ventriculo insigni liquoris quantitate sæpiùs onerato, atque, ut sic dicam, subverso, ac reiterâta Enematum injectione, humores acres vel foras eliminantur, vel retusâ acrimoniâ ad debitam temperiem revocantur. Exantlato hoc eluvionis penso, quo tres vel quatuor horas sibi vendicat, medicamentum aliquod *Paregoricum* curationi coronidem imponit: Mihi hoc crebro in usu est, ℞. *Aq. Paralys.* ℥j. *Mirab.* ℥ij. *Laudani liquidi gutt*, xvj. cujus loco Narcoticum quodvis officinale succenturiari poterit. Atque hæc quam proposui diluendi humores via multo tutius ac expeditius, quam quæ vel per evacuentia, vel per astringentia vulgò instituitur, periculosissimo affectui occurrit, quippe cùm ab *illis* tumultus concitatior & ferocior evadat, ac omnia susque deque vertantur; hæc econtrà hostem in mediis visceribus detineant, ac ex advenâ reddant planè inquilinum; ut taceam, protracto in longitudinem morbo præter

* *Curatio*

periculum ex ejusmodi mora, quâ in massam sanguinis tandem humores vitiosi irrepunt, atque mali moris Febrim facilè accendunt, etiam ægris gravissimi mali tædium procreari.

At verò diligenter est animadvertendum, quòd si non accesserit Medicus, nisi postquam æger vomitu ac dejectionibus ad horas aliquàm multas continuatis, puta 10 vel 12, fuerit exhaustus, & jam frigescant extrema membrorum; hoc, inquam, casu, omissis aliis quibuscunque auxiliis recto cursu ad sacram hujus morbi anchoram, *Laudanum* intelligo, confugiendum est; quod non tantùm exhibendum est urgentibus Symptomatis, sed etiam cessantibus Vomitu ac Diarrhœâ manè & serò quotidiè repetendum, donec pristinas vires æger, ac sanitatem tandem receperit.

Hic morbus, quamcumlibet Epidemicus, rarissimè tamen [quod suprà dictum est] *Augusti*, quo primum cœpit mense, terminos excessit; ex quo mihi subest contemplari elegantissimum illud subtilissimumque artificium, quo utitur natura in Epidemicorum natalibus atque ortu; Licèt enim eædem prorsus maneant causæ, unde plures sub finem *Septembris* æquè ac mense præcedente, hoc morbo possunt corripi, nimia sc. Fructuum Horariorum ingestio; eundem tamen non sequi videmus effectum: Quisquis autem *Choleræ morbi legitimi*, quôcum solo nobis impræsentiarum res est, Phænomena studiosè collegerit, fatebitur morbum istum; qui quovis alio anni tempore invadit, quamvis ex eâdem occasione prognatum, atque eorundem symptomatum nonnullis stipatum, ab hoc nostro toto cœlo distare, haud aliter ac si in aëre peculiaris mensis hujus lateat reconditum ac peculiare quiddam, quod specificam hujusmodi alterationem soli huic morbo adaptam, vel cruori vel Ventriculi fermento valeat imprimere.

CAPUT III.

Dysenteria partis Anni 1669, *atque integrorum* 1670, 71, 72.

VEntris *tormina sine dejectionibus* initio *Augusti* 1669, ut suprà innuimus, invadere cœperunt; & excurrente eo Autumno, *Dysenterias*, quæ cum jisdem ingrediebantur, æquabant numero, ne dicam exuperabant. Febris nunc iis accessit, nunc aberat. Dysenteriarum per id tempus grassantium torminibus dicta Ventris tormina omnino respondebant; atrociissima nempe hæc erant, & per intervalla cruciabant, nullæ verò sequebantur Dejectiones vel *Stercoroſæ*, vel *Mucoſæ*. Pari passu cum *Dysenteriis* per *Autumnum* hunc omnem procedebant, sed, ut jam docuimus, non cum jisdem per Annos sequentes hujus *Constitutionis* Epidemicè amplius invadebant. Cùm verò tormina hæc sine dejectionibus neque naturâ suâ, neque illâ, quâ promptissimè sopiebantur methodo, à *Dysenteriis* multum dissideant, ad has me confero.

Animadverti, morbum hunc uti nunc, ita ferè semper, *Autumni* initio invade-

vadere ſolere, & appropinquanti hyemi pro tempore cedere; cum verò annorum ſeries eidem Epidemicè producendo nimium faveat, unum alterumve, etiam quovis alio tempore poteſt ferire; quin & circa *Veris* ingreſſum, fortè etiam maturius, [ſi nempe aurâ calidior intemperantiori gelu derepente ſoluto mox ſupervenerit] plures aliquot inceſſere. Unde, perpauci licet fuerint, qui hoc corripiantur morbo, cùm tamen id tempore ita alieno contingat [ſatis ſcio illam *Conſtitutionem* haud mediocriter huic morbo ſuffragari. Atque ita ſe res habuit per eos annos, quibus *Dyſenteriæ* ita latè depopulabantur; quandoque enim circa finem hyemis aut Veris initium, ubi dictum, hic morbus hunc illumve vexabat.

Nunc cum rigore horroreque aggreditur hic morbus, quos ſequitur totius corporis calor, utin Febribus ſolenne eſt,] atque hunc brevi poſt ventris tormina; iſta verò dejectiones: Sæpè verò nulla antecedit Febris præſenſio, agmen autem ducunt tormina, dejectiones ſubſequantur: Semper tamen adeſt ingens cruciatus, & inteſtinorum depreſſio cum dolore, quoties exoneratur alvus, cum crebris itidem dejectionibus, & moleſtiſſimo viſcerum omnium quaſi deſcenſu. Dejectiones *mucoſæ* ſunt omnes, non *ſtercoroſæ*, niſi quod nonnunquam ſtercoroſa interponitur, idque ſine dolore inſigni. Mucoſis hiſce dejectionibus intertexuntur ſanguinis quædam lineamenta; quandoque tamen ne minimum quidem ſanguinis per omnem morbi decurſum iiſdem admiſcetur; quo non obſtante, [modò frequentes ſint Dejectiones, cum ventris torminibus & colluvie mucosâ, morbus haud minus rectè *Dyſenteriæ* vocabitur; quàm ſi unà maneret ſanguis. Interea temporis æger, ſi vel ætate floreat; vel Cardiacorum ope incaleſcat, febricitat linguâ ſubalbidâ quadam mucilagine densè obſita, &, ſi vehementius fuerit excalefactus, nigrâ etiam atque ſicca: Proſternuntur admodum vires, diſſipantur ſpiritus, nullum non adeſt Febris malè moratæ indicium. Non dolores tantùm ſummos atque ægritudinem adfert hoc malum, ſed, niſi peritè tractetur, ingens etiam in vitæ diſcrimen ægrum perducit; cùm enim jam imminuræ caloris Vitalis ac ſpirituum copiæ à crebris hiſce dejectionibus ante exhauriantur quàm peccans materia poſſit è ſanguine exturbari, manuum ac pedum frigore ſuperveniente, à morte periclitabitur, etiam intra morborum acutorum periodos oppetendâ; quod ſi intentatas *Parcarum* manus hâc vice eluſerit, plura tamen diverſi generis ſymptomata miſerum expectant: v. gr. nonnunquam progreſſo morbo, loco filamentorum ſanguineorum quæ eodem incipiente dejectionibus permiſta conſpici ſolebant, *ſanguis ſincerus*, ne muco quidem intermixto, lautiori quantitate ſingulis conatibus egeritur, quod, cùm corroſionis majorum aliquot vaſorum quæ inteſtina perreptant, argumentum ſit, ægro interitum minatur. Nonnunquam etiam inteſtina à magno illo incendio, quod excitavit materiæ calidæ atque acris ad partes læſas affluxus copioſior, *Gangrena* inſanabili afficiuntur. *Aphthæ* inſuper exeunte morbo oris interna fauceſque ſæpenumerò obſident, imprimis ubi corpus diu fuerit excalefactum, & materiæ peccantis evacuatio medicamentis aſtringentibus impedita, non exacto priùs per

Cathartica morbi fomite, Atque hæ quidem mortem imminentem ut plurimum denunciant. Quòd si prædicta symptomata superaverit æger, & morbus in longum trahatur, tandem intestina ordine quæque suo deorsum versus afficiendi videntur, donec in *rectum intestinum* malum omne detrudatur, & in *Tenesmum* desinat; quo facto, longè secus atque in Diseriis Dejectiones *stercoroſæ* vehementissimum intestinis dolorem inferunt, alvi scil. fæcibus teneriora adhuc intestina inter descendendum radentibus; cùm Dejectiones *Mucoſæ* eo tantùm tempore inferiori intestino, *Recto* nempe, molestias creent, quo materia in eo solo conficitur atque inde excernitur. Hic autem morbus licèt *adultis*, maximè *grandævis*, haud rarò exitialis, *Infantibus* nihilominùs perbenignus reperitur, qui ad menses aliquot ab eodem quandoque afficiuntur sine quovis incommodo, modò res naturæ permittatur.

Quantum cum hac, quam descripsimus, affinitatem habeat *Endemia* ista *Hibernòrum Dysenteria*, non satis scio, cùm nondùm ea mihi innotuerit; quin & in his, quas incolimus, regionibus quomodo se habeat *Dysenteria*, quam jam depinximus, si ad illas referatur quæ aliis annis infestabant, mihi pariter incompertum est, cùm fieri quidem possit, ut variæ enascantur *Dysenteriarum*, species, ut sunt *Variolarum* & Epidemicorum aliorum, diversis *Constitutionibus* propriæ & quæ proinde medendi methodum in aliquibus diversam sibi suo jure vendicent. Neque est, cur hos Naturæ lusus hac in re tantopere demiremur, cùm in confesso apud omnes sit, quòd quo profundiùs in quæcunque Naturæ opera penetremus, eo luculentiùs nobis affulgeat ingens illa varietas & divinum pene artificium operationum ejus, quæ captum nostrum longissimè superant. Adeò ut quisquis ille fuerit, qui in se receperit hæc omnia mente assequi, & multifarias Naturæ operationes *καθ' ὁδούς* indagare, partim magnis ausis excidit, neque voti per omnia compos reddetur: Convitia interim, [si quid judicando valet,] pro repertorum vel utilissimorum quam fecit semente, certò certius sibi metenda proponet, idque eam tantùm ob causam, quòd primus invenit.

Porrò observandum est, quòd *Epidemici* omnes ubi primùm è Naturæ sinu emergunt exiliuntque, quantum ex eorum Phænomenis licet conjicere, principio magis spirituoso ac subtili videntur inhærescere, quàm ubi jam magis adoleverint, quoque magis ad occasum vergunt, eò magis indies crassi atque humorales fiunt: Etenim quales quales demum fuerint inimicæ istæ particulæ, quas aëri intimè permixtas *Constitutionem Epidemicam* formare opinabimur, omninò par est, ut easdem majori agendi potentiâ per ea tempora pollere existimemus, quibus primùm eruperint, quàm postquam earum vires fuerint refractæ. Ita primus mensibus, quibus grassabatur *Pestis*, nullo ferè non die ejus contagio afflati, dum in triviis versarentur, inopinanter extincti sunt, nihil prorsus mali præsentientes, cùm, ubi morbus magis adoleverat, neminem, nisi Febre atque aliis symptomatis præcedentibus, unquam prostravit: Ex quo abundè conficitur, morbum hunc in ipsis incunabulis magis efferatum atque acutum fuisse, quam post principia, licet pauciores pri-

primâ acie jugulaverit, acto jam sc. quem habebat in humana corpora influxu. In *Dysenteriis* pariter, de quibus jam agimus, omnia universim symptomata atrociora sub primo morbi ingressu comparebant, & licèt, si ad ægrorum numerum respexeris, latius indies malum serperet, donec tandem ad statum provenisset, in quo ex consequenti plures interibant quàm ineunte morbo; symptomata tamen sub initio sæviebant magis quàm in *statu*, ac multo adhuc magis quàm in *Declinatione*, & cæteris paribus plures pro ægrorum numero Ἔλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα πραπίδων. Adde quòd quo diutius perseverabat morbus, eo magis Humoralis etiam videbatur; v. g. primo quo invasit Autumno, quamplurima nullis omnino Dejectionibus molestabantur; Torminum verò quod spectat atrocitatem, Febris intensionem, subitam virium prostrationem, aliaque symptomata, insequentium annorum Dysenterias longo intervallo post se reliquit. Quinimò Dysenteriæ cum Dejectionibus, quæ primæ incessebant, principio magis spirituoso ac subtili videbantur inhærere, quàm quæ illas sequebantur. Etenim in primis Dysenteriis & conatus & ad desidendum irritatio majores erant, tum etiam frequentiores; ipsæ verò Dejectiones; stercorosæ præsertim, & minores, & magis insolentes: Quibus autem gradibus morbus in genere se promovit, jisdem etiam imminuebantur Tormina, Dejectiones verò magis stercorosæ erant, donec tandem fatiscente *Epidemicâ* hâc *Constitutione* Tormina vix percipierentur, Dejectionesque *stercorosæ* magis essent quàm *mucosæ*.

* Ut ad Curativas Indicationes tandem procedamus, cùm varia quæ huic morbo accidunt symptomata, diligenter ac maturè mecum pensitassem, *Febrem* eum esse (sui sc. generis) in intestina introversam deprehendi, cujus ope humores calidi atque acres in massa sanguinea contenti atque eandem exagitantes, per Arterias Mesaraicas in dictas partes deponuntur: unde à vehementiori sanguinis atque humorum eo contendentium impetu patefactis vasorum orificiis, sanguis per sedem effunditur. Interea temporis importuno intestinorum nisu, quæ omnem adhibent operam ut humores acres continuò infestantes expellant, mucus iste quo naturaliter obducuntur, singulis sedibus, nunc parciùs, nunc copiosius, unà egeritur. Poinde ultrò se *Indicationes* offerre videbantur, neque mihi aliud quippiam incumbere existimavi, quàm ut primùm acres istos humores secta vena immediate revellerem, quo facto insuper reliquam massam contemperarem, tum etiam dictos humores per Cathartícæ subducerem.

Hâc itaque Methodo sum usus; Quo primùm accersebar die, venam cubiti tundendam suasi, eadem nocte & *Paregoricum* propinavi. & sequenti aurorâ Potionem hanc Cathartícam Lenitivam, mihi familiarem, ℞. *Tamarind.* ʒß. *fol. Sennæ* ʒij *Rhei* ʒiß. *Coq. s. q. Aquæ, Colaturæ* ʒiij. *dissolve Mann. & Syr. Ros. solut. an.* ʒj. *m. f.* Potio sumenda summo mane Hanc ego potionem Electuario cuilibet cum Rhei pauca quantitate parato, soleo præponere; licet enim *Rhabarbarum* Choleræ atque acrioribus quibusque humoribus evacuandis sit dicatum, attamen nisi *Mannæ* aliquid, aut *Syrupi Ro-*

* *Curatio.* *sacei*,

ſacei, vel aliud ejuſmodi, ea quantitate admiſceatur ut ad pleniorem Cathartſin aſſurgat, in Dyſenteriis *curandis* non admodum conducit. Quandoquidem verò ſatis eſt obvium Medicamenta Cathartica etiam leniſſima, & tantum Ἐκκοπρωτικὰ, ventris tormina intendere, ſpirituum etiam dejectionem, atque ἀταξιαν univerſalem ægro inferre, adventitio nempe illo tumultu quo ſanguinem ac humores commovent inter operandum; eapropter ſolenne mihi eſt *Paregoricum* temporius aliquanto ſubjicere quàm poſt Cathartica conſuevimus, hora ſc. pomeridiana quacunque, modò Catharticum ſuo defunctum munere videatur; quo ſc. quem concitavi motum denuò ſuffiaminare valeam. Deinceps ad duas adhuc vices dictum Catharticum præſcribo, alternis ſcil. diebus hauriendum; Paregoricum etiam poſt ſingulas Purgationes, quo ſupra monuimus tempore. Hoc inſuper diebus à Purgatione vacuis tam mane quam ſerò exhibendum curo, quo ſc. ſymptomatum ferociam debellem, atque inducias impetrem, dum cum humore peccante exterminando mihi res eſt. ⌒*Anodyno* autem utebar maximè *Laudano liquido*, guttis nempe 16. vel 18. in Aqua qualibet Cardiaca, pro doſi una.

Poſt Venæ-ſectionem & Catharſin ſemel celebratam per totum morbi decurſum Cardiacum quodvis è temperatioribus, ut *aq. epidem. aq. ſcord. comp.* & his ſimilibus, ſubinde deguſtandum conceſſi. *Ex. gr.* ℞. *aq. ceraſor. nigr. & fragor. an.* ℥iij. *aq. epide. ſcordii comp. & cinnamomi hordeat. an.* ℥j. *margarit. præparat.* ʒiß. *Sacchari Chryſtalini q. ſ. adde aq. roſarum Damaſc.* ʒß. (ad guſtum ſc. gratiorem) *miſ. bul. de quo cap. coch.* iiij. *vel* v. *in languoribus, vel ad libitum.* Hæc autem imprimis in ſenioribus ac Phlegmaticis uſurpavi, quo nempe ſpiritus magna Dejectionum vi, quod in hoc morbo uſu venit, proſtratos erigerem quadantenus, & reſarcirem: Potus erat Lac coctum cum Aquæ triplo; aut *Decoctum album* [quod appellant] *ex C. C. C. & micæ panis albiſſ. an.* ʒij. *coctis in aq. font.* ℔iij. *ad* ℔ij. *& poſtea ſ. q. ſacchari albiſſ. edulcoratum*: aliquando etiam lac Cereviſiatum; vel, ubi dejectio virium ad poſtulaverit, ⌒*Aq. font.* ℔ij. *cum Vini Canarini* ℔ß. *ſimul cocta* pro potu ordinario frigidè aſſumebantur. Panatella item nonnunquam veſcebatur, nonnunquam juſculo è carnibus ovinis macilentioribus Grandæviores lectulo magis addixi; Aquam item Cardiacam illis familiarem liberalius indulſi, quàm infantibus aut junioribus par erat. Laudata Methodus omnibus, qui mihi hactenus innotuere, in hoc morbo vincendo facilè palmam præcipuit, qui perraro ultra tertiam Purgationem duravit.

Quod ſi morbus præfractior his non cederet, dictum *Paregoricum* ægro exhibui ſingulis diebus mane, & hora ſomni, donec omnino convaleſceret; imò quo certius adhuc hic affectus debellari potuerat, Laudanum prædictum octava quaque hora, *i. e.* ter ſpatio diei naturalis, propinare non dubitavi, idque in majore doſi quàm ſuprà recenſui, nempe ad gutt. xxv. ſi prior doſis fluxui cohibendo haud par fuerat. Inſuper *Enema ex latis vacc. libr. dimidiâ, & Theriac. ⌒Androm. ſeſquiuncia* ſing. diebus injiciendum curavi, quod quidem in quibuſcunque alvi dejectionibus mirè confert. Nec vel minimum quidem incom-

incommodi à tam frequenti Medicamenti Narcotici repetitione mihi adhuc videre contigit [quantamlibet noxam inde sequuturam comminiscantur inexperti ,] licèt plures noverim qui in morbo contumaciori idem ad septimanas aliquot continuas quotidie usurpaverint. Hic autem admonendum, quòd cùm alvi fluxus ad *Diarrhœam* tantùm assurgat, satis erit ut [Phlebotomiâ ac Gatharsi fortiori omissa *Rhabarbarum* solum singulis matutinis exhibeatur , nempe ejusdem *pulv.* ʒß. (plus minus pro ægri virium ratione) *in Bolum s. q. Diascordii concinnata, addendo ol. Chym. cinnamomi gutt.* ij; noctibus autem insequentibus *Paregoricum ex aq. Cinnamomi hordeatæ* ʒj *& laudan. liquid. gutt.* xiiij. Diætam interim observando qualem in curatione Dysenteriæ supra descripsi , atque etiam singulis diebus, si opus fuerit , clysterem injiciendo ibidem laudatum. Sed hoc obiter.

Ut unica instantia (neque enim pluribus Convalescentium exemplis , nulla cogente necessitate , Lectori tædium creabo) Methodum jam à me propositam commendatam faciam; Vir pietate atque Eruditione insignis *Th. Belke* S. T. P. & *Comiti Sancti Albani* à Sacris Domesticis, durante hâc Constitutione *Dysenteria* Acutissima laborans , me in subsidium accito , ipsissima hac methodo restitutus est.

Infantes hoc morbo correpti eodem planè modo erant tractandi ; sanguinis tamen extrahendi quantitate, tum etiam Medicamentorum , tam Cathartici, quàm Anodyni viribus pro annorum ratione imminutis ; ita ut v. gr. Narcotici guttæ duæ infanti unius anni sufficerint.

Laudanum Liquidum , quod in quotidiano , ut dictum , usu mihi erat , hanc ad normam simpliciorem præparavi. ℞ *Vini Hispanici* ℔j. *Opii* ʒij. *Croci* ʒj. *pulv. Cinnamomi , & Garyophyllorum an.* ʒj. *infundantur simul in B.. M. per duos vel tres dies , donec liquor debitam consistentiam acquirat; Colatura servetur pro usu.* Hanc nostram præparationem *Laudano* Officinarum *solido* anteferendam virtutibus quidem non censeo, sed ob formam saltem commodiorem , & majorem Dosis certitudinem , eidem antepono ; cùm sc. Vino , Aquæ Distilatæ , aut liquori alii cuicunque instillari possit. Et profectò non hîc mihi tempero, quin gratulabundus animadvertam, Deum Omnipotentem πάντων σωτῆρα ἐάων non aliud remedium , quod vel pluribus malis debellandis par sit , vel eadem efficaciùs extirpet, humano generi , in miseriarum solamen, concessisse, quàm sunt *Opiata* , Medicamenta sc. ab aliquâ *Papaverum* specie desumpta. Et quamlibet sunt nonnulli , qui credulis persuadere velint, omnem ferè Narcoticorum , *Opii* præsertim ipsius , virtutem ab artificiosa ac debita , quam soli adhibent , præparatione pendere ; qui tamen experientiâ judice certaverit , & tàm simplicem succum à natura oblatum , quà ejus præparata cum diligenti observatione in usum frequenter revocaverit , nullum ferè discrimen intercedere comperiet , & mirando illos effectus, quos edit , nativæ ipsius plantæ bonitati atque excellentiæ, non verò artificis polydædali solertiæ deberi certò sciet. Quinimo ita necessarium est in hominis periti manu organum , jam laudatum Medicamentum , ut sine illo manca sit

ac claudicet Medicina, qui verò eodem inſtructus fuerit, majora præſtabit, quàm quis ab uno Remedio facilè ſperaverit: Rudis enim ſit oportet, & parum compertam habeat hujus medicamenti vim, qui idem ſopori conciliando, demulcendis doloribus, & Diarrhœæ ſiſtendæ applicare tantùm novit, cùm ad alia plurima, gladii inſtar *Delphici*, accommodari poſſit, & præſtantiſſimum ſit Remedium Cardiacum, unicum penè dixerim, quod in rerum natura hactenus eſt repertum.

Hâc Methodo erant tractandæ *Dyſenteriæ* in genere. Obſervandum eſt autem, quòd cùm primo quæ ingrediebantur anno, indolis magis ſubtilis, uti dictum, ac ſpirituoſæ eſſent, quàm quæ ſequentibus annis infeſtabant, idcircò non ita promptè Catharticis parebant Medicamentis, atque illis, quæ tàm ſanguinem diluebant contemperabantque, quàm acres iſtos humores, qui ex eodem in fiſtulam inteſtinalem excernebantur. Quamobrem primo autumno, quo *Tormina ſicca* & *Dyſenteriæ* invadebant, Methodum ſequentem conſtanter ad utrumque morbum abigendum adhibui, eventu ubique aſtipulante; donec appetente frigore eandem etiam anno eodem minus efficacem eſſe ſentirem, atque annis ſequentibus, cùm jam magis à ſubtilitate recederet morbus, prorſus inutilem.

Ita vero proceſſi, ſi æger ætate florens febricitaret, cubiti venam rundendam præcepi, atque elapſa hora una aut altera, eundem ingeſto affatim liquore diluendum, ut in *Cholera Morbo*, factitaram; non verò, ut illic, juſculo è carnibus pullorum, aut Lacte Cereviſiato, at Lactis ipſius ſero, quod eadem qua illic copia frigidè propinandum, tepidè verò inferiùs injiciendum curavi, nec Saccharo adjecto, nec alia re quacunque. Tormina, & Dejectiones ſanguine permiſtas, rejecto jam quarto Enemate ſemper evaneſcere animadvertebam: Hoc labore exantlato, & tranſmiſſo ſero lactis omni (quod duarum triumve horarum ſpatio fiet, ſi diligenter operam navaverit æger) lectulo protinus eum commiſi, ubi brevi ſponte ſua in madorem ſolvebatur (à ſero lactis ſanguini immixto,) quem ad horas 24 continuari, minimè provocari jubebam; nihil interim concedens præter Lac crudum paulò repefactum, quo etiam utebatur ſolo ad dies tres vel quatuor poſtquam è lecto ſurrexerat. Si vel ob lectuli, vel lactis uſum nimis præmaturè intermiſſum, recidivam pateretur æger, eadem veſtigia denuò repetenda erant. Hæc Methodus, ſi certa atque expedita fuerit, non ideo à viro quolibet prudente repudiabitur, quòd faſtoſo Remediorum apparatu non ſe venditet.

Hujuſmodi *Febrem* ſymptomatis, qualia ſupra deſcripſimus, ſtipatam iis in locis & temporibus reperiri quibus *Dyſenteria* Epidemicè regnat, & Methodum hanc quam delineavimus, eidem omnino deberi, teſtimonio viri probi atque eruditi Doctoris *Butler* ampliùs confirmabitur, qui Nobiliſſimum D. D. *Henricum Howard.* à S. Maj. Regia *Britannica* ad *Moroccenſem* in *Africa* Legatum comitabatur; quibus in regionibus, ut mihi ipſe retulit, obſervavit *Dyſenteriam* per ea tempora, uti ſemper, Epidemicè graſſari, & *Febrem*, quæ cum illa jungebatur, omnino illi ſimilem quam depinximus; qui-

quibus ille medebatur tam in urbe *Tingitanâ* quam aliis in locis, sive *Nostrates* essent ægri, sive *Mauri*, dicta Methodo, felici semper exitu. Quam quidem neuter alteri debemus, sed pari fortuna in eandem difficilissimi incidimus. Profitebatur autem, optimè istic sibi cessisse in illius morbi Curatione Methodum illam, qua liquoris diluvio submerguntur *Dysenteriæ*. Atque existimo ego, omnino par esse ut in Calidiori isto Climate longè rariùs succedu careat hæc Methodus quàm in nostra *Britannia*.

Primo illo Autumno quo vigebat hæc *Constitutio*, *Daniel Coxe* M. D. vir ingenio & eruditione ornatissimus, *Dysenteria* acutissima laborans, me quem consuluit suadente, ope Methodi jam laudatæ, Citò, Tutò, & Jucunde sanatus est; post tertium sc. quartumve Enema, dum lecto assiderem, & Tormina & Dejectiones sanguineæ evanuêre; nec qualibet re alia, præter lecti ad dictum spatium patientiam, & Lacteam Diætam, ad sanitatem redintegrandam opus habuit. Eodem planè modo & idem postea alios quam plurimos hoc malo affectos restituit exeunte eo Autumno. Anno autem proximo, illum etiam idem molientem spes fefellit.

Jam olim diximus, quod sæpenumero hic morbus, si diutius excurrat, intestina seriatim omnia deorsum versus afficiat, donec tandem omnis ejus vis in *Rectum* decumbat cum assidua desidendi cupiditate, qua nihil præter Mucosum quiddam & subcruentum excernitur. Hoc si fiat, frustra erit, me judice, qui medicari satagat vel quavis Methodo prædicta, vel Clysteribus Abstergentibus, Glutinantibus atque Astringentibus quæ pro variis ulceris, quod supponitur, temporibus injici solent; vel etiam Fotu, Insessu, Suffumigiis, ac Suppositoriis dictos scopos respicientibus. Liquet enim, hoc ab ulcere *Recti* non procedere, sed ex illo potiùs: quod *Intestina* quibus gradibus vires resumserint, jisdem etiam materiæ morbificæ reliquias in *Rectum* deturbaverint; quod quidem indesinenter proritatum singulis sedibus mucosam illam materiam, qua ex naturæ providentia intestina duplicantur, elidit. Corroboranda est itaque pars affecta, quo possit, aliorum intestinorum exemplo, jam fatiscentes mali reliquias funditus eliminare. Hoc autem ea sola præstabunt, quæ corpori in genere vires adjicere apta nata sunt. *Topicum* enim, qualecunque id demum fuerit, parti dolenti applicatum, cum Alienum quid sit, contactu molesto debilitatem magis adferet, quam robur subministrabit. Tolerandum itaque est ægro, donec Diæta Analeptica & liquore aliquo Cardiaco, qui palato arridet maxumè, pro libitu ingesto, revocari possint vires; quibus redeuntibus, pari passu suaque sponte proripiet se hoc *Tenesmi* symptoma.

Accidit etiam nonnunquam, licèt rarò admodum, ut *Dysenteria* sub initio non ritè curata, particulare subjectum ad annos aliquot discruciet, integra sanguinis massa Crasin quasi Dysentericam jam indepta, unde acres calidique humores intestinis continuò suppeditantur, ægro interim singula vitæ munia mediocriter bene obeunte. Hujus specimen se mihi obtulit non ita pridem in muliere quadam meis ædibus vicina, quæ per tres annos hujus *Constitutio-*

nis postremos hoc malo continenter exercebatur. Cùm remedia quàm plurima essent experta antequam ad me accederet, Venæ-sectionem tantùm, missis cæteris præsidiis quibusque, celebrandam censui, quam ut sæpiùs repeterem, longioribus tamen intervallis, tum sanguinis color, Pleuriticorum sanguinis æmulus, tum insigne illud quod post singulas vices magis ac magis auctum sentiebat levamen, mihi addebant animos; cujus ope tandem pristinam sanitatem consequuta est.

Antequam finiam, hoc est notandum, qnòd tametsi in his annis quibus Dysenteriæ adeò Epidemicè grassarentur, evacuationes priùs memoratæ Prorsus necessariæ erant antequam ad usum Laudani deventum fuisset; attamen in *Constitutione* quavis huic morbo minùs faventi, istæ tutò omitti possint, ac curatio compendiosiori viâ, solo nempe usu Laudani, absolvi, eo quem descripsimus modo. Atque hæc de *Dysenteriis* dicta sunto.

CAPUT IV.

Febris Continua partis ⌣Anni 1669, *atque integrorum* 1670, 71, 72.

EO ipso tempore, quo sæviebat *Dysenteria*, & *Febris* quædam illi similima, quæ Dysentericis accidere sæpè solebat, unà exorta est quæ quidem non eos tantùm, quos jam sauciaverit Dysenteria, seb ab illa prorsus immunes, (nisi quod subinde, at rarò, tormina haud quidem atrocia, nunc *cum* Dejectionibus, nunc *sine* illis, paterentur ægri) pariter incessit: Easdem enim ubique συμπτωσὶ seu causas manifestas & apparentes habuit, quas *Dysenteria*, eadem etiam per omnia symptomata, quæ Dysentericorum Febrem comitabantur. Ita ut, si evacuationes per alvum Dysenteriâ laborantium excipias, & quæ ab istis necessariò pendebant symptomata, dicta Febris ejusdem prorsus naturæ cum ipsis Dysentericis videretur; & deinceps per hujus *Constitutionis* decursum omnem, parem cum illis subiit symptomatum quorumlibet alterationem, eisdem scilicet differentiis, quoad Augmentum, Statum & Declinationem, affecta, quibus afficiebantur in genere *Dysenteriæ*. Hæc itaque *Febris Dysenterica* mihi audiebat.

Memorata *Febris* nonnunquam, uti dictum, cum alvi Torminibus, sed mitioribus, ingrediebatur (prioribus annis maximè, quibus invasit,) vel ista ad eam post accedebant, sæpiùs verò nulla erant. Sudores, qui in Febre *Constitutionis* prægressæ copiosissimi erant, ut suprà notavimus, in hac rari ac parci, sed Capitis dolor in hac quàm in illa specie immanior: Linguæ ægrorum, licet humidæ atque albæ, ut in altera specie, crassâ insuper pelliculâ oblinebantur. Rariùs hæc per *Ptyalismum* sibi fugam quærebat, quod in alia non erat infrequens. Ad *Aphthas*, cùm jam dicessum meditaretur, erat propensior, quàm vel prior ista, vel alia quævis Febris species, quàm mihi hactenus contigit videre, huic etenim perquam familiare fuit (uti & Febri etiam

illi,

illi, quæ Dysenteriis supervenit] cùm jam ferè desineret, materiam fœdam atque acrem è sanguine in os atque gulam deponere, unde nascebatur dictum symptoma, in iis præsertim, quos contumacior morbus diutius maceraverat, & regimen justo calidius amplius infirmârat.

Eodem etiam morbo generabantur *Aphthæ* istæ, quæ *Dysenteriis* pervicacioribus cum Febre conjunctis nullo non die accidebant; præsertim si præter regimen calidius evacuationes etiam per alvum medicamentis astringentibus priùs fuerint coërcitæ, quàm morbi fomes è venis Phlebotomiâ & Cathartici exigeretur.

Hæc erant certissima hujusce Febris κεντήεια; reliqua symptomata variabant quotannis, & pro manifestis aëris qualitatibus certis quibusdam temporibus, & pro Dysenteriæ in genere progressu, tum etiam vario ejusdem statu, Sed ut hæc clariùs intelligantur, cùm hoc præsertim artificio in *Epidemicorum* productione triumphet natura, rem paulò altiùs repetam. Notandum est itaque, quòd, licèt aëris *qualitates manifestæ* non eam vim cuilibet *Constitutioni* imprimant, ut causæ sint Epidemicorum, qui ad illam propriè referuntur Productivæ, [cùm à recondita atque inexplicabili ejusdem conditione fluant isti,] pro tempore tamen in eos habent potestatem, & proinde intromittuntur *Epidemici*, aut etiam excluduntur, prout illis favent qualitates manifestæ, vel adversantur; *Universalis* autem *Constitutio* eadem prorsus manet, sive eam promoverint istæ, sive quadantenus retardarint. Unde etiam est, quòd, cùm varii *Epidemici* in eandem incidant *Constitutionem*, hic aut ille morbus particularis eâ potissimùm tempestate se exerat, ad quam sensibiles aëris qualitates eundem destinaverint, atque alteri demum *Epidemico* locum cedat, quem sc. diversæ subsequentis temporis qualitates advocarint. Ex quo fit, ut Febris *Stationaria*, quæcunque demum illa sit, quæ ad *Epidemicum* eo anno regnantem attinet, *Iulio* mense potissimùm sæviat, cujus initio plures hominum catervas simul aggreditur; *Autumno* verò appropinquante, magno illi Epidemico, à quo annus insignitur, rursus invalescenti decedit, & parcius infestat, ut quilibet semper annus satis docet. Excalefacta enim à prægressa æstate hominum corpora Febres, *Constitutioni Generali* propriæ quæ sunt, promptissimè eo tempore invadunt; appetente verò *Autumno*, quo qui prædominatur *Epidemicus*, fasces resumit, istis omninò recedendum est,

Sicuti verò nominatæ *Febres* sensibili aëris Qualitati acceptum referre debent, quòd jam hoc mense exoriantur; ita etiam symptomata varia, à sua natura, quatenus ab ejusmodi *Constitutione* Generali pendent, prorsus aliena, à manifestarum qualitatum, quæ in illum incidunt *mensem*, peculio sumunt mutuo. Hinc est, quòd quibus annis dictæ Febres hoc mense turmatim ingrediuntur, variis symptomatis novis stipantur, præter illa, quæ eis sunt propria, quatenus ab ejusmodi *Constitutione* Generali procreantur, eædem tamen ipsæ maneant, licet apud vulgus ob φαινομενων diversitatem *Novæ* quotannis *Febres* audiant. Ad paucas verò tantùm septimanas perseverant

symptomata hæc magis peculiaria, quibus elapsis propria solummodo symptomata, quæ eis accidunt, quatenus Febres sunt *Stationariæ* talis *Constitutionis*, reperiuntur per reliquum annum.

Hoc tum in aliis liquebat Febribus, tum magis peculiariter in *Dysentericis* mensis *Julii* 71. & 72. in quarum *priore* vehemens ægritudo, & Bilis æruginosa, cum magna in Diarrhæam propensitate sub morbi finem, continuò observabantur. In *posteriore*, doloris sensus in partibus corporis musculosis, Artibus maximè, ad Rheùmaticorum ferè dolores accedens: Faucium insuper inflammatio, mitior tamen quàm in Angina laborantibus. Utraque tamen hæc in eadem *Febre specifica* coibant; & eadem planè medendi ratione utraque profligabantur, differebant autem respectu tantùm qualitatum sensibilium, quibus donabantur tempora illa, in quæ incidebant. Improvisa verò subitaneaque harum Febrium circa dicti mensis initium eruptio, & noua ad tempus aliquod peculiarium symptomatum facies (licet neque specie distarent, neque methodo medendi, quam postulabant, à Febre illa, quæ integrum percurrebat annum:) Hæc, inquam, plus satis evincunt, quàm sit difficile certam Febris speciem omni tempore è Phænomenis elicere; licet eam satis rectè possit dignoscere, qui ad alios morbos eodem anno ingruentes diligenter attenderit, & propria insuper Febris symptomata, quæ ad hunc vel illum *Evacuationis* modum spectant, ritè observaverit. Nec parum facit ad investigandam Febris speciem consideratio, sive Methodi, sive Medicamenti, à quibus eadem minimo cum negotio expugnatur.

Quod ad reliquas symptomatum, Febres *Stationarias* comitantium, differensias spectat, *varia* Constitutionis *tempora* eæ tantùm respiciunt, atque eo nomine vel sunt intensiora, vel remissiora, illa prout intenduntur, vel etiam remittuntur, symptomata aliorum Epidemicorum, ad quos ipsa pertinent.

Sed ut ad rem revertamur. *Febris* hæc, quæ cum *Dysenteriis*, ut supra dictum, est ingressa, parem cum iis passum tenuit, nisi quòd se paululum subduceret, dum alii horum annorum Epidemici prævalerent; persistebat tamen illa, nunc plures, nunc pauciores petens, durante hâc *Constitutione*.

* Pro hujusce *Febris Curatione*; cùm observassem, uti priùs dictum, Phænomena *Febris Dysentericorum* quamplurium eadem planè esse cum illis, quæ hujus anni *solitarias* comitabantur, consentaneum mihi videbatur sanatos iri ægros meos, si evacuationem illam quadantenus imitarer, quâ natura materiam illam corrosivam atque acrem, quæ & ipsius Dysenteriæ, & supervenientis Febris causa *Continens* est, solet ablegare. Ac proinde eâdem ipsâ Methodo, tum quoad Venæ-sectionem, tum repetitas Purgationes, Febrem hac aggressus sum, quam in Dysenteriæ curatione suprà fusiùs deduximus; Nisi quod *Paregorica* Purgationibus interjecta non tantùm non hîc juvare, sed & obesse deprehenderim, [secus atque in *Dysenteriâ*] cùm ab his detineretur materia illa, quæ Catharsi eliminari debuerat. Pulticulâ Avenaceâ, Hordeaceâ, Panatellâ, & similibus sub primis morbi diebus victabat æger; potus erat

* *Curatio.*

Cere-

Cereviſia tenuis parum repefacta: Poſt celebratam verò ſemel iterumve Catharſin nulla ſuadebat neceſſitas pullorum carnibus, aut ſimilibus Eupeptis ægro interdicere; cùm hæc per Purgationem Medicatio ea indulgeat, quæ non poterant concedi, ſi alii viæ inſiſteretur. Tertia utplurimum Purgatio, interpoſito ſemper die, morbum abſolvit; neque tamen perpetuum id fuit, ſed aliæ inſuper nonnunquam inſtituendæ erant. Si Febre jam pulsâ, fractiores adhuc eſſent ac magis effœtæ ægri vires, atque is tardius convaleſceret (quod *Hyſtericis* frequentiſſimè accidebat,) *Laudano* in parva doſi exhibito eaſdem reſtaurare, & ſpiritus transfugos ac diſſipatos in deſertas ſtationes revocare conabar; rarò autem remedium illud repetebam, neque unquam præſcripſi, niſi biduo triduove à Poſtrema Catharſi. Nihil verò æquè ad renovandas vires refocillandoſque ſpiritus faciebat, atque auræ liberior uſus mox ut Febris receſſerit.

Anſam autem ad praxin hanc inſtituendam hinc primùm arripui, quod nempe, naſcente fermè *Conſtitutione* hâc, dum irrequieto ſolicitoque animò novæ hujus Febris naturam volutarem, ad juvenculam mihi vicinam advocabar, Febricitantem quidem illam atque acerbiſſimo ſincipitis dolore ferè enectam, aliiſque ſymptomatis, quibus *Febrem Dyſentericam* onerari jam diximus: Hæc cùm à me interrogaretur, & de modo, qua Febri primùm invadebat, & de ejuſdem duratione, faſſa eſt ſe à *Dyſenteria*, quæ tum ubique ferè graſſabatur, à quatuordecim retrò diebus fuiſſe liberatam; cui ſive ſuâ ſponte diſcedenti, ſive medicamenti ope depulſæ protinùs ſucceſſit dicta Febris cum dolore capitis; Quibus ego me rectiſſimè occurrere poſſe conjectabam, ſi *Diſenteriæ* loco aliam evacuationem ſubſtituerem, ejus ſimillimam, quâ præclusâ Febris oborta eſt; ac proinde methodo ſuprâ laudatâ eandem reſtitui; Atque huic quidem ſe promptiſſimè debebant hujus *Conſtitutionis* Febres. Semper enim rebar non ſufficere ad comprobandam in *Acutis* Medendi rationem, ut feliciter ea cederet, (cùm ab imperitiſſimarum mulierculorum temeritate ſanentur nonnulli,) ſed requiri adhuc, ut morbus nullo negotio victus quaſi ſuopte genio cedat, atque abitum affectet, quantum ejus fert natura. Sed hæc obiter.

Incunte *Junio* 1672. Vir Nobiliſimus, ac Prudentiſſimus Dominus Comes *Salisburienſis* hâc Febre laborans cum torminibus (alvo tamen non ſolutâ, accerſiri me juſſit, & Methodo propoſitâ ſanitati redditus eſt. Neque alia mihi nulla fuit opus, dum hæc ſtaret Febris.

In adoleſcentibus, aliquando & in paulo provectioribus, Febris hæc caput nunnunquam petebat, unde delirabant, non quidem ut in aliis Febribus Phreneticorum more, ſed quaſi ſtupore, ad *Carum* proximè accedente, perculſi. Hoc illis præ cæteris accidebat, qui ſub morbi principio in ſudoribus quoquo modo extorquendis operam inauſpicato collocârant. Non id mihi contingebat Felicitatis, ut his ſublevandis par tunc temporis eſſem, licet nullum non moverem lapidem, nullumque non è remediis hactenus notis in ſuppetitas advocarem. Atque hæc de Febre hujus *Conſtitutionis* poſſint ſufficere.

CA-

CAPUT V.

Morbilli Anni 1670.

SUb initio *Ianuarii* 1670. (ita ut solent præmaturè *Morbilli* sunt ingressi, atque indies magis invalescebant, donec instante *Verno Æquinoctio* ἀκμὴν adepti, exinde iisdem gradibus imminuti tandem *Iulio* sequenti penitus extinguerentur. Horum jam ego Historiam [cùm omnium, quos hactenus vidi, in suo genere perfectissimi illi mihi videantur,] certam atque exquisitam, quatenus mihi tum observare licuit, literis consignabo.

Ortum habet hic morbus, atque Occasum temporibus supranotatis. *Infantes* plerumque aggreditur, omnesque adeò ex illis, iisdem mœniis conclusos. A rigore atque horrore, caloriscque & frigoris, quæ se mutuo *primo* die expellunt, inæqualitate tragœdiam orditur; tandem affulgente *secundo* die in Febrem consummatam definit, vehementi ægritudine, siti, inappetentia, linguâ albâ, [non verò siccâ] tussiculâ capitis atque oculorum gravedine, & somnolentiâ perpetuâ stipatam. Plerumque etiam è naribus atque oculis stillat humor; atque hujusmodi lacrymarum in oculos effusio certissimum est signum morbillorum ingruentium. Cui & hoc addendum haud minùs certùm, quod etsi in facie, exanthematum specie, hic affectus ut plurimùm se prodit, in pectore tamen non tam exanthemata quàm maculæ latæ & rubræ superficiem cutis non superantes, conspiciuntur, sternutat æger tanquam à suscepto frigore, intumescunt palpebræ [paulò sc. ante eruptionem,] vomit, sæpius tamen laborat *Diarrhœa* cum Dejectionibus coloris subviridis, Dentientibus autem maximè id convenit. Infantes etiam per hunc morbum solito sunt morosiores. Ingravescunt ut plurimùm symptomata ad *quartum* usque diem, quo tempore plerumque (licèt ad diem *quintum*, aliquando differantur) circa frontem & reliquam faciem maculæ parvæ rubræ, pulicum morsibus persimiles, prodire incipiunt, quæ tam numero quàm magnitudine auctæ, racematim coalescunt, & faciem maculis rubris majusculis variæ figuræ, interstinguunt. Quæ quidem maculæ rubræ è parvulis quibusdam papulis rubris haud longè ab invicem diffitis, supra cutis superficiem paululum elevatis, conflantur, quarum protuberantia, digito leviter admoto, tactu potest deprehendi, licet oculorum longiùs remotorum aciem ferè effugiat. A facie, quam primò solam occupant, sensim ad pectus ventremque, crura deindè ac tibias se diffundunt hæ maculæ, licèt truncum atque artus rubore inficiant tantùm, nulla eminentia sensibili cutis æquabilitatem transgressæ. Eruptione *Morbillorum* non perinde deliniuntur symptomata, atque *Variolarum*; Vomitum tamen post eruptionem nunquam observavi; Tussicula nihilominus, Febrisque intenduntur, cum spirandi difficultate, oculorum debilitate defluxioneque in eosdem decumbente, somnolentiâ perpetuâ, atque inappetentiâ, uti priùs adhuc perseverantibus. Die *sexto*, aut circiter, frons & facies aspersciunt, emo-

facies aſpereſcunt, emorientibus puſtulis, ruptâque cuticulâ, & per id temporis maculæ per reliquum corpus & latiſſimæ ſunt, & maximè rubeſcunt. *Octavo* circiter die maculæ in facie evaneſcunt, & vix in reliquo corpore cernuntur; *nono* verò nullæ ſunt prorſus, facie atque artubus, quandoque & toto corpore quaſi farinâ conſperſis, particulis ſcilicet diſruptæ cuticulæ paulum elevatis & vix cohærentibus, quæ morbo jam abituriente in fruſta diſtrahitur, & poſtea à toto corpore ſquamularum formâ decidit. Evaneſcunt itaque *Morbilli* die ferè *octavo*, quo tempore vulgus (à ſpacio quo perdurare ſolent Variolæ, deceptum) eoſdem introverti affirmat, licèt reverà illi curſum à natura deſtinatum abſolverint, & ſymptomata quæ iiſdem recedentibus ſuperveniunt ex eo nata autumat, quod juſto citius ſe intro *Morbilli* receperint. Obſervare enim eſt, Febrem atque ſpirandi difficultatem tunc temporis augeri, importuniùs urgere Tuſſiculam, ita ut nec interdiu, nec etiam noctu ferè ſomnus poſſit obrepere. Infantes præſertim ſubregimine calidiori, aut, qui calidioribus uſi ſunt medicamentis ad promovendam Morbillorum eruptionem, huic malo ſunt obnoxii, quod Morbillis jam faceſſentibus ſe oſtendit, unde in *Peripneumoniam* conjiciuntur, quæ plures jugulat, quàm aut Variolæ ipſæ, aut ſymptoma quodcunque ad eum ſpectans morbum; licet omni prorſus periculo vacent *Morbilli*, ſi modò peritè tractentur. His etiam non rarò accidit *Diarrhœa*, quæ vel morbum ſtatim excipit, vel etiam ad plures ſeptimanas excurrit poſt morbi, omniumque ejus ſymptomatum fugam; haud ſine magno ægri diſcrimine, in quo abhinc ortâ ſpirituum profuſione continuâ, verſatur. Aliquando etiam poſt regimen intensè calidum Exanthemata liveſcunt primò, mox nigreſcunt; id verò *Adultis* tantùm contingit, de quibus conclamatum eſt, ubi primùm nigredo iſta conſpicitur, niſi Phlebotomia & temperatioris regiminis refrigerio iis actutum ſubveniatur.

* *Morbillis* ut naturâ, ita & medendi, quam ſibi poſcit hic morbus, ratione, cum *Variolis* ſatis convenit: Medicamenta, & regimen calidiora periculi pleniſſima ſunt, utut frequenter in uſum revocentur ab ignaris ægrorum Curatricibus, eo animo ut morbus à corde procul ſubmoveatur. Feliciter præ aliis mihi ceſſit methodus illa, quâ æger ad dies binos ſolùm ternoſve ab eruptione lecto adſtringebatur, quo ſanguis leniter pro morbi genio particulas inflammatas facilè ſeparabiles, à quibus offendebatur, per cutis ſpiracula difflaret, nec lodicibus, nec igne, præter modum, quem ſanus tenebat, adjectis: A carnibus quibuſcunque arcebam, juſcula avenacea hordeacea, & ſimilia, nonnunquam & pomum coctum concedebam; Potus vel erat Cereviſia tenuis vel Lac cum Aquæ triplo coctum. Tuſſim, quæ huic morbo ferè aſſidua eſt, decocto aliquo Pectorali ſubinde hauſto delinitam volui; uti etiam eclegmate aliquo eundem ſcopum attingente. At præ reliquis *Diacodium* omni nocte ab ipſo morbi inſultu per totum ejus decurſum exhibendum curavi. Ex gr. ℞. *Decoct. pectoral.* ℔ß. *ſyr. violac. & capill. Veneris an.* ℥ß. *miſ. f. Apozema. Cap.* ℥iij. *vel* iiij. *ter vel. quater in die.* ℞. *ol. amygdal. dulc.* ℥ij. *ſyr. violac. & capill. Ven. an.* ℥j. *ſacchari cand. albi q. ſ. miſ. f. eclegma, de quo ſæpiùs*

℞ *Curatio.* Q *lam-*

lambat, præcipuè quando tussis urget. ℞. aq. cerasor. nigr. ℥iij. syr. de meconi ℥i. mist. f. haustus, sumendus sing. noctibus. Si vero infans fuerat æger, minuenda erat tam Pectoralium quàm Narcotici dosis, pro ratione ætatis.

Rarissimè perit qui hoc utitur regime; nec præter necessaria atque inevitabilia morbi symptomata, novis insuper malis afficitur: Tussis præ reliquis fatigat; à qua tamen nihil est periculi, nisi morbo jam prætergresso, cumque adhuc per septimanam unam aut alteram persistat, auræ liberioris usu, ac remediis Pectori dicatis, haud difficulter fugatur; quinimo sponte sua & paulatim decrescit & tandem fatiscit.

Si autem æger à Cardiacorum, vel Regiminis justo Calidiorum usu, post eorum dicessum [quod valde est familiare] Febre vehementi atque *Dyspnœa* aliisque Accidentibus, qualia *Peripneumonicos* solent affligere, in vitæ discrimen adducatur, felicissimo semper eventu *vel* tenerrimorum infantum venas in brachio secui, eductâ ea sanguinis quantitate quam ætas viresque indicarent. Quandoque etiam, urgente morbo, Phlebotomiam iterare haud sum veritus. Profectò haud paucos Infantes hoc statim symptomate enecandos, benedicente sum no Numine, misso sanguine eripui. Infantibus autem accidit illud post *Morbillorum* recessum, quibus ita est exitiale, ut inter præcipuos *Parcarum* ministros jure habeatur, plures jugulans quàm vel ipsæ Variolæ; nec dum mihi visus est qui certa alia methodo, eidem potuit occurrere. Quin & *Diarrhœa*, quam *Morbillos* excipere diximus, Venæ-sectione pariter sanatur; cùm enim halitibus inflammati sanguinis in intestina ruentibus ortum suum debeat (quod etiam in *Pleuritide*, *Peripneumoniâ*, aliisque qui ab *inflammatione* creantur, morbis usu venit) à quibus illa ad excretionem stimulantur, sola Venæ-sectio levamen adferet; à qua tum revelluntur acres isti humores, tum etiam sanguis ad debitam redigitur temperiem.

Neque est cur quis miretur me in teneris infantibus Venæ-sectionem instituendam sua lere, cum sanguis, quantum ego hactenùs potuerim observare, haud minùs tutò ex eorum venis quàm ex adultorum extrahatur. Et profecto ita est illa necessaria, ut nec symptomati memorato, nec aliis quibusdam quæ infantibus accidere solent, omissâ phlebotomia certo mederi valeamus. Exempli gratia, quo pacto Puerorum *Dentientium Convulsionibus*, quæ *nono decimoque* mense superveniunt, (cum Gingivarum intumescentia doloreque, à quibus comprimuntur nervi atque irritantur, unde etiam Paroxysmi isti nascuntur) sine Venæ-sectione opem feremus; Quæ sola in dicto affectu *specificis* quibuscunque *vel* decantatissimis, quæ hactenus innotuere, longè est anteferenda; quorum nonnulla adventitio calore nocent etiam, & dum occulta aliqua proprietate morbo adversari creduntur, manifesto calore eidem militant, atque ægrum ac plures deducunt. Prætereo impræsentiarum ingens illud solarium quod adfert Venæ-sectio Infantum *Pertussi*, (quam Nostrates vocant *Hooping Cough*) in qua Remedia quælibet Pectori dicata post se linquit intervallo.

Quo de horum symptomatum *Morbillis* decedentibus superveniencium, curatione jam diximus, nonnunquam etiam eisdem florentibus potest competere

petere, si nimirum artificiali, si fas est dicere, atque adscititio calori ea debeantur. Hoc anno 1670 famulam Dominæ *Annæ Barington* hoc morbo laborantem, unâ cum *Febre*, *Dyspnœa*, *Maculisque purpureis* corpus omne deturpantibus, aliisque symptomatis quam plurimis periculosissimis, Medicus invisebam; cùm regimini, & Medicamentis, quæ satis multa usurpaverat, calidioribus ista omnia tribuerem, sanguinem à brachio extrahendum curavi, & Ptisanam Pectoralem atque Refrigerantem sæpe assumendam præscripsi, quorum ope, & regiminis simul temperatioris, & maculæ, atque alia omnia symptomata pedetentim evanescebant.

Hicce Morbus, mense *Ianuario*, ut dictum est, natus, ad *Æquinoctium* usque *Vernum* crescebat indies; à quo tempore imminuta paulatim vi, sequenti *Julio* planè desiit; nec est reversus per omnes annos quibus hæc *Constitutio* dominabatur, nisi quòd insequenti Vere, nonnullibi, licèt rariùs, se ostenderet, de *Morbillis* hæc dicta sunto.

CAPUT VI.

Variolæ Anomalæ Annorum 1670, 71, 72.

Morbilli prædicti, (quod jam supra innuimus,) *Variolarum* speciem ab illa quam propagaverat *Constitutio* præcedens, diversam introducebant, eodem ferè cum illis tempore ingredientem, initio scil. *Ianuarii* 1669. 1670. quæ licèt non usque adeo Epidemica atque ipsi Morbilli eosdem tamen comitabatur per omne illud tempus quo dominabantur, atqueiis etiam fatiscentibus, per reciduos hujus Constitutionis annos perseverabat, *Dysenteriis* nihilominus primas concedebat, sub auspiciis *Autumni* iisdem faventis atque amicissimi, grassantibus; *Hyeme* verò, *Dysenteriis* aliena tempestate pressis, denuo recrudescebat hæc de qua agimus species. Atque hunc servabant ordinem per singulos hujus *Constitutionis* annos, nisi quòd postremo quo illa vigebat *Autumno*, Anno sc. 72. (languescente jam ista *Constitutione*, & Dysenterias jam exolescentes segnius promovente) *Variolæ* præter solitum hoc quoque tempore grassabantur, atque ita pares *Dysenteriis* concurrebant, ut haud facile esset dictu, quis morbus plures occuparet; licet quantum ego conjectando valui, prævalere *Dysenteria* adhuc videretur. Quin & hæ etiam *Variolæ*, ad exemplum Epidemicorum aliorum quorumlibet, primo statim insultu atrociores erant, atque indies increbrescebant donec ad statum pervenissent, quem semel transgressæ, tum quoad symptomatum vehementiam, tum ægrorum numerum, sensim imminuebantur.

Sed ut particularia earum Phœnomena referamus; haud parum præter opinionem mihi primum comparebat hoc *Variolarum* genus, cùm animadverterem istud quam-plurimis Phœnomenis insignioribus ab eo differre quod produxerat *Constitutio* præcedens, & in quibus observandis me operam satis

sedulam olim collocasse rebar, Hæc tantùm *earum* Phænomena ab alterius generis Phænomenis dissidentia, impræsentiarum tractabo, prætermissis iis quæ cum Variolis ita prolixè supra descriptis habebant communia.

Discretum Variolarum genus *his* tantum à genere *Discreto communi* alterius *Constitutionis*, disterminabatur: Primò, quòd cùm in iis, quoties erant *interstinctæ*, Eruptio diem *quartum* prævertere non soleret, hîc in *tertium* plerumque incidebat; quod *Confluentibus* solenne quidem est. Deinde non ad eam magnitudinem, procedente morbo, hîc assurgebant pustulæ atque in alio genere; magis autem exasperabantur in minori mole, & sub diebus ultimis ubi jam maturuerant *nigræ* frequentius visebantur. Illud etiam addam, quod nonnunquam, licèt rarius, ægrum etiam paucissimis notatum pustulis, *Ptyalismus*: haud secus atque in *Confluentibus*, exerceret. Ex quibus conficitur, *Distinctas* hujus *Constitutionis* Variolas, ad *Confluentium* naturam propius accedere, atque *Inflammationis* magis intensæ esse participes, quàm quæ in *Distincto* Genere usu venire solet.

Confluentes verò ab aliis, quas per alios annos ego observaveram, *Confluentibus*, in multis, quæ jam recentebo, discrepabant. Nunc *secundo* nunc *tertio* die se primùm monstrabant, specie tumoris subrubri, atque uniformis, vultum omnem contegentis, *Erysipelate* quidem densioris, nullo ferè visibili pustularum discrimine; reliquum corpus congeries quædam [ceu panni latiores,] ex infinitis propemodum pustulis rubris efferatis in unam conflatæ variegabant, inter quas sparsæ, in femoribus præcipuè, vesiculæ quædam satis conspicuæ, ambustorum ad instar, sero limpidiore distentæ eminebant; quod quidem disrupta subinde pellicula copiosè effluebat, subjecta carne nigredine & Sphacelo quasi affecta. Rarius autem occurrebat hoc tam dirum symptoma, idque primo tantum mense quo hæc species regnabat: Quo tempore inter alios ita malè multatos, ineunte *Januario* 1669. 1670. accersiri me curavit vir probus, nomine *Collins*, Zythepsa in Parochia S. *Ægidii*, cujus filius adhuc infans vesiculas habuit in femoribus Juglandem nucem exæquantes, sero limpidiore repletas; quibus disruptis subtrata caro quasi mortificata omnino comparebat, atque non ita diu post æger fatis concessit; quæ & eorum omnium sors fuit, quos hoc tam funesto symptomate correptos vidi unquam. Die *undecimo* circiter, pellicula alba resplendens tumori subrubro, variis faciei partibus, & paulatim vultui omni obducta est. Pellicula hæc alba brevi post materiam quandam crustosam splendescentem eructabat, colore quidem neque flavo, neque fusco, (qui duo in aliis Variolarum speciebus reperiuntur,) sed rubro saturato, concretum sanguinem imitante, qui maturescente pustula ad nigrorem indies magis accedebat, donec tandem facies integra nigredine, fuliginis omnino æmula, tingeretur: Cumque in alia Variolarum *Confluentium* specie dies *undecimus* in maximum vitæ discrimen ægros adduceret, & plerisque emorientium supremus esset; in hac specie æger, nisi regimine immoderatè calido oppressus mortis refrigerium maturius præoccupasset *decimum quartum* ut plurimum diem, aliquando etiam *decimum septimum* expecta-

expectabat, quo demum elapso salva res erat. Notandum est tamen, quod qui lethalibus istis vesiculis ac mortificatione, quæ nonnullis primo mense quo hæc species invadebat accidisse memoravimus, Libitinæ destinabantur, intra paucos dies ab eruptione interibant.

Et Febris, & symptomata alia omnia quæ vel præcedebant, vel comitabantur hoc Variolarum genus, graviora erant quàm in præcedente, & Inflammationis adhuc majoris manifesta dabant indicia. Ægri ad Salivationem erant procliviores; Pustulæ & efferatiores, & mole longe minores; ita ut non facilè, ubi primum apparebant, ab *Erysipelate* quis eas discreverit, vel etiam à *Morbillis*; nisi quod hi ex die Eruptionis, & aliis signis in historia morbillorum supra recensitis, certò innotescant. Pustulis decidentibus fursures diutiùs hærebant, fœdioraque stigmata inurebant cuti.

Operæ pretium est & illud adjungere, quòd durante hâc anni *Constitutione*, quâ tàm Epidemicè sæviebant Dysenteriæ, *Variolæ* regimine justo calidiore provocatæ per Dysenteriam nonnunquam viam sibi facerent, quod ne semel accidisse hactenus quidem animadverteram.

Observare autem convenit, *Variolas* hasce non ita diris symptomatis per omnia sua tempora fuisse stipatas; postquam enim binos exegerant annos, tertio, sc. 1672, mitescere cœperunt, & exuto nigro colore, paulatim ad flavum illum, & *favorum* similem, accedebant, qui *Variolis Legitimis* maturescentibus est propius, ita ut postremo hujus *Constitutionis* anno, benignæ plane essent & boni moris, habita generis ratione. Quo non obstante, satis liquebat illas ad aliam prorsus Classem relegandas esse, ex pustularum nimirum exiguitate tam eximia ad salivationem dispositione, atque aliis.

Quamlibet ob causarum Differentiæ cujuslibet specificæ qua immergimur, ignorantiam, impossibile fuerit *rationem* harum Variolarum *formalem* comprehendere, quatenus ab illis, quas alia promit *Constitutio*, contradistinguuntur, mihi tamen liquido constabat ex singulis Phænomenis *inflamationem* in his quam in illis longè immaniorem fuisse, ac proinde omnem medendi rationem in eo stare, ut pluribus adhuc repagulis insteretur effræna sanguinis Ebullitio. Id autem maximè efficiebatur (post *Hypnotica* dicto modo exhibita] regimine temperato, indulgendo sc. ægro usum liberaliorem liquoris alicujus qui non eum excalefaceret, sed potiùs fervidissimum illum æstum (quo hic morbus, pustulis maximè ad maturitatem jam pervenientibus, miseros præ cæteris quibusque morbis fatigat atque exurit) illico commitigaret. *Decoctum Album* dictum, ex *pane* sc. & C. C. C. exigua quantitate in multa aqua factum, & Saccharo dulcoratum hic juvabat; at Hydrogala è tribus Aquæ partibus & Lactis una simul coctis, & ægri palato & votis magis ut plurimum; refrigerando respondit, nec eo tantum profecit ingesti liquoris copia, quo insignem calorem, cum *Maturationis* Febre præcipuè vigentem, restingueret, sed quatenus Ptyalismum etiam promoveret, atque eundem diutiùs protraheret, quam poterat fieri si æger nimio æstuaret calore. Præter hæc omnia, sæpenumero ita bene cessisse liquores hosce affatim haustos obser-

obſervavi, ut eorum uſu *Variolæ*, quæ cum peſſimis *Confluentiæ* ſignis exibant, progrediente morbo *Diſtinctæ* ſint factæ; puſtulæ quæ matureſcentes rubram primò, mox nigram materiam aliter evomuiſſent, flaviſſimæ comparerent; pro efferatis inſuper atque minutulis, *benigne* atque optimi moris haberentur.

Neque etiam *Fluxus Menſium*, qui fœminis hoc morbo laborantibus haud infrequens accidit, liberalem horum liquorum uſum quicquam prohibet; imo vero & ſuadet, ſi nempe tempore non ſoluto iſti fluant. Etenim non jam alia de cauſa periclitatur fœminæ, niſi quod ſanguis ab immodico morbi calore plus juſto attenuatus, qua data porta ruat, naturæ ductus ſequens; præſertim ubi noxia Curatricum temeritas, regimine calidiori, & *Decocto C. C. cum floribus Calendulæ, &c.* adhibitis, oleum igni affuderit. Quicquid autem ſanguinem potenter diluit contemperatque, licet non immediatè, in quantum tamen ejuſdem fluxum cohibet, tum puſtulis, tum faciei manuumque tumori in ſtatu conſervandis neceſſariò conferet: cùm ex adverſo Remedia calidiora, licèt ad hunc ſcopum rectius videantur collimare, cùm tamen jugem hunc ſanguinis fluxum promoveant, longiſſimè aberrent. Quinimo nec dubium mihi eſt quamplurimas mulieres hoc errore periiſſe, dum ſc. Aſſiſtentes, ne puſtulæ ob ſanguinis fluxum conſiderent, veriti, malo huic Cardiacis medicamentis, & regimine adhuc calidioti adhibitis occurrere niterentur, quo facto miſellas certiùs peſſundederunt; quantumlibet *adſtringentia* varia Cardiacis admiſcentes, Hæmorrhagiam ſiſtere, atque puſtularum unà tumoriſque debitam elevationem tueri ſategerint.

Haud ita pridem *Dominam* tam virtutibus quàm ſtirpe prænobilem, *Variolis* nigris & mali moris laborantem, tractavi. Quamvisautem ab initio iis omnibus illi interdixeram, à quibus ſanguis exagitari poterat, cùm tamen temperamento eſſet admodum ſanguineo, viridi juventâ vegetâque, fervida etiam anni tempeſtas accederet, derepente, tertio ſcilicet die ab eruptione, ita largo *Menſium profluvio*, tempore illis non debito, correpta eſt, ut aſtantes mulieres eam jam abortiviſſe ſuſpicarentur. Licèt hoc ſymptoma ad dies multos importunè urgeret, non tamen idcirco exiſtimavi Lactis & Aquæ uſum à me præſcriptorum, intermitti deberi: quid quod magis jam neceſſarium illum eſſe, & liberalius adhuc indulgendum cenſuerim? quod etiam per omnem morbi decurſum factitavimus, præſertim cum appeteret *Febris Maturatio*. Quo quidem tempore Medicus Doctiſſimus, Candidiſſimuſque, Dominus *Do. Millington*, ejuſdem mecum olim *Collegii Socius*, jam amiciſſimus, ad ſociam operam invitabatur; qui cùm omnia ſatis bene reſpondere, pro hujus morbi genio animadverteret, mihi lubèns aſſenſit, ut pergeret ægra dictos liquores affatim haurire, quos ipſa ſibi gratiſſimos, & tam ad ſalivam facere, quàm ad refrigerium & refectionem ſæpè affirmabat. Còm verò jam indurati facies cœperit, & cruſtâ obduci, ab halitibus putridis à materia purulenta, quæ in hoc peſſimo *Variolarum* genere malè olebat, intromittendis ægræ noſtræ metuentes, vini Canarini ſemicocti cochlearia paucula, ſemel in die aſſu-

assumenda, vel quoties in ventriculo ægritudinem aliquam persentiscerent, concessimus. Pauculis hisce, nisi quod haustulum etiam *Paregoricum* horâ somni quotidie imperavimus, convaluit; neque delirio, neque alio quovis symptomate, præter dictam Hæmorrhagiam, grave aliquod periculum minitante. Facies manusque satis intumescebant; pustulæ, quantum tulit morbi species, satis magnæ erant; Salivatio copiosa & facilis ad metas usque; postremo quantumlibet pustulæ, quæ faciem obsidebant, cum matureserent nigredinem affectare viderentur, in plerisque tamen ejus partibus flavescebant.

Quibuscunque verò caloris atque inflammationis gradibus *Variolarum* species, huic *Constitutioni* peculiaris, alias aliarum *Constitutionum* species superaverit, cùm tamen *Discretæ* essent Pustulæ, vel saltem *paucæ*, docuit experientia, non opus esse tantâ prædictorum liquorum quantitate ingerenda; satis autem fuit, ut æger pro sitis modo atque imperio cerevisiam tenuem potaret, jusculis Avenaceis, Panatellâ, & pomo cocto subinde, vescerctur, & si ex Ephebis excesserat, *Poregoricum ex Syrupo de meconio*, cùm vel ægrotaret, vel ob nimias vigilias delirare inciperet, assumeret. Neque aliud quicquam tentabam (nisi quòd ægros lecto addicerem) ubi pustulæ *raræ* comparebant. Atque hâc solâ Methodo Chariissimus mihi filius, *VVilliam Sydenham* distincto hujuscemodi Variolarum genere laborans mense *Decembri* 1670, favente Numine, restitutus est.

De Variolis hujus *Constitutionis* nihil superaddam, cùm jam aliam speciem fusiùs tractaverim, à quibus hæ in eo tantùm discrepant, quod naturæ sc. calidioris fuerint, & magis *inflammatoriæ*; unde sequitur, diligentiorem adhuc operam fuisse navandam, ut restingueretur intensior iste calor, qui tam iis naturalis erat, & ægro ita certum minitabatur incendium.

CAPUT. VII.

Colicæ Biliosæ An. 1670, 71, 72.

PEr omnes hujus *Constitutionis* annos, cùm sanguis ad humores cholericos fervidòsque in viscera deponendos propensior esset, *Colica Biliosa* præter solitum plures invasit; qui morbus licèt *Chronicis* annumerari debeat, ac proinde extra oleas mihi sit, cùm tamen ab eâdem sanguinis indispositione penderet hoc tempore, à qua & *Epidemici* plerique qui tum grassabantur, vel eo nomine hic mihi veniet tractandus, præcipuè verò quia animadverti, morbum huncce eadem planè præcessisse symptomata Febrilia, quæ *Dysenteriam* per illa tempora regnantem præcedere solebant; atque eundem etiam aliquando (quod supra notavi) *Dysenteriam*, quæ post diuturnos cruciatus ægro tandem valedixisse videretur, fuisse insecutum. Ubi verò *Dysenteriam* diutinam non excipiebat, plerumque à Febre ordiebatur, quæ per horas aliquot tantùm affligens, in hunc morbum solebat desinere. Juvenes ut plurimum temperamento calido ac bilioso præditos, ætate præsertim adoritur. Intesti-

no-

norum dolor atrociſſimus eſt, & præ cæteris omnibus, quibuſcum mortalium calamitoſiſſimi committuntur, maximè intolerabilis. Inteſtina nonnunquam quaſi in jectâ faſciâ conſtringit, nunc in punctum contractus quaſi terebello perforat: ſubinde remittitur dolor, mox recrudeſcit Paroxyſmus, quem æger præſentiens, vultu miſerabili atque ejulatu ceu præſentem exhorret, & averſatur. Sub initio hujuſ morbi non ita certò ad unum aliquod punctum determinatur dolor atque in ejuſdem progreſſu; neque tam crebra eſt vomituritio, neque alvus ita pertinaciter *Catharticorum* vim eludit; quo autem magis augetur dolor, eò obſtinatiùs in puncto figitur; vomituritio ſuccedit frequentior & major alvi Adſtrictio; donec tandem ab ineluctabili horum ſymptomatum vi *totalis Periſtaltici inteſtinorum motûs inverſio* (niſi maturiùs quis tulerit ſuppetias) atque *Iliaca Paſſio* procurantur; in quo morbo *Cathartica* Medicamenta omnia in *Emetica* ſtatim tranſeunt: Enemata etiam injecta, unà cum alvi fæcibus, per omnem inteſtinorum ductum ſurſum lata, vomitu ejiciuntur. Quæ hoc modo excernitur materia, ſincera ſi fuerit atque ἀμιγὴς, viridis aliquando, aliquando etiam flava, aut inſoliti cujuſdam coloris ſpectatur.

Cum ſingula hujus Affectus Phænomena, eum ab acri aliquo ſive humore ſive halitu, è maſſa ſanguinea in inteſtina excuſſo, naſci apertè doceant, Indicatio Curativa primaria mihi hæc eſt, ut ſc. evacuetur dictus humor, tàm *Antecedens* in venis, quàm *Continens* in viſceribus concluſus; altera verò ab hac, ut Anodynorum uſu & compeſcatur humorum eò tendentium impetus, & mitigetur immitiſſimus dolor.

* Sanguinem itaque è brachii venis paulò liberaliùs educi [ſi nempe id fuerit hactenus intentatum & poſt horas 3. vel 4. Anodynum exhiberi curo. Poſtero die Catharticum aliquod Lenitivum præſcribo, interpoſito die uno repetendum, ad tertiam etiam nonnunquam vicem, prout humoris reliquiæ plures mihi videntur, aut pauciores. Obſervandum eſt autem, quòd ſi malum hoc ſive Fructibus Horariis nimis avide ingeſtis, ſive alii cibo cuicunque *δυσπέπτῳ* originem ſuam debeat, unde ſc. ſucci pravi coruptique primùm in ſanguinem tranſmittebantur, atque ex eodem poſtliminio in viſcera; rebus, inquam, ſic ſtantibus, ventriculus ante omnia eluendus eſt. Lacte Cereviſiato affatim hauſto, & per vomitum rejecto, quo exantlato, Anodynum propinandum eſt; ſequenti autem die primùm vena ſecanda, & in cæteris eo, quem jàm docuimus, ordine procedendum.

At verò cùm & doloris vehementia, & vomituritio, ob quam inteſtina ad inverſionem quaſi feruntur, Catharticorum operationi obſiſtant, intendendæ ſunt eorundem vires, neque Leo ſubere excipiendus, fruſtra enim mitius Catharticum exhibueris, niſi fortè æger alvo ſit facilè ſolubili, quod diligenter inquirendum eſt: Cùm enim hujuſmodi medicamen viam ſibi facere per inteſtinorum canales non valeat, æger ab eo læditur magis, dum ſcilicet ab ejuſdem inefficaci agitatione & vomitus & dolor augentur. Potio Cathartica Lenitiva ex infuſione *Tamarind. fol. Senn. & Rhei*, in qua diſſolvi poſſunt

Man-

* *Curatio.*

Manna, *& Syr. Rosaceus*. Catharticis aliis anteferenda, cùm humores minùs exagitet & commoveat: Cùm tamen sive ob ægri adversationem medicamenti formæ liquidioris; sive vomiturition em, in ventriculo retineri vix queat, Pilulæ necessariò in subsidium vocandæ; inter quas *Cochiæ* mihi præ cæteris semper placuere, utpote certissimo pede quam cæperunt viam insistentes, tum in hoc casu, tum in aliis plerisque. Ubi verò tanta est sive Ventriculi debilitas, sive etiam Vomiturio, ut nec Pilulæ possint detineri, ibi remedium primò *Anodynum* impero, & paucis horis elapsis *Cathartic um*, eo temporis spatio interjecto, ut *Cathartic um* à *Narcotico* tanto distet intervallo, ut ab eo non vincatur & pereat, eas autem in vintriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam eidem communicandam sufficiant, ut suam demum exerat operationem, cessante altero. Licèt *Cathartic um*, modò id possit fieri, diu post *Anodynum* rectissimè propinatur, cùm etiam ad horas duodecim ab hoc assumpto, alvus illi ægriùs respondeat, atque non nisi operosiùs solvatur.

Cùm autem hìc uti in aliis plerisque morbis in quibus indicantur *Narcotica*, *Cathartic um* semper dolorem intendat (saltem finitâ jam operatione, quâ quidem vigente mitiùs nonnunquam cum ægro agitur,) idcirco solenne mihi est *Anodynum* ingerere, ubi primùm expiravit *Cathartici* ἐνέργεια. Quale quidem mane etiam & serò quotidie hauriendum impero, spatio sc. omni inter Purgationes medio, quo certiùs dolorem consopiam, donec Catharsis debitè fuerit celebrata.

Peractâ *Cathartici* humorum ὀργασμὸν compescere (quod jam solum restat agendum) *Anodyno* mane & vesperi jugiter exhibito, contendo; quod etiam sæpius aliquando est repetendum: nec unquam mihi contigit, dolores vehementiores sedare posse nisi Dosi largiori & reiteratâ; quæ enim alteri malo debellando par esset, ab hoc vincitur, violentiâ doloris remediis vires frangente. Turissimè autem repetuntur *Narcotic a* urgente hujusmodi dolore, non item ubi ille desierit. Quamobrem doloris indicium secutus, *Narcoticum* repeto, donec vel cessaverit ille, vel admodum fuerit mitigatus; eo nihilominus interjecto temporis spatio, ut compertum mihi sit, quid à dosi præcedente sperari debeat antequam alteram superaddam. Plerumque verò, nisi ubi summè viget dolor, *Paregoricum* mane & serò exhibitum sufficiet. *Anodynum* mihi familiare *Laudanum* istud *Liquidum* est suprà descriptum, cujus *guttæ* xvi in Aqua Cardiaca stillatitiâ solvuntur, vel augetur dosis pro doloris magnitudine.

Simplicissima hæc Methodus, quâ primùm Humor peccans Venæsectione & Purgatione evacuatur, deinde *Narcoticorum* ope conciliatur quies, semper mihi felicissimè cessit præ aliis quæ mihi hactenus innotuêre omnibus. Cùm *Enemata* Carminantia, eo fine injecta ut humores acres exterminent, crabrones irritent tantùm, & concitato humorum tumultu diuturniorem raddant morbum. Hic autem imprimis animadverti volo, quod licèt tam Phlebotomiam quàm Catharsin huic sedandi Methodo necessariò esse præmittendum affirmavero, nonnunquam tamen, re ita postulante, ea utraque missâ à *Paregoricis* ordienda tela est. Exempli gratiâ, ubi ob prægressam ægri-

tudinem aliquam Evacuationes copiosiores non ita diu ante *Colicæ* adventum institutæ fuerint ; (non ta ò enim ob viscerum debilitatem , maximè si accedat major caloris gradus à vino, vel spirituoso liquore alio immodice hausto, qui nupet ab alio convaluêre morbo in hunc præcipitantur) hoc , inquam, in casu non modò non necessarium , sed & noxium esse censeo , alia insuper adjiciendo Cathartica novos excitare tumultus , atque omnia denuò perturbare. Illud jam taceo, quod in hoc Affectu æger ut plurimum , priùs quàm consulatur Medicus, repetito *Enematum* usu intestina satis proluit ; ita ut partim hac de causâ , partim ob diuturniorem morbi moram *Narcotica* ferè sola in usum videantur revocanda.

Mense *Augusto* 1671 , Nobilissimus Dominus Baro *Annesly Colicâ Biliosâ* laborans cum cruciatu intolerabili, & frequenti vomituritione, jam ab aliquot diebus ad Castellum de *Belvoir* accersiri me jussit, nullum non Enematum genus, atque alia insuper remedia à Medicis Doctissimis Experientissimisque eo locorum degentibus præscripta jam tentaverat. Ego nullis usus ambagibus, repetitum Narcoticorum usum ad normam jam traditam suasi, quorum ope propediem convaluit , & mecum ad urbem sanus rediit.

Quandoquidem autem dolor hic præ cæteris quibusque ex sua natura reciduus sit , omnis ei revertendi ansa *Anodino* bis quotidiè ad aliquot dies exhibito præscindenda est. Quòd si , quoties intermittitur Narcoticum, dolor subinde recrudescat , [ut nonnunquam fit] nihil à me hactenus excogitari potuit, quod ad persanandum ægrum ita certò faceret atque *Equitatio* , vel in curru vectio , quo longiora itinera confici debuêre, Anodyno interim mane & serò indesinenter propinato. Hujusmodi enim exercitiis materia morbum committens in corporis habitum deducitur, & sanguis perpetuâ agitatione comminutus de novo quasi depuratur ; ipsaque demum intestina caloris nativi excitatione haud parum corroborantur ac refocillantur. Nec pudet fateri , me dicto excercitio in partes adscito morbum hunc, cui alio quovis modo devincendo par non fui , plus semel penitus expulisse. Neque verò illud tentandum est , nisi post evacuationes debitas sufficienter celebratas, neque ab eo nisi post dies aliquam multos desistendum.

Pauper quidam mihi vicinus , qui & adhuc est superstes , *Colicâ Biliosâ* vehementissimâ per hos annos laboravit , quam *Catharticis* , *Clysteribus* , *Globulisque plumbeis* devoratis expugnare , diu , sed frustra erat conatus : Hîc *Ego* ad frequentem Narcoticorum usum confugi , neque pœnitendâ operâ , quamdiu enim ista repeterentur , satis rectè habuit , sed cùm his palliaretur tantùm malum , non extirparetur ,) revertebatur enim ut primùm erat exhausta Narcoticorum vis.) Ego hominis miserius, & gravi morbo, & re angustâ afflictissimi, Equum ex meis commodabam , quo iter dicto jam modo peragendum aggrederetur ; eoque ad dies pauculos continuato , viscera eas vires recepere , ut morbi reliquiis excutiendis paria jam essent , & sine Anodynorum præsidio omnino convalesceret.

Et ut quod res est loquar , non in hoc tantùm casu , sed in morbis aliis

Chro-

Chronicis quàm pluribus hoc exercitii genus nunquam non cum uberrimò fructu usurpatum memini, modò quis in illo improbiùs perseveraret. Si enim nobiscum reputemus ventrem inferiorem, in quo disponuntur organa secretoria, hoc maxumè exercitio vibrari, eaque succussationibus aliquot mille uno in die exagitati solere, facile credemus, eadem succum quemlibet recrementitium ibi impactum ope dicti exercitii posse excutere, & (quod majoris adhuc est momenti) validioris istâ caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in sanguine depurando rectè defungantur.

Diæta, si junior fuerit æger & calidioris temperamenti, refrigerantem atque incrassantem impero, puta Hordei cremorem, Panatellam, *&c.* & tertio quoque die, si latret adhuc stomachus, pullum teneriorem, merulamve piscem coctum; Potum non alium concedo, quàm cerevisiam tenuem mitemque, vel lac cum Aquâ coctum, neque alteriùs quidquam indulgeo, nisi Equitatio ad redintegrandam sanitatem necessaria, pleniorem victum & generosiorem postulet liquorem, quibus rependantur spirituum exercitio exhauriendorum damna.

Quinimò observatione constat, quod ubi hic morbus minùs peritè tractatus diutissimè fatigaverit, ita ut viscera elangueścerent, atque æger extremâ jam macie atque debilitate tantùm non esset confectus, in hoc inquam, casu liberalior sive *Aquæ Epidemicæ*, sive *Mirabilis*, sive alius demum cujuscunque, quâ sanus maximè delectabatur, usus, hoc tempore eundem ultra spem omnem juverit; hujus enim ope pauciſſimæ istæ caloris nativi spirituumque reliquæ excitabantur, & fermentum præternaturale visceribus adhærens, & novis paroxysmis fomitem subinde ministrans, à liquoribus magis spirituosis extinguebatur.

Porrò ut in morbi curatione, ita etiam & eodem jam depulso, Diæta illa tenuis, de qua diximus, adhuc aliquandiu est observanda. Cùm enim morbus hic recidivam præ aliis omnibus affectet, atque insuper sedem sibi delegerit præcipua Coctionis instrumenta [*viscera* intelligo, jam ab eodem infirmata] vel leviſſimus hujus generis error malum haud leve confestim apportabit. Quocirca tam in hoc, quàm in cæteris omnibus viscerum Affectibus cibi δύσπεπτοι cane pejus & angue sunt vitandi; & qui conceduntur, εὔπεπτοι eâ tantum quantitate sumendi, quæ ad vitam sustinendam possit sufficere.

* Fœminarum nonnullas vexat *Affectus Hysperici* species quædam, *Colicam Biliosam* ita ad unguem referens, tam doloris acerbitate, quàm situ, tum etiam humoribus coloris flavi viridisque vomitu rejectis, ut mihi obiter tractanda veniat, ne â quopiam pro jam dicto morbo hæc habeatur.

Quæ habitu corporis laxo crudoque sunt mulieres cum hoc malo præ cæteris conflictantur, quæque alio aliquo Affectu Hysterico jam pridem laboraverè, aut (quod sæpenumero fieri solet) quæ à partu difficili ac laborioso ob natum infantem grandiusculum, qui vires & naturam maternas nimis exhausit,

* *Colica Hysterica.*

vix evasêre. Regionem ventriculi, nonnunquam & paulo inferiorem, dolor haud mitior quàm in Paſſione Colicâ Iliacâve primùm obſidet, quem vomitiones ſequuntur enormes, nunc viridis materiæ, nunc verò flavæ. His accedit (quod ſæpe obſervavi) major animi dejectio deſperatioque quam in morbo alio quocunque. Poſt diem unum alterumve faceſſit dolor, qui poſt paucas ſeptimanas revertitur, nihilo leniùs ſæviens quàm antequam ſolveretur Paroxyſmus, *Icterum* quandoque ſatis ſpectabilem, comitem ſibi adſciſcit, intra dies pauculos ſponte evaneſcentem. Ceſſantibus jam ſymptomatis omnibus, ubi ægra ſibi ſatis valere videatur, leviſſima animi commotio, ſive ab ira ſive à dolore ea fuerit excitata (quibus hoc in caſu promptiſſimè afficiuntur fœminæ] dolorem ferè revocat; quod etiam & de Ambulatione, & de alio exercitio quolibet præmaturè nimis ſuſcepto dicendum eſt; cùm ab hujuſmodi cauſis eleventur vapores in habitu corporis laxo atque imbecilliori. *Vapores* cum vulgo dico, cùm ſive iſtiuſmodi ſint, ſive *Convulſiones* particularum partium, utrovis pariter modo ſolventur φερόμενα. Hi vapores, ſive Convulſiones hæ, ubi hanc illamve corporis regionem invaſerint, pariunt ſymptomata, ei, quam invaſere, parti accommoda; ac proinde licet unum atque eundem ubique morbum faciant, pleroſque tamen quibus miſeri cruciantur affabre ſimulant; quod vel ex hoc liquet Affectu, qui cùm partes *Colo* adjacentes inſederit, *Colicam Bilioſam* ad amuſſim imitatur. Neque minùs id patet in multis aliis corporis partibus eodem morbo tactis; e. g. nonnunquam *Renum* alterum vehementiſſimo dolore afficit, unde vomitus immanis; atque etiam per ureteris ductum perſæpe delatus, *calculum* ſimulat, & cùm ab Enematis aliiſque medicamentis Lithontripticis & calculo exturbando dicatis exaſperatur, uno eodemque tenore diutiſſimè affligit ſubinde etiam (præter morem ſuum, cùm per ſe omni vacet periculo) ægrum ad plures deducit. Vidi inſuper & ſymptomata ab eodem prognata, quæ *veſicæ calculum* omnino referebant: Non ita diu eſt, à quo noctu excitabar, ut Comitiſſæ mihi vicinæ, dolore in veſicæ regione admodum violento & urinæ ſuppreſſione derepente correptæ, conſulerem: Cùm ego illam Affectibus Hyſtericis variis obnoxiam certò ſcirem, atque ex eo augurarer, non iſto eam, quem putabat, laborare morbo, Enemata, quæ parabat ancilla, injici non patiebar, ne ab iis creſceret morbus, at horum loco, atque Emollientium, v. gr. *Syr. de Althæâ, &c.* quæ adferebat Pharmacopola, *Narcoticum* exhibui, quod ſymptoma illud ſubitò compeſcuit. Neque ſanè *vel* una aliqua pars corporis ab hujus mali inſultibus penitus eximitur, ſive interna ea fuerit, ſive externa, ut ſunt Fauces, Coxæ, Crura, in quibus omnibus dolorem excitat intolerabilem, atque, ubi diſceſſerit, teneritudinem quandam quæ tangi recuſet, relinquit, perinde ac ſi carnes multo verbere fuerint emollitæ.

Quemadmodum autem quædam ad *Colicæ Hyſtericæ* hiſtoriam pertinentia obiter tradidi, ne ſc. illa pro *Bilioſa* falſo haberetur; ita & quædam etiam alia παρέργως attingam, ad *Symptomatis* doloris, qui eam comitatur, curationem faciens-

cientia: *Curatio* enim *radicalis*, quæ *morbum* sublatâ causa tollit, alterius omnino est & speculationis, & loci.

Venæ-sectio & repetitæ purgationes, quæ in *Colica Biliosa* incipiente apertissimè indicantur, hîc locum non habent nisi in casu infrà dicendo. Docet enim experientia, & exasperari dolorem, & invalescere symptomata alia omnia, à tumultu, quem ista cient, adjuta; atque adeò plus semel animadverti, *Enematum*, vel lenissimorum, repetitionem, continuam symptomatum seriam invexisse. Experientiæ ratio etiam astipulabitur, quæ morbum hunc à spirituum potius ἀταξίᾳ atque inordinato motu, quàm humorum vitio aliquo produci dictabit, si expendamus nempe circumstantias illas, quibus ut plurimum originem suam debet: Hujusmodi sunt, magnæ atque indebitæ sanguinis profusiones, motus animi uti etiam & corporis violentiores, & alia id genus. Quæ omnia, remedia illa suadent proscribenda, à quibus major spirituum perturbatio possit excitari, atque eorum loco *Anodyna* esse usurpanda, licèt *viridis* ac pravus materiæ vomitu rejectæ color contrarium indicare videatur: Subtilior enim est atque minutior colorum speculatio, quàm ut evacuationibus, quas ipso facto nocentes deprehendimus, authoritatem conciliare valeat. Nullusque dubito, morbum hunc (qui licèt acerbissimum dolorem, nullum, tamen vitæ discrimen apportat) ob errores hoc nomine commissos, lethalem sæpenumerò evadere. Adde, quod si quis *Emeticam* vel fortissimum hodie propinaverit, ut sc. eam, quam putat, morbi mineram exhauriat, ægra postero die materiam æquè viridem aut pravi alterius coloris, atque erat prior illa, evomet.

Observandum est tamen, eam quandoque sanguinis atque humorum copiam reperiri, quæ *Narcotici* operationi eò usque obsistat, ut, quamlibet sæpissimè repetatur, orgasmum tamen cohibere nequeat, nisi secta prius ægræ vena, aut alvo subductâ; quod in fœminis temperamenti magis sanguinei atque viraginibus mihi subiit notare. Si ita se res habeat, vel Phlebotomia, vel Catharsi, fortè etiam utraque, *Anodyno* via aperienda est. Celebrata enim harum utravis, *Narcoticum*, quod priùs summâ licet dosi exhibitum nihil quicquam profecit, jam etiam in mediocri dosi, effectum obtinebit cui destinabatur. Ratio autem hoc contingit, neque tum reiteranda sunt hæc remedia. Quibus præmissis, ubi opus iis fuerit, in *Anodynis* eâ methodo, quam in *Colica Biliosa* proposuimus exhibendis progrediendum est, quæ crebriùs parciusve sunt ingerenda pro doloris recedentis ratione. Quæ quidem Methodus præsens atque instans vehementissimi doloris *symptoma* tantùm respicit; cùm non hîc loci illam, qua morbi *causæ* occurritur, tractandam in me receperim.

Cùm verò hic morbus tam in Hypochondriacis, quàm Hystericis (nam utroque, ut alio loco dicetur, par est ratio) sæpissimè in *Ictero* desinere soleat, atque iisdem passibus quibus hic ingreditur, iste se proripiat; observandum occurrit, quòd in hac Icteri specie curanda Cathartica omnia, vel omnino omittenda, vel si adhibenda fuerit, *Rhabarbaro* solùm, vel leni quovis Medicamento utendum. Etenim metuendum, ne à Catharsi novi tumultus cieantur, ac

proinde Symptomata omnia postliminio recurrant. In hoc itaque casu nihil omnino agendum, cùm Icterus huic occasioni originem debens, sensim sponte sua facessat, ac tandem brevi temporis spatio penitus evanescat: Sin autem Icterus longas moras nectat, atque non nisi ægre discedere videatur, ad Remedia confugiendum. Hoc uti soleo, ℞. *Rad. Rub. Tinctor. & Curcumæ an.* ℥j. *Chelidon. maj. cum toto, & summitat. Centaur. min. an. M.* i. *coq. in æqualibus partibus vini Rhenani & aquæ font. ad* ℔ j. *Colatura dissolve syrup. de quinque Radicibus* ℥ij. *M. S. f. Apozema, capiat* ℔ß. calidè mane & serò usque dum convaluerit. At ubi Icterus per se invadit, Colicâ neutiquam prægressâ, omnino oportet, ut præter alterantia jam dicta, etiam *Cholagoga*, *i. e.* que per alvum bilem subducunt, ægro exibeantur, nempe semel vel bis antequam aggrediatur usum præscripti Apozematis, & postea semel singulis septimanis durante ejusdem usu. Ut ℞. *Electuar. è succo rosar.* ℥ij *Rhabarb. subtiliss. pulv.* ʒß. *Cremor. tartari* ℈j. *cum S. q. syr. Cichor. cum Rheof. Bolus. Sumat. summo mane, superbibendo vini Rhenani haustulum.* At si vel his diu continuatis morbus adhuc obstiterit, ad *Aquas ferreas*, quales sunt istæ *Tunbrigenses*, adeundum, quæ ex ipso fonte bibendæ sunt singulis matutinis dum convaluerit. Atque hæc de morbis hujus *Constitutionis*.

SECTIO QUINTA.

CAPUT I.

Constitutio Epidemica partis Anni 1673. *atque integrorum* 1674, 1675.

CIrca initium mensis * *Iulii* 1673. alia quædam *Febris* species est ingressa, *Constitutione* verò necdum ita ad eam unicè dispositâ, ut penitus excluderentur *Constitutionis præcedentis* morbi, non admodum fuit Epidemica. Nondum enim desierat ista *Variolarum* species, quæ Anno 1670. primum cœpit invadere, licèt jam & ratiùs occurreret, & mitiora essent symptomata; ita ut bini hi morbi pari ferè passu procederent, neuter verò multum grassaretur: *Priori* Constitutione nondum ita prorsus evanescente, ut nullos proferret morbos veteris prosapiæ, [*Dissenteriæ* enim perpaucæ adhuc reperiebantur,] neque *Novâ* ita adhuc confirmatâ, ut eos produceret, qui alios exterminarent omnes.

Et per Autumnum hunc & Hyemem omnem *Variolæ* pari cum hac *Febre* incedebant passu, neutro tamen morbo admodum grassante, atque interim tantùm non extinguebantur *Dysenteriæ*. *Novembri* autem tum currente, post acerrimum Gelu ad dies aliquot perdurans, succedente insperatò tempestate

* 1673.

pestate calidiori, quàm ego me per istud anni tempus unquam observasse memini, pauculæ Dysenteriæ & paulò ante, & circiter Festum *Nativitatis Domini* hîc illic spargebantur: Hæ autem extremum morientis Lucernæ conatum referebant, mox enim morbus hisce [ista saltem ejus species] omnino intercidit.

* Præmaturè admodum sequente Anno, mense sc. *Ianuario*, invadebant *Morbilli*, haud minùs Epidemici atque erant isti, qui eodem fermè tempore Anni 1670 fuerant ingressi. Etenim in nullam non ferè familiam se insinuabant, infantes præ cæteris omnes adorti. Non autem perinde Regulares erant, neque Typum ita ad amussim servabant, atque isti, qui prædicto anno infestabant. De hac autem illorum ab invicem discrepentiâ plura dicam, ubi de illis agam particularius. Hi magis indies magisque grassabantur ad *Æquinoctium* usque *Vernale*, à quo tempore jisdem gradibus decrescebant, donec paulò post elapsum *Solstitium Æstivum* tandem evanescerent.

Sicut autem *Morbilli Epidemici*, qui invadebant initio anni 1670, *Variolas nigras* ibidem descriptas, introducebant, hi pariter haud minùs Epidemici, qui initio hujus anni comparebant, *Variolarum* speciem introduxêre isti persimilem. Cùm enim (quod prius est notatum,) *Variolæ* præcedentis *Constitutionis* post priores annos duos pustulas emitterent minùs ac minùs nigricantes, majores insuper sensim & majores donec sub finem anni 1673, pro specieî ratione, mites essent & benignæ, jam receptâ pristinâ feritate, & pessimis symptomatis stipatæ revertebantur. Invaluit hæc Variolarum species Autumno proximo, longiùs etiam in Hyemem excurrens quæ, cum soliris calidior multò esset, morbo favebat; appetente verò tempestate frigidiore imminuta est, Febri jam grassanti mox locum cedens.

* *Febris* hæc, quæ per annum perseverarat omnem, initio *Iulii* 75. longè lateque depopulata est; sed *Autumno* jam appropinquante in viscera cœpit converti, nunc *Dysenteriæ* symptomatis, nunc *Diarrhœa* se prodens, licet quandoque neque hanc haberet comitem, neque illam, sed caput magis tentabat, stupidiores reddens ægros. *Variolæ* interea, quæ jam pauculos hinc inde affecerant, sub *Æquinoctium Autumnale* penitus disparebant, vix unum alterum ve jugulantes. Jam enim *Febris* alios vincens Epidemicos, anni prædominio potiebatur. Observandum est nihilominus, quòd cùm proclivior esset Febris hæc materiam morbificam in viscera deponere, quæ Dysenteriam quandoque, sæpius autem Diarrhœam excitabat, ex hac occasione Ventris Tormina eam edidisse stragem vulgò putabantur, quæ Febri huic revera fuerat imputanda; licet nemo, qui ægrotos hoc Autumno tractaverit, nescius sit, quantum invaluerit hæc Febris; ut nec etiam, *Dysenteriam* dictam & *Diarrhœam* pro *symptomatis* magis quàm *morbis* Essentialibus ac *Primariis* haberi debuisse.

Hunc Febris ista cursum tenuit per omnem Autumnum, nunc caput petens, nunc viscera, ubique sæviens sub persona symptomatum iis partibus accidentium, ad finem usque *Octobris*: Quo tempore quæ eo usque tepida atque

ad instar æstatis placida fuerat tempestas, derepente in frigidam humidamque est mutata; unde etiam *Catarrhi* & *Tussis* increbuêre magis quàm alio ullo, quod memini, tempore. Quod autem maximi erat momenti, Tussibus hisce supervenire solebat *Febris* hujus Constitutionis *Stationaria*, quæ ansa hinc arreptâ & magis grassabatur, & quædam etiam symptomata variabat. Cùm enim paulò ante, insultus, ut jam dictum, in præfatas partes plerumque fieret, nunc in pulmones & Pleuram præ cæteris detorquebatur, unde symptomata nascebantur *Peripneumonica:* & *Pleuritica*: licet eadem omnino Febris esset, quæ *Iulio* 1673. ingressa sine quavis symptomatum alteratione progrediebatur, donec *Catarrhi* isti accederent.

Hi *Catarrhi* & *Tusses* usque ad exitum *Novembris* perseverabant, quo elapso derepente minuebantur. Febris autem eadem planè mansit atque erat antequam Catarrhi se ostenderent, licèt nec ita prorsus Epidemica, neque iisdem symptomatis stipata, cùm horum utrumque per Accidens à Catarrhis penderet. Quinetiam recedentibus Catarrhis *Variolæ* hinc indespargi cœperunt, ejusdem planè generis cum *Variolis* anni præcedentis; sed cùm jam secundum fermè annum explevissent, non ita atrocia erant symptomata, ac ubi primùm invaderent. Quamdiu adhuc stabit hæc *Constitutio*, dicere non habeo; id certò scio illam perquam *Anomalam* atque irregularem hactenus fuisse, atque morbos omnes per eam natos ejusdem omninò indolis.

De hujus *Constitutionis* Epidemicis, eo quo se invicem ordine excipiebant, jam agam.

CAPUT. II.

Febris Continua An. 1673, 74, 75.

HÆc, perinde atque alii Epidemici, mox ab ingressu socia habebat symptomata, quæ indicia haud obscura dabant majorem & spirituosam magis tunc esse inflammationem, quàm ubi morbus magis adoleverat. Etenim primo quo invadebat anno, uti & *Vere* insequente, symptomata Pleuritica Febri superveniebant, & sanguis è venis extractus [saltem pro primâ & secundâ vice] *Pleuriticorum* referebat sanguinem, at morbo jam provectiori cessabant ea signa Inflammationis intensioris.

Præter symptomata Febribus *universis* communia, *hanc* Febrem ista sequebantur: Ut plurimum afficiebatur æger dolore Capitis & Dorsi satis atroci, stupore item, & dolore Articulorum, Artuumque tensivo, imò & totius corporis, at mitiori aliquanto quàm Rheumatismo laborantes. Primis diebus calor & frigus sibi invicem succedebant, quandoque etiam ineunte morbo æger in sudatiunculas erat propensior. Lingua, ubi Febris suo genio erat permissa, nec sicca, nec à colore naturali multum recedens, nisi quod magis alberet, neque sitis multùm urgebat: Quòd si excalefieret æger ultra ordinariam Febris sortem, lingua aridissima erat cum flavedine subfuscâ, sitis etiam

etiam intendebatur; Urinaque, quæ aliter colorem ferè naturalem servare solebat, intensè rubebat.

Febris his tantùm gravata symptomatis, si peritè tractaretur, die *decimo quarto* ægro valedicebat; pertinacissima, *primo post vicesimum.*

Inter hujusce Febris symptomata eminebat affectus quidam *Comati* haud dissimilis, quo correptus æger obstupebat delirabatque, imò ad septimanas aliquot dormitabat nonnunquam, nec nisi valido clamore expergiscebatur, à quo ægrè excitatus oculos aperiebat tantùm, & post ingestum sive medicamentum, sive potum, cui alluèverat, mox in stuporem dilabebatur ita quandoque profundum ut in Aphonia desineret absolutissima.

Qui sic fuerat affectus æger ubi ad se rediit, die *vicesimo octavo* vel *trigesimo* cœpit convalescere; cujus primum signum erat, quòd cibi aut potûs genus aliquod insuetum aut absurdum deperiret. Convalescentis caput ad dies aliquot debile atque infirmum, nunc versùs hanc partem, nunc illam mutabat; aliaque aderant signa, quæ caput plurima fuisse passum ostenderent. At quo passu vires restituebantur, eo ipso dicessit dictum symptoma.

Quandoque non tam dormitabat æger, quàm tranquillè delirabat, incongrua tamen subinde effutiens ceu iratus, ac mente motus; at non eò excandescentiæ & furoris ascendebat, quo solent ji, qui à Variolis atque aliis Febribus Phrenetici fiunt; à quibus hic in eo etiam discriminabatur, quòd per intervalla abruptè dormiebat, stertebat etiam profundiùs. Adhæc non ita erat acutum hoc symptoma atque illud, sed erat diuturnius. *Pueris* etiam hoc plerumque accidebat, aut iis, qui nondum adoleverunt, illud *Adultis* maximè. In utrisque verò si ingererentur Calidiora remedia & solicitarentur sudores, malum in caput facilè transferabatur, & dictis symptomatis ansam præbebat.

Ubi Verò symptoma hoc nec sponte suâ accessit, nec medicamentorum vi coactum, morbus intra diem *decimum quartum* terminabatur ut plurimum, nonnunquam etiam intra tertium quartumve, quod factum vidi.

Autumno 1675. ut supra innuimus, Febris hæc per Dysenteriam sibi fugam quærere, nonnunquam & per Diarrhœam affectabat: Harum posterior præcipuè sæpe excurrebat, stupore adhuc manente. Utraque verò quantum diligenti observatione assequi poteram, nihil erat aliud, quàm Febris symptoma.

* Curationem hujus Febris quod attinet; sub primum introitum, nempe *Julio* 1673, tum ex variis phænomenis ab istis longè diversis, quæ præcedentem comitabantur, tum ex eo quòd Cathartici minus pareret, quibus felicissimè Febres omnes Constitutionis prægressæ deviceram, statim didici, Febrem hanc esse alterius planè familiæ, & diutiùs, quàm solebam aliàs, in ejus specie investigandâ hærebam, & ex consequenti anxius dubitabam, quem mihi Curationis scopum proponerem, Quo enim tempore primùm erupit hæc Febris, nullum habuit alium Epidemicum sibi σύγχρονον, cujus perspecto genio de hujus naturâ verisimile aliquid conjectare possem, cùm Variolæ, uti dixi, quæ illam comitabantur, nigrarum istarum, quæ anno 1670 invase-

rant, reliquias omnino referrent, jamque & mitissimæ essent & tantùm non exolerent. Nihil mihi itaque aliud jam restabat; nisi ut in hunc morbum nudum & ab aliis sepositum accuratissimo examine inquirerem, atque oculo ad *Juvantia & Lædentia* quàm diligenter maximè potui semper intento, viam pro virili, Exploratoris instar, prætentarem. Atrox capitis dolor, propensioque quam habebat hic morbus ad dolores lateribus infigendos, tum etiam sanguis Pleuriticorum similis, me statim edocebant, Inflammationem haud mediocrem huic Febri subesse, nec tamen eam posse ferre largiorem istam evacuationem, quæ Pleuritidi convenit: Sanguis enim post primam aut secundam saltem vicem detractus Glutinis colorem, quo regebatur superficies, protinus amisit, nec repetita adhuc venæ sectione levabatur æger, nisi fortè morbus in Pleuritidem veram transiret; quod nonnunquam accidebat post regimen justo calidius, præsertim primo *Vere* quo invadebat, sc. *Anno* 1664; quo tempore à solis accessu occasionem nactus (cum etiam nondum adolesceret morbus & principio magis spirituoso inniteretur quàm postea) ad genus Peripneumonicum videbatur accedere. Cùm verò & experientiâ & exemplo à repetitâ Phlebotomiâ deterrerer, licèt luce clarius esset Febrem hanc, præcipuè sub primum ingressum, haud parum inflammatoriam fuisse, nihil jam restabat, quo ejus calor restingui posset præter *Enemata* sæpius repetenda, & medicamenta Refrigerantia. At præter hos Affectus Inflamationem apertè prodentes, illud *stuporis* Phænomenon, Febri huic quàm alii cuilibet familiarius, omnino indicabat, continuò repetenda esse Enemata, quibus materia Febrilis, quæ ita promptè caput petebat, ab eo diverteretur; quin & Venæ sectioni repetitæ, quam ægrè tulit propria hujus morbi natura, substituebantur illa, atque ejus pensabant defectum, sanguinis fervorem placidè ac sensim contemperantia, & causam eliminantia morbificam. Porro judicabam Emplastra *Epispastica* satis ampla cervici posteriori applicita in hac Febre potiùs ex usu fore quàm in aliis, quibus materia Febrilis haud ex æquo caput tentabat; Etenim à cruciatu & fervore vehementibus, quos dicta Epispastica parti, cui imponuntur, solent imprimere, materia, quæ secus in caput ascenderet, in locum affectum corrivatur. His, & regimini ad eundem refrigerandi sanguinis scopum facienti, tandem morbus quasi naturaliter sponteque suâ cedebat, quantumlibet sæviret, si methodo ab hac diversâ cum quis aggrederetur; quod mihi ab experimentis plus satis frequentibus abundè liquebat.

Hunc itaque cursum instituì: Sanguinem é brachii venis mittendum, eâ quantitate, quæ ægri viribus, ætati, aliisque circumstantiis convenire mihi visa est, ante omnia curabam, atque eodem ferè tempore Emplastrum Epispasticum bene largum Nuchæ applicandum. Die proximo Clysterem Lenitivum ita tempori injiciendum præcepi, ut ante noctem sedari posset tumultus, qui ab eo inter operandum excitaretur, horâ scilicet secundâ tertiâve post meridiem. Repetebatur Enema illud singulis diebus donec imminueretur morbi vis. Quo quidem tempore ab eo cessandum esse duxi, imò & maturius, si nempe Febris diem quartum & decimum excessisset, jamque inveteraſceret; quo in casu licet

licet ab Enematis præcedentibus debellata non fuerit, eadem tamen post elapsos hos dies supervacanea esse comperi: Morbi enim acie per Ebullitionem prægressam jam retusâ, atque ægro ἐξω βέλους constituto, & à symptomatis violentioribus, quæ ab eo pendebant, tecuto, nihil prius erat, quàm ut morbum suo uti Genio, & quasi sensim deflagrare, ac suis viribus ruere sineremus. Quod mihi semper cessit melius quàm evacuationem qualemcunque violentiorem hoc tempore moliri. Ægro interim carnibus interdixi, cereviſiam verò tenuem ad arbitrium concessi.

Restat & aliud, quod, quia multiplici experientiâ astipulante ægris optimè solebat vertere, in describendo hujusce morbi regimine mihi minimè prætereundum fuit, nempe ut æger quotidiè lecto abstineret, saltem ad horas aliquot; vel si id vetaret major ejus debilitas, vestes saltem indueret, & supra lectum cubaret, capite paulò elatiori, Etenim cùm magnum illum impetum, quo Febris in caput ferebatur, & inflammatoriam simul sanguinis Diathesin comtemplarer, subiit mihi in mentem, ægrum à corporis positura nonnihil emolumenti capere posse, si nempe ea talis fuerit, ut à circumambiente nullatenus augesceret calor (quod omninò fieri necesse est, si in lecto se jugiter contineat) neque sanguinis in capitis arcem tendentis impetus promoveretur, cùm illinc cerebri fervor intendatur, proindeque spiritus animales calefiant atque exagitentur, à quibus & vehementior cordis vibratio & Febris augmentum.

Quantumlibet autem ægris conducat in Febribus omnibus, quæ inflammationis intensioris sunt participes, ut non semper lecto incarcerentur, animadvertendum est tamen, eosdem, si diutiùs, quàm par erat, pro una vice à lecto abfuerint, declinante præsertim morbo, in dolores vagos, qui in *Rheumatismo* desinere possint, nonnunquam de facili incidere; nonnunquam etiam superficiem corporis *Ictero* deturpari; quæ si cui contingant, lecto addicendus est, quo apertis cutis spiraculis commodè difflari possint istiusmodi particulæ, quæ malorum alterutri fomitem præbent; hoc verò ad diem unum aut alterum tantùm, sudore non provocato: Hujusmodi autem Accidentia oppidò rara sunt, nec nisi in Febris declinatione comparent unquam; quo tempore cùm jam morbus mitior est, longè tutius ægro permittes, ut in lecto assiduè decumbat, quam vel initio, vel in statu; quinimò per hoc tempus id magis confert ad materiam Febrilem digerendam, quæ, si æger maturiùs lecto affigatur, efferatur magis atque incenditur.

Hic si quis objecerit, dictam Methodum, licet ad sanguinis impetum à capite amoliendum reficiendumque ægrum, satis commodam, minus tamen expedire, eò quòd evacuationi persudores, quâ materia Febrilis jam concocta eliminanda omninò erat, officiet: Respondeo, nihil agere contra sentientem, nisi prius argumentis confecerit hujusmodi evacuationem omni Febri deberi, quod haud ita in proclivi atque facile est. Docet enim Experientia, non autem Ratio, quænam Febrium species per Diaphoresin, & quæ per Catharsin si exterminanda, &c. Quinimo est cur arbitremur, dari quasdam

dam Febrium ſpecies, quas Natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliquâ Evacuatione, ablegat, reducendo ſcil. in ſanguinis maſſam eique aſſimilando materiam illam morbificam, quæ cum eodem minus quadrabat. Quâ ego nixus ratione, ſæpenumero tam in hac Febrium ſpecie, quâm aliis, modò intermittentes non eſſent, mox à primo inſultu, totoque ſanguine nondum inquinato, eaſdem in ordinem redegi, imperato tantùm Cereviſiæ tenuiſſimæ, quoties acquarum deſiderarent; potu, eſuque tam juſculorum, quàm aliorum, cujuſcunque generis ſint, ægris interdicto. Permiſſis interim & exercitii conſueti uſu, & aurâ liberiore, nullâque prorſus evacuatione vel ſemel inſtituta. Sanè omnimodâ ſolùm hujuſmodi per biduum triduumve, abſtinentiâ liberos meos, ac amicitiâ mihi conjunctiſſimos, curavi; Verùm hoc remedio non niſi in junioribus ac temperamento ſanguineo præditis eſt utendum.

Quòd ſi demus, Naturam non aliâ methodo quàm per Diaphoreſin morbum vincere poſſe, an non eos volumus ſudores; qui morbo jam fatiſcente prorumpunt & à prævia Digeſtione fluunt, non verò iſtos, qui primis morbi diebus protruſi, ab interrupta furentis naturæ œconomiâ naſcuntur? Hujuſmodi, opinor, ſudores non erunt promovendi, at compeſcendus potius tumultus ille, cui ortum ſuum debent. Iſtiuſmodi autem ſudores multas Febrium ſpecies, licèt non omnes, ſolent comitari. Neque enim ſum neſcius, quasdam Febrium ſpecies ejus eſſe indolis, ut in παραλυσῃ ſudorem hunc Criticum ſibi poſtulent: Tales ſunt particulares Intermittentium Paroxyſmi; magna item & frequentiſſima Naturæ Febris ab illa pendens Conſtitutione, quæ ad Intermittentes Epidemicè producendas unicè facit, In his enim, ſi cui methodo inſiſtatur, quæ non eò tendit, ut materia morbifica digeratur primùm, dein per ſudores eliminetur, augebitur morbus: Quocirca nullæ hîc evacuationes locum habere debent; niſi quatenus morbi impetum primis diebus, quibus aggreditur, ſuſtlaminare valent, ne inter medentium operas æger fato ſuccumbat. Quin & Febris Peſtilentialis cauſa, cùm tenuiſſima ſit & perquam ſubtilis, vel primis morbi diebus, ſudoribus difflari poteſt, ſuffragante ubique experientiâ.

Iſtis autem in Febribus, in quibus ordinario ſymptomatum ductu, & ſi ſuo genio uti permittantur, nuſquam videmus naturam materiam morbificam jam præparatam tempore præfinito evacuare ſolere; neſcio an non plus ſatis temerarius is fuerit, qui ſudore provocando vim morbo inferre cogitet, atque ægrum eâ ſola methodo reſtituere, cùm ut docet divinus ſenex, τῆς φύσεως ἀνυφαιτέσις κενεὰ πάντα: Atque illud quidem uſu venire autumo in Febre hac particulari, de qua hîc agimus, quam, multiplici experientiâ edoctus, ſatis ſcio ſine ſudoribus fugari poſſe; ægrum etiam, dum eoſdem importuniùs ſolicitamus, ſæpenumerò nullâ cogente neceſſitate in manifeſtum vitæ diſcrimen conjici, à materia morbifica in caput ſurſum larâ: Attamen neque in hac Febre, neque in alia qualibet, vel ex eis, quæ ſudores Critico ſolvi non ſolent, ſi fortè hujuſcemodi ſudor morbo jam imminuto ſponte ſupervenerit, quem ex ſymptomatum omnium remiſſione debitæ concoctionis ſobolem eſſe arbitremur, medicorum prudentiſſimus quiſque eum contemnet; ubi verò non

ita ſponte exit, quî certò ſcire poſſumus, an non hominem è medio tollamus, dum humores regimine & cardiacis calidioribus ad ejuſmodi ſudores diſponere nitimur? Si quis fortè in Theſaurum inciderit, niſi decipiat, humo tollet; ſtultus autem ſit oportet, qui hâc fretus fortunâ omnem adhibet operam, ut alium ejuſmodi cum vitæ periculo adipiſcatur. Quo vero cunque modo hæc ſe res habeat, mihi abundè conſtat, ſolam Febrem calorem eum ſecum adferre, qui materiæ Febrili ad Coctionem præparandæ poſſit ſufficere, neque eo intenſiorem â regimine fervido forinſecùs accerſendum.

Præfatam Methodum per Venæ ſectionem atque Enemata in hujuſce febris curatione quàm feliciſſimè ſuccedere comperiebam; eam verò, quoties à Diaphoreticis laceſſeretur, non ſolum Anomalique moris ſymptomata, ſed etiam dubium ſemper exitum habuiſſe; Inter ſymptomata eminebat tacitum illud delirium, quod non tàm inſanâ loquacitate ſe prodebat, quàm *ſtupore* Coma æmulante, quod, uti diximus, huic Febri frequens ſolebat accidere. Hoc ſymptoma, [licet nonnunquam ſponte ſuâ ortum illud viderim,] à nimia tamen Curatricum diligentia in provocandis ſudoribus malè poſita, ut plurimum invitabatur: Hoc enim pacto materia morbifica, quæ in hac Febris ſpecie ſudoribus morem gerere recuſabat, vehementer exagitata in caput tandem elevabatur cum ingenti ægrorum diſcrimine.

Jampridem animadverti in Curatione Febris Conſtitutionis alterius, quod per ultimos annos hujuſmodi *Stupor* Pueros maximè, atque eos, qui ex ephebis vix exceſſerant, ſubinde invadebat, ſed nec ita profundus, nec perinde Epidemicus atque erat is, qui hanc Febrem comitabatur. Neque tamen illum, licet huic inferiorem, multò minus hunc, ubi primùm ingrederetur morbus, edomare potui; licet nullum non lapidem moverim, repetitis Venæſectionibus, non in brachiis tantùm, ſed cervice etiam & pedibus, Emplaſtris Veſicatoriis, Cucurbitulis, Enematis, Diaphoreticis omnis generis, &c. in partes adſcitis. Tandem ſtatui, poſt ſanguinem è brachio eductum, Epiſpaſticum Cervici applicatum, atque Enemata duo vel tria è Lacte & Saccharo injecta primis morbi diebus, nihil quicquam amplius moliri niſi quod ægrum & à carnibus, & à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque arcerem: Ad naturæ methodum interim attendebam, cujus ego veſtigiis inhærens ſymptoma hoc ſuperare tandem diſcerem. Morbus interim cui invigilabam, tutò, licet tardè recedens, tandem evanuit. Huic itaque methodo inſiſtendum mihi eſſe duxi in Febribus, quas deinceps tractavi univerſis; quod quidem, ſi & ſymptomatis magnitudinem & eventum ubique votis reſpondentem ſpectamus, haud parvi momenti mihi videtur.

Et ſanè mihi nonnunquam ſubiit cogitare, nos in morbis depellendis haud ſatis lente feſtinare, tardiùs verò nobis eſſe procedendum, & plus Naturæ ſæpenumero committendum, quàm mos hodie obtinuit. Errat enim, ſed neque errore erudito, qui Naturam Artis adminiculo ubique indigere exiſtimat. Namque id ſi fieret, parciùs humano Generi eo proſpexiſſet, quàm poſtulat ſpeciei Conſervatio: cùm ne minima ſit proportio inter morborum ingruen-

tium frequentiam, & facultates quibus pollent homines ad eosdem fugandos; *vel* iis sæculis, quibus Medendi Ars maximè caput extulit, & à quamplu-ribus exculta est. Aliis in morbis quid hoc profecerit nescio. Illud satis scio ex diligenti observatione mihi astipulante, quòd in Febre, de quâ jam agimus, dictum symptoma post usurpatas evacuationes generales, Venæ-sectionem dico, & Enemata, solo tempore feliciter solebat vinci.

Anteà diximus, Convalescentiæ prænuncia Signa ut plurimum ad diem us-que *Tricesimum* differri solere, (in *stupore* scilicet paulò confirmatiori) ægro nonnunquam etiam *Aphoniâ* correpto: quibus elapsis, incongruum aliquod atque absurdum sive cibi, sive potus genus importunè flagitabat, Ventriculi fermento à morbo diuturniore impensè vitiato. Hoc in casu, quandoquidem jam exhaustæ corporis vires refectione omnino indigerent, lubens ea etiam con-cessi, quæ minùs ægro convenire viderentur, modò palato magis arriderent.

Mense Septembri 1674. filium novennem Librarii cujusdam ædibus meis vi-cini, nomine *Not*, hâc Febre unà cum symptomate jam sæpe memorato labo-rantem tractabam: Extracto è brachio sanguine, & Clysteribus per primos aliquot morbi dies continuos injectis, importunissimæ Matri obstabam, quæ rem ocyùs expedire acriter urgebat quàm ego cum salute filii stare posse arbi-trabar. Datis itaque induciis, nulloque medicamento alio propinato præter Julapium aliquod è vulgaribus, quod pacandæ quidem matri potiùs destinaba-tur, quàm filio restituendo, trigesimum circiter diem melius habere cœpit; edulia varia etiam absurda miserè discupiens, quorum pars aliqua concedeba-tur, licet nullo alio nomine concedi debuisset; atque ita tandem prorsus con-valuit.

Quamvis autem *Stupor* hic ad *Comatis* accedens naturam, huic Febri aliis symptomatis frequentiùs superveniebat, quandoque tamen, at ratiùs, *Phre-nesis* absque stupore nonnullos invadebat, in quâ æger insommes dies nocte-que agebat, nullâ ratione poterat regi, aliâque patiebatur symptomata iis simi-lia, quæ vel ab aliis Febribus, vel à Variolis in Phrenesin actos infestabant. Inducias non tulit symptoma hoc, ut solebat Affectus Comatosus jam memo-ratus donec fieret digestio, ægrum verò intra paucos tollebat, nisi inflammatio cohiberetur. Atque hîc mihi suppetias præ cæteris tulit *Vitrioli spiritus*, quem post Venæ-sectionem atque Enematis unius alteriusve injectionem cere-visiæ tenui instillatum pro potu ordinario concessi: Qui intra dies paucos & somnum conciliabat, & sanitatem, superatis symptomatis, ægro reddebat: quod quidem nullâ aliâ methodo efficere valebam. Atque hoc reiteratâ sæpe Experientiâ mihi abundè constabat.

Febri huic, Autumno 1675. & *Dejectiones Dysentericæ* superveniebant, quandoque & *Diarrhœa*. Istas ego statim perspexi *Symptomaticas* fuisse huic Febri, non verò, ut in Constitutione præcedenti, *originales* & primò ortas. Quo non obstante, cùm morbi causa in sanguinis massâ clauderetur, Venæ-sectionem ea indicabat; quæ quidem, propinato etiam post Narcotico ad duas vices, symptomati huic debellando par erat.

Sep-

Septembri 1675. Domina *Conysby* juxta Equilia Regia habitans me accersivit, laboraverat ea hâc Febre, ventris torminibus derepente jam correpta, quæ deinceps excipiebant Dejectiones sanguineæ ac mucosæ: Licèt protritæ jam ab aliquot diebus, ob morbum diutinum, vires essent, maximè verò à Dejectionum frequentiâ quæ nocte prægressâ multùm fatigaverant, sanguinem tamen è brachio statim educendum curavi, & paulo post Narcoticum exhibendum, quibus peractis ea ipsâ nocte Dejectiones stercorosæ conspiciebantur. Mane & vesperi sequentibus Narcoticum repetebam prædictum, imperato etiam medicamento Cardiaco moderationi quo spiritus refocillarentur: atque ab his statim convaluit.

Diarrhœam quod attinet: quæ eodem ferè anni tempore huic Febri haud rarò accidebat, minùs adhuc ista facessebat negotii, cùmque ea neque ægro prodesset, neque etiam officeret, quantum mihi observare licuit [sive adesset stupor, sive etiam abesset) nullam ab illa indicationem Curativam elicere valebam, modò intra eos staret limites ut æger ab eâ de virâ non periclitaretur: quo in casu Narcoticum sine dubio indicabatur, atque in eo solo probandus Anodynorum usus per omnem morbi hujus decursum, ingens enim illa propensio qua hâc Febre laborantes in stuporem ferebantur, ab his intendebatur, ac proinde nisi urgente necessitate in usum nunquam erant revocanda.

Notandum est haud rarò accidere tam ab hâc Febre quàm Febribus aliis convalescentibus, iis maximè quos illæ diutiùs maceraverant, nec nisi post longas magnasque evacuationes tandem dimiserant, (præsertim si invalidiori essent corporis habitu,] ut noctu in lecto cubantes incalescerent primùm, mox sudore diffluerent, à quibus vehementer infirmabantur, & vires tardiùs recipiebant, nonnulli etiam præcipitabantur in tabem. Cùm symptoma hoc non aliunde nasci existimarem quàm à sanguine ob morbum contumaciorem eo usque depauperato debilitatoque, ut succos, quos recenter advectos nequirer assimilare, per sudores ejicere moliretur; ita affectis author semper fui, ut singulis auroris noctibusque cochlearia quinque vel sex Vini Malacensis annosioris haurirent, cujus usu ægris vires crescebant jugiter, & evanescebant sudores. Atque hæc de Febre hujus Constitutionis continuâ, quam ob insignem stuporem eam ferè semper comitantem, lubet *Comatosam* appellare.

CAPUT. III.

Morbilli Anni 1674.

ORiente anno, mense sc. *Ianuario* 1673, 1674. ingressa est *Morbillorum* species quædam ab eâ diversa quæ eodem mense Anno 1669, 1670. invaserat; neque tamen minùs Epidemicè sæviebant hi atque isti, sed non perinde erant regulares, neque ita constanter Typum observabant: Nunc enim citiùs, nunc seriùs erumpebant; cùm in alia specie, eruptio in diem ab invasione *quartum* semper incideret. Adhæc humeros, & cæteras trunci partes pri-

primùm occupabant ; cùm isti alteri faciem primùm peterent, & in reliquum corpus paulatim spargerentur. Nec hâc in specie observare licuit, nisi ratissimè, eas cuticulæ desquamationes ad instar farinæ insperſæ, quoties recederent morbilli ; quæ in aliâ specie haud minùs certò conspiciebantur, quàm post Febris Scarlatinæ decessum conspici solent. Plures insuper è medio tollebant, quoties imperitè tractarentur, quàm priores illi. *Febris* enim & *Dyspnœa*, quæ Morbillis abiturientibus solebant accidere ; vehementiores erant, & *Peripneumoniam* hîc propiùs referebant, quàm in altero genere Quantumlibet autem fuerint *Anomali* atque irregulares hi *Morbilli* quoad jam memorata symptomata, in præcipuis tamen satis iis competebat Historia quam de morbilis tradidi, cùm morbos An. 1670. Epidemicos describerem, quæ idcirco impræsentiarum repetenda non erit. Hi, uti etiam Priores isti, ad Vernum usque Æquinoctium invalescebant, à quo tempore descrescentes, appetente Solstitio æstivo, aut non diu post, evanuere.

* Curatio, cùm nullâ ferme in re ab illa differat quam in Morbillorum historiâ jam fusè tradidi, exinde petenda est. Unicam tantùm hîc, pro meo more, instantiam adferam Methodi quâ illas aggrediebar.

Februario 1674. Domina virtutibus ornatissima, atque in exemplum nata, Comitissa *Sarisburiensis* me accersivit : Infantium unus tantùm tum temporis ægrotabat, mox reliqui [5 autem vel 6 erant] quos omnes eâdem methodo tractavi. Lectulo eos addixi ad dies binos ternosve ante eruptionem, ut sanguis, pro suo genio, particulas facile separabiles morbum committentes, per cutis poros eliminaret. Neque autem vel stragulis, vel igni quibus sani assueverant, quidquam adjici patiebar ; ab esu carnium arcebam, jusculâ Avenacea, Hordeacea, ac subinde pomum coctum concedens, cerevisiam tenuem insuper, vel lac cum aquæ triplo coctum pro potu. Urgenteque pro more Tussi, Ptisanam Pectoralem sæpe assumendam præscripsi. His peractis omninò convaluere, brevi illo spatio quod hic morbus solet percurrere ; neque vel per ejus decursum, vel eodem fatiscente, symptomate quovis morbo huic non familiari, tentabantur.

Duobus primis mensibus quibus hæc morbillorum species se prodebat, intercurrebat & *Febris* quædam *Morbillosa* hic illic sparsa, in quâ ἐκθύματα nonulla per truncum corporis, colli præsertim posteriora, atque humeros erumpebant, Ecthymata Morbillorum imitantia ; à quibus in illo saltem differminabantur, quod non universum corpus pariter occuparent, quas diximus partibus contenta : Febris etiam (licèt ejusdem planè generis] immanior erat, & ad dies 14. nonnunquam etiam plures, protrahebatur. Nec Venæ-sectionem tulit hæc Febris, nec Enemata, ab utrisque irritata ; at Methodo quæ Morbillis superiùs dicata est, lubens concessit. Atque hæc de Morbillis fuerunt dicenda.

CAPUT IV.

Variolæ Anomalæ An. 1674, 75,

QUemadmodum Morbilli Epidemici initio anni 1670 incurſantes *Variolas nigras* ibidem delineatas introduxere, ita etiam hi, qui haud minus epidemicè graſſabantur initio Anni 1674, Variolarum ſpeciem introducebant tam earum ſimilem, ut eædem iſtæ revixiſſe omnino viderentur, non aliæ ſubnaſci: cùm enim (uti jam diximus) in priore illà variolarum ſpecie poſt elapſos priores annos duos, puſtulæ minùs indies nigræ comparerent, & grandiores etiam pedetentim conſpicerentur, donec exeunte anno 1663, morbus jam mitis, habitâ generis ratione, ac benignus eſſet, jam priſtina ferociâ, & in fauſto malorum ſymptomatum agmine ſtipatus denuò revertebatur. Etenim puſtulæ fuliginem nigredine æquabant, ubi nempe confluxerint; & æger non priùs extingueretur quàm ad maturitatem iſtæ pervenerint; immaturæ enim fuſcæ tantùm erant colore. Puſtulæ quinetiam perpuſillæ erant ſi numeroſæ, (Paucæ enim ubi fuerant tantùm, haud erant minores, quàm in aliis Variolarum generibus, nigræ verò rariſſimè.) Verbo dicam, iſtas quas anno 1670. deſcripſimus ſatis referebant; licet non in omnibus cum iis quadrarent, diſtarent autem pauculis quibuſdam, quæ quidem majorem ſub his quàm illis putredinem latere, naturæque eas eſſe magis craſſæ & incoctilis oſtendebant: Maturæ enim pejus olebant, ita ut eiſdem graviter laborantes præ fœtore vix quirem accedere. Tardiùs etiam periodum abſolvebant, hærebantque diutiùs, quàm ulla ſpecies alia adhuc videre contigit.

Notatu interim eſt perdignum, quòd quantò mitior eſt morbi ſpecies, tantò citiùs puſtulæ ad maturitatem, atque morbus ad finem perducitur. Ita in ſpecie iſtâ regulari Variolarum Confluentium quæ anno 1667. ingreſſa eſt, Dies *Undecimus* maximum adferebat vitæ diſcrimen, quo ſemel elapſo, non ampliùs ut plurimum ægro metuendum erat. In proxime ſequenti ſpecie anomalâ Confluentium, quæ initio anni 1670 cœperunt invadere, æger die *Decimo quarto* vel ad extremum *Decimo ſeptimo* maximè periclitabatur, quos ſi æger ſuperaverit, ſalvus omnino erat, nec quenquam poſt hunc diem ab hoc morbo interemptum hactenus obſervavi. At verò in hac ſpecie Confluentium, æger etiam poſt diem *Viceſimum* contrucidabatur; nonnunquam & ſi convaleſceret, quæ paucorum ſors erat, non tantum tibiæ intumeſcebant, (quod quidem in Variolis Confluentibus quibuſque familiare eſt,) ſed brachia inſuper, humeri, crura, parteſque aliæ; qui quidem tumores ab intolerabili dolore *Rheumaticorum* per omnia æmulo, tragœdiam ordiebantur; poſtea haud rarò ſuppurabantur, & in ſinus ingentes & partium muſculoſarum apoſtemata deſinebant, ægro in vitæ periculo etiam ad multos dies à diſceſſu Variolarum adhuc veriante. Adeò ut mihi luculenter conſtaret de gradibus quibus hic ſe Epidemicus promoveret per tres haſce Conſtitutiones, quarum

posterior priorem semper exuperavit, tum quoad majorem putredinem, tum quoad morbi materiam minùs coctilem.

Videntur autem mihi hæ quas jam tracto *Variolæ*, nova quædam Variolarum species, è priore jam inveteraſcente ſuborta. Quamvis pro aëris diatheſi eum producente Epidemicum, Variolæ nigræ, quæ initio anni 1670 primùm ſe oſtendebant, ad παροξυσμὸν ſuam uſque progrederentur, tamen ad inſtar recidivæ alicujus morbi à materia priſtinâ denuò fermenteſcente, aër rursùs ad Variolarum productionem faciens, ex veteri penu eaſdem deprompſit; qui quidem morbus redintegratus ſumptiſque de novo viribus, reviviſcere planè & quaſi rejuveneſcere videbatur. Tanto autem magis anomalæ hæ erant, tantòque magis intenſam redolebant putrefactionem, quanto materia, è quâ generabantur, iſtâ craſſior erat atque fæculentior, ad quam præcedentes primum ortum referebant. Quod ut magis eluceſcat, exiſtimandum omnino eſt, nullam ejuſmodi diatheſin in ipſo aëre ſupponi debere, quæ hunc hoc in loco Epidemicum propaget, alium verò longè diverſum in alio non ita multùm diſtante; hoc enim ſi fieret (fit autem ſubinde) quilibet ventorum motus Conſtitutionem difflare valeret; vero autem ſimilius mihi videtur hunc vel illum particularem aëris tractum effluviis repleri à minerali aliquâ fermentatione, quæ aërem, per quem fermentur, particulis nunc huic animalium generi, nunc alteri exitialibus, contaminantia, morbos variis terræ Affectibus appropriatos eò uſque propagant, donec expiraverit ſubterranea illa halituum minera; quæ pariter in novam denuò fermentationem agi poſſit, ex reliquiis nempe materiæ exoleſcentis, uti in caſu jam memorato. Mihi verò, qui non ultra quàm res ipſa loquitur ſapere audeo, perinde eſt, an hæc, an alia aliqua Hypotheſis Phænomena rectiùs ſolvat. Id ſaltem pro comperto habeo, quas jam tractavi Variolas, præcedentis Conſtitutionis Variolis fuiſſe ſimillimas, niſi quòd & craſſiorem naturam, & putredinem longè intenſiorem redolere viderentur. Quibus etiam de cauſis duabus, ubi admodum *confluerent*, plures orco dabant, quàm ſpecies alia quælibet, quam mihi hactenus videre contigit; &, ſi quid meo judicio tribuendum ſit, Peſtem ipſam, pro numero ſc. ægrorum, pernicie æquabant, licet, ubi *Diſcretæ* invaderent, haud certius intentarent periculum, quàm alia quævis ſpecies, & tàm puſtularum magnitudine, quàm colore, aliiſque circumſtantiis boni ſe moris eſſe fatererentur.

* Curationem quod attinet; Jam à multis annis miratus ſum Indicationes planè contrarias, quas hic mihi morbus ſubinnuere videbatur. *Hinc* enim luce clarius fuit, à calidiori regimine ſymptomata, quæ à nimia inflammatione pendent, ſtatim produci, Febrim ſcil. Phreneſin, maculas purpureas, & ſimilia, quibus hic morbus præ cæteris quibuſque eſt obnoxius, *inde* verò regimen juſtò frigidius faciei manuumque intumeſcentiæ, quæ hic apprimè, eſt neceſſaria, officere, & puſtulas flaccidiores reddere. Poſtquam hæc diu multumque apud me, ſatis anxiè revolveram, intellexi tandem, utrique huic incommodo eodem ſimul tempore poſſe occurri. Uſum enim Aquæ cum Lacte co-

* *Curatio* ctæ,

&c; Cereviſiæ tenuis, aut liquoris alterius ſimilis liberaliorem concedendo, penes me erat internum ſanguinis, ὀργασμὸν frænare; Atque ex adverſo ægrum in lectulo jugiter detinendo, ne brachio quidem exerto, blando ejus calore puſtularum elevationem & faciei manuumque intumeſcentiam valebam promovere. Neque hæc ſecum methodus pugnare videtur; ſanguis enim, eruptione jam finitâ, particulas inflammatas in corporis habitum eructaſſe putandus eſt, neque jam ſtimulis ad ulteriorem materiæ ſecretionem indigere: Ita ut, cùm jam in habitu corporis, maturandiſque Abſceſſulis rei cardo verſetur, id tantum ſit agendum *ſanguinis* nomine, ut ſc. ſanguis ab halitibus calidis, à carne puſtulis obſeſsâ retrò agendis, ſartus tectus conſervetur; *Puſtularum* verò, ut blando partium externarum calore ad maturitatem illæ perducantur. Jam verò, utut feliciter mihi ceſſerit hæc Methodus, uti priùs docui, in Variolis aliis *Confluentibus*, in iſtis tamen hujuſce Conſtitutionis illa me fefellit, ita ut eorum plerique qui vehementiùs laborabant interirent, ſive methodo jam à me laudata, ſive regimine & Cardiacis calidioribus uterentur. Omnino itaque intellexi, deſiderari adhuc aliquid præter iſta, quæ vel ad compeſcendam ſanguinis ebullitionem, vel ad puſtularum elevationem, manuumque atque faciei intumeſcentiam facerent; deſiderari ſcil aliquid, quod Putrefactioni magis intenſæ, quam in his Variolis præ cæteris quibuſque obſervaram, vincendæ par eſſet. In mentem mihi tandem venit *Vitrioli Spiritus*, quem exiſtimabam utrique intentioni, tum Putredinis oppugnandæ, tum perdomandæ caloris ferociæ, ſatisfacere poſſe. Quamobrem Ægro ſibi relicto, donec & dolor & vomituritio, quæ eruptionem præcedere ſolent, jam deſinerent, & Variolæ conferto agmine prodirent omnes, tandem die *quinto ſextove* dictum *ſpiritum* cereviſiæ tenui ad levem aciditatem inſtillatum, pro potu ordinario conceſſi ad libitum ſumendum, liberaliùs verò, cùm appareret Febris maturationis, quem Potum, donec perfectè convaleſceret, imperavi uſurpandum quotidie.

Hic ſpiritus, ceu morbo revera ſpecificus, ſymptomata omnia ad miraculum ferè compeſcebat. Facies & maturiùs, & longè altiùs intumeſcebat. Variolarum idteritia, ad calorem magis rubrum, & Roſæ Damaſcenæ æmulum magis accedebant: Puſtulæ quoque minutiſſimæ grandeſcebant, ſaltem quantum ea ſpecies pateretur: Puſtulæ etiam quæ aliter nigræ comparuiſſent, hîc materiam quandam flavam & colore Favum referentem eructabant. Facies deinceps, pro nigra; colore flavo ſaturato ubique tincta conſpiciebatur; Celeriùs matureſcebant, atque tempore alia omnia diei unius aut alterius ſpatio, citius percurrebant. Hæc autem accidebant omnia, ſi liquorem nempe laudatum liberalius haurirent: Quapropter, quoties ægrum copiam ſubjugandis ſymptomatis debitam reſpuere animadverterem, ſpiritum iſtum, vel Syrupo aliquo in cochleari permiſtum, vel Aquæ Deſtillatæ cùm Syrupo junctæ additum, ſubinde ingeſſi quo penſaretur ſc. liquoris parcior uſus.

Varia hujus Medicamenti commoda recenſui, incommodi ne minimum quidem ex eo natum hactenus potui deprehendere: Licet enim Salivatio die undecimo decimove ferè ab eo ſiſtatur, cujus vicem per id temporis Dejectic-

nes aliquot subire solent; tamen ab his minus ægro erit periculi, quàm ab ista fuit; Quandoquidem, quod plus semel diximus, qui Variolis *Confluentibus* laborant, eo præcipuè urgentur discrimine quod saliva his diebus viscidior reddita fauces præcludat, cui quidem symptomati hoc in casu Diarrhœa succurrit, quæ vel sponte sua desinet, vel saltem, ubi nullum amplius à variolis periculum est, Lacte & Aqua mistis, & Narcotico assumptis facilè compescetur.

Ægro interim in lecto jacenti, inclusis quoque brachiis, stragula præter solita adjici non patiebar; concessi etiam, ut ab hac in illam lecti partem se pro arbitrio transferret, ad sudores arcendos, in quos procliviſſimus erat, hoc non obstante remedio. Jusculis interim avenaceis atque hordeaceis victitabat, nonnunquam & pomo cocto. Ultimis diebus, si vel langueret æger vel ægrotaret stomacho, Vini Canarini cochlearia tria quatuorve indulsi. Haustum verò Paregoricum jam à quinto sextove die singulis vesperis tempestiùs propinandum Adulto (Infantibus enim eo non erat opus;) præscripsi; *Laudani Liquidi* sc. *guttas* 14. *in Aq. fl. Paralys.*

Die decimo quarto ægrum è lecto surgere permisi; vicesimo primo sanguinem è brachio educendum curavi, Catharticum deinde ad duas vel tres vices exhibui; quibus peractis ægri facies coloratior ac magis vivida conspiciebatur, quàm solebat eorum, quos hic morbus ita malè mulctaverat: Adde, quòd Methodus laudata vix patitur faciem cicatricibus deturpari, quæ ab humoribus calidis efferatisque proveniunt cuticulam rodentibus.

Die *Julii* 26. 1675. Vir Nobilis mihique Amicus Dominus *Elliot* Regi à cubiculo, Domesticum é suis meæ curæ commisit, ferâ hâc Variolarum *Confluentium Nigrarum* specie propediem laboraturum: Habebat is annos octodecim circiter, temperamento erat admodum sanguineo, & in hunc morbum ex nimia Compotatione recens inciderat: Confluebant pustulæ densiore agmine quàm alias vidi unquam, ita ut nulla ferè inter eas intercapedo linqueretur, quâ distingui possent. Remedii hujus ἀναγωγοῦ confisus viribus, venam nullus secui, licet tempus quo accersebar, id mihi liberum faceret, atque etiam secare debuissem, cùm à nimia Vini ingurgitatione invitaretur morbus. Post Eruptionem finitam, die viz. quinto vel sexto, *Spirituum Vitrioli* in lagenas aliquot cerevisiâ tenui repletas jussi instillari, atque hunc Potum ordinarium concessi pro arbitrio sumendum. Die octavo ea sanguinis quantitas è naribus fluxit, ut Nosocoma hoc symptomate territa, me ocyùs accersendum putaret: Adveniens ego, cùm ab immodico sanguinis calore & impetu inusitato illud oriri animadverterem, Cerevisiam tenuem dicto spiritu imprægnatam uberiùs adhuc hauriendam imperavi, quo facto Hæmorrhagia dicto citius est coercita Salivatione satis copiosâ, faciei & manuum intumescentiâ, pustularumque augmento ritè procedentibus, morbus se satis feliciter expedivit; nisi quod ultimis diebus Dejectiones aliquot mucosæ sanguine æque interpellarent, quæ fortè nullum facessissent negotium, si venam, eo quo diximus nomine, mox accersitus aperuissem. Nihilominus nullo alio præsidio Dysen-

teri-

teriam adoriebar, quàm Narcotico illo, quod aliàs etiam, si hoc symptoma non urgeret singulis noctibus fuisset assumendum, quo vis ejus retusa erat donec evanescerent pustulæ; posteaque extractâ è brachio sanguinis quantitate satis largâ. Lactéque atque Aquâ affatim haustis, subito convaluit.

Eodem fere tempore quidam è meis vicinis Dominus *Clench* duos mihi liberos sanandos tradidit; quatuor annos habebat alter, alter adhuc lactebat, nec dum sextum mensem attigerat. Pustulæ utriusque perpusillæ erant, *Confluxiles* admodum, & ad Erysipelatis modum prodibant, generisque nigri dicti. *Vitrioli Spiritum* utriusque in potu omni instillandum curavi, quem non obstante ætate, Junioris præsertim, tenellulâ, ne hilum aversabantur; quin & nullo symptomate graviori affecti convaluêre illico. Amicissimus mihi vir, Dominus Doctor *Mapletoft*, utrosque mecum invisens, ætate majorem jam convalescentem reperit, minorem verò in cunis adhuc laborantem.

Animadvertendum est autem, quòd, sicuti Variolæ hujus Constitutionis quæ non confluebant, satis erant benignæ, ita neque remedio jam præscripto opus habebant; satis verò erat istâ eas Methodo tractare quam generi *Distincto* jam suprà deberi docuimus.

Habes jam, Lector, quæ de *Variolis* mihi erant dicenda omnia; quæ licèt non nemo fortasse parvi penderit pro sæculis genio, scio tamen ego haud parvo mihi labore, curâ atque industriâ, per multos annos continuos ea stetisse; neque jam à me fuisse evulganda, nisi vicissim charitas in proximum, & studium aliis benefaciendi, vel pretio existimationis propriæ, quam satis intelligo à subjecti novitate gravandam fore. Neque tamen video, cur aliquem male habeat nova Methodus ei morbo medendi, cujus nec apud *Hippocratem* vestigium ullum, nec apud *Galenum* invenitur, (nisi quis fortè locus difficillimâ ratiocinatione torqueatur,) cum quæ à Modernis adaptantur Curationes, a magnis illis rei Medicæ luminibus non institutæ, æquo jure ab his negliguntur, atque ab illis magnifiunt.

Quin & pari ratione nemini mirum debet videri, si quid immutavero in ea Methodo, quâ expugnandæ sunt istæ Febres quæ ab iis pendent Constitutionibus, quæ Variolis Epidemicæ sunt; Etenim si in prioribus illis mundi sæculis Variolæ nusquam gentium comparuerint, sequitur neque istiusmodi Febres uspiam locorum extitisse unquam. Vero autem simillimum est, ne quid dicam audacius, Variolas nondum tunc temporis in rerum naturâ fuisse repertas: si enim per antiquiora tempora perinde atque nunc dierum hic morbus invaluisset, sagacissimum *Hippocratem*, opinor, is nunquam latuisset; qui cùm morborum Historias & clariùs intellexerit, & descripserit accuratiùs quàm Post-natorum quispiam, & hujus etiam descriptionem genuinam, atque simplicem pro suo more nobis reliquisset. Quocirca opinari mihi fas sit, morbos certas habere periodos pro occultis illis atque adhuc incompertis Alterationibus, quæ ipsius terræ accidunt visceribus, pro variâ &c. ejusdem ætate ac duratione: quodque, sicuti alii morbi jam olim extitêre, qui vel jam cecidêrunt penitus, vel ætate saltem pene confecti exolevêre: & rarissimè com-

parent (cujusmodi sunt *Lepra* atque alii fortasse nonnulli ;) ita qui nunc regnant morbi aliquando demùm intercident, novis cedentes speciebus, de quibus nos ne minimum quidem hariolari valemus. Hæc se ita res habere potest, quicquid de eâ videatur nobis βραχυβίοις, qui heri tantùm nati sumus, cras forte interituri, neque quas de morbis Authores, vel antiquissimi, congesserunt rationes, ævi multò productioris, si cum Antiquissima mundi Epochâ eæ conferantur.

CAPUT. V.

Tusses Epidemicæ Anni 1675, *cum Pleuritide & Peripneumoniâ supervenientibus.*

CUm tempestas placida ac tepens, imò verò æstatis simillima, præter solitum ad postremos usque *Octobris* dies perseveraret, Anno 1675, eam verò mox exciperet alia multum diversa, frigida scilicet atque humida subitò ingruens, *Tusses* ubique numerosiores grassabantur quàm alio quovis, quod memini, tempore, nemini ferè parcentes, cujuscunque is fuerit sive ætatis, sive temperamenti, integras verò simul familias pervadentes. Neque numero tantùm erant spectabiles (cùm quælibet hyems haud paucas nobis generet) sed etiam ob anceps illud periculum, in quod eos, quos affecerant, per accidens conjiciebant. Cùm enim *Constitutio*, & jam, & per Autumnum omnem modò elapsum, in producenda Febre Epidemica suprà descripta omnes nervos intenderet, cùmque jam nullus existeret morbus alius Epidemicus, cujus contranisu hujus vires aliquantisper possint refringi, Tusses istæ Febri sternebant viam, atque in eam quàm libentissimè commigrabant. Interea, quemadmodum Tussis Constitutioni opitulabatur in Febre producenda, ita etiam Febris occasionem ex Tussi natam arripiens, jam Pleuram ac Pulmones haud aliter invadebat, ac caput invaserat vel septimanâ illâ, quæ harum Tussim exortum fuerat prægressa; Quæ tàm improvisa symptomatum mutatio nonnullis, qui minus diligenter adverterant animum, ansam præbuit, Febrem hanc pro *Pleuritide Essentiali*, aut *Essentiali Peripneumoniâ* habendi, licet eadem omninò illa maneret atque fuerat per integram hanc Constitutionem. Nunc enim, uti prius semper, cum dolore Capitis, Dorsi, atque Artuum quoslibet aggrediebatur; quæ symptomata omni ubique hujusce Constitutionis Febri conveniebant. Materia tantùm Febrilis, cùm stimulante Tussi in Pleuram ac Pulmones uberius decoqueretur, symptomata directas partes attinentia excitabat; attamen Febris tantum mihi licuit observare, eadem prorsus cum illa fuit, quæ ad eum usque diem fuerat depopulata quo hæ Tusses primùm comparebant; quin & remedia quibus promptissimè parebat, idem planè demonstrabant. Et quantumlibet lateris dolor punctorius, spirandi difficultas, color detracti sanguinis, & raliqua signa Pleuritidi familiaria, *Essentialem Pleurefin* subesse innuerent, non aliam tamen

men medendi methodum postulavit hic morbus, quàm quæ Febri hujus *Constitutionis* quadrabat, ab illa verò quæ *Veræ* Pleuritidi conveniabat, abhorrebat admodum, ut ex infrà dicendis liquebit. Addo, quòd cùm Pleuritis, quoties est morbus primarius, eo plerumque anni tempore soleat invadere quod inter Ver atque Æstatem ambigens, utriusque quasi fibula est; hic morbus alienò prorsus sydere natus, pro symptomate tantùm Febris, quæ isti anno propria fuit, ducendus est, atque accidentalis Tussis sobole.

* Ut ad eam methodum ritè procedam, quam hujus Anni Tussibus, tum etiam istis quæ aliis annis contingunt, (modò ab iisdem causis nascantur) deberi monuit experientia, animadvertendum est; effluvia ista, quæ à sanguinis massâ per insensibilem transpirationem ablegari solent, à frigore cutis spiracula subitò contrahente intrò verti, & in Pulmones deponi, quos irritando, Tussim mox excitant. Cùmque hoc pacto detineantur calidæ istæ & recrementitiæ sanguinis exhalationes, quo minùs per cutis poros exeant, Febris in sanguinis massâ facilè accenditur; ubi scilicet vel tanta est halituum copia, ut pulmones iis eliminandis haud sufficiant, vel calore adventitio sive Remediorum: sive Regiminis justo calidiorum quasi adjecto oleo ignis augetur, & qui in Febrim jam plus satis erat proclivis in eandem præceps agitur. Verum enimverò, qualiscunque fuerit Febris *Stationaria*, quæ illum annum funestat, atque per id temporis dominatur, Nova hæc Febris statim in ejus nomen ac familiam adoptatur, ejusdem ubique genio obsequens, licèt symptomata quædam adhuc retineat, à Tussi, quam habuit parentem, pendentia; Ac proinde satis constat in Tussi qualibet ex hac προφάσι natâ, non tantùm ipsi morbo, sed & Febri, quæ Tussi huic paratissima accedit, occurendum esse.

Hâc innixus basi, iis qui meam implorabant opem hoc modo succurrere conabar. Si Tussis nondum Febrim, atque alia symptomata, quæ ut plurimum se adjungere solere diximus, accersiverat, satis esse arbitrabar, ægrum à carnibus & liquoribus spirituosis quibuscunque arcere, hortabar item ut exercitiis uteretur moderatis, & frueretur aurâ liberiore, Ptisanam Pectoralem refrigerantem subindè hauriens. Sufficiebant nimirum paucula hæc & ad Tussim perdomandam, & Febrim, aliaque symptomata quæ illam comitari solebant, prævenienda. Sicut enim abstinentiâ â carnibus, & liquoribus spirituosis, tum etiam refrigerantium usu ita contemperabatur sanguis, ut impressioni Febrili ineptior esset; ita etiam exercitii ope fervida illa sanguinis effluvia, quæ, quoties corporis Pori à repentino frigore occluderentur, intro acta Tussim excitabant, viâ sibi naturali ac genuinâ exhalabant opportuniùs, & cum bonis ægri rebus difflabantur.

Tussim quod spectabat sedandam; haud vacabat Periculo Narcoticis atque Anodynis illam aggredi; nec minus periclitabatur, si quis liquoribus spirituosis calidisque medicamenti idem moliretur, cùm utroque modo inviscatâ, atque induratâ Tussis materiâ, halitus isti, qui à sanguine placide ac sensim discedentes tussiendo in auras evanescerent, jam exitu negato, in cruoris massa præ-

* *Curatio.*

præcluſi Febrim ibidem ciebant. Atque hoc ſæpenumero non paucis é vulgo inconſultioribus peſſimè ceſſit, qui cùm ſpiritu vini uſtulato aliiſque calidis liquoribus Tuſſi obicem ponere niterentur, Affectus Pleuriticos & Peripneumonicos invitabant, atque inſanâ hâc ſapientiâ morbum ſuâ naturâ leviſſimum & facilè ſanabilem, in periculoſum ac ſæpè lethalem transformabant: Nec minus hallucinabantur (licet magis cum ratione inſanire viderentur) qui provocatis ſudoribus morbi cauſam exterminare volebant: Quamvis enim non diffiteamur, ſudores ſponte prorumpentes haud rarò præ ceteris quibuſcunque præſidiis cauſam morbificam expellere, liquet tamen, nos, dum in iis extorquendis ſumus, ſanguinem incendere, & quem ſervare volumus ægrum letho dare poſſe.

Quandoque verò, non tantùm ubi minus ritè tractaretur morbus, quo ſcil. ſuprà deſcripſimus modo, ſed etiam nonnunquam ſuâ ſponte [maximè in delicacioribus ac tenellulis) nunc ſtatim ab initio, nunc poſt diem unum aut alterum, Tuſſi ſuperveniebat caloris ac frigoris viciſſitudo quædam, capitis, dorſi, atque artuum dolor, ad ſudores nonnumquam propenſio, noctu maximè (quæ omnia pariter Symptomata Febrim hujus *Conſtitutionis* plerumque ſequebantur;) quibus ſæpè adjungebatur lateris dolor, nonnunquam etiam Pulmonum quaſi conſtrictio coarctatioque, unde difficulter ſpirabat æger, inhibebatur Tuſſis, excitabatur Febris vehementior.

Febri. & peſſimis ejus ſymptomatis rectiſſimè, [quantum accuratè factâ obſervatione mihi conſtitit] occurrebatur venæ-ſectione in brachio, & Epiſpaſtico Nuchæ applicato; Clyſtere item quotidie injiciendo. Ægrum interim monebam, ut ſingulis diebus ad horas aliquot lecto abſiſteret, abſtineret à carnibus, nunc Cereviſiam tenuem, nunc Lac Aquæ permiſtum, nunc Priſanam aliquam Refrigerantem ac Lenientem ſorberet. Elapſo jam biduo triduove, ſi nondum minueretur dolor lateris, ſed adhuc vehementer urgeret, ſanguinem ſecundò detraxi, & ut in uſu Enematum perſiſteret adhuc, ſuaſi. Enemata autem quod attinet, diligenter advertendum eſt (tàm in hac, quàm in aliis Febribus) ea, jam fractis morbi viribus, & retuſâ acie, non diu & continuò repetenda eſſe, maximè in Fœminis Paſſioni Hyſtericæ obnoxiis, aut Viris Hypochondriacis; cùm talium ſanguis atque humores εὐμετάβλητοι ſint, ac nullo ferè negotio exagitentur atque æſtuent, unde perturbatur corporis œconomia, & ſymptomata Febrilia etiam ultrà ſolidam periodum ægros diſcruciant.

Sed ut ad rem revertamur, dum hoc pacto ſpatium morbo concederemus, quo ſanguis calidas illas particulas, quæ in Pleuram ac Pulmones impegerant, ſenſim excuteret, ſymptomata univerſa placidè ſolebant evaneſcere; cùm qui morbum ferociùs atque hoſtili manu aggrediebantur, ingenti remediorum molimine bellum inferentes, vel ſuos Ægros amitterent, vel ſaltem Phlebotomiâ ſæpiùs repetitâ quàm vel poſtulabat morbi genius, vel etiam tutò ferebat, eorundem vitam redimere cogerentur. Cùm enim in verâ Pleuritide Venæ-ſectio repetita omnem numerum abſolvat, ſolaque ad Curationem ſufficiat, [modò non obſtiterint medicamenta & regimen calidiora, quæ contrà militant

litant] ex adverso in hoc symptomate satis erat semel vel ut plurimum bis venam secasse, modò ægro concederetur ut è lecto exurgeret, & potu refrigeranti uteretur, Nulla autem cogebat necessitas, si bene observaverim, sanguinem sæpius educere, nisi ubi à calore foris accedente admodum intenderetur dictum symptoma; neque etiam in hoc casu periculo id omnino vacabat.

Hanc jam nactus ansam, paucula de eo dicam quod omnium ore tritissimum est, *Pleuresin* scilicet quandoque ita *Malignam* reperiri, ut per eos annos Phlebotomiam ferre nesciat, saltem toties repetitam quoties hic morbus communiter deposcit. Censeo quidem *Pleuresin* Veram atque *Essentialem*, quæ, ut posthac dicetur, omnibus annorum omnium Constitutionibus indifferenter insultat, omnibus indifferenter annis Venæ sectionem pariter repetitam indicare; aliquando tamen accidere ut Febris ejus anni propriè Epidemica, à repentinâ aliquâ manifestarum aëris qualitatum alteratione, materiam morbificam in Pleuram aut Pulmones libenter deponat, ipsaque Febris nihilominùs eadem prorsus maneat. In hoc casu, etsi Venæ sectio possit concedi ut huic symptomati, si multum sæviat, occurratur; generaliter tamen si loquamur, non multò plus sanguinis symptomatis ratione educendus est, quàm Febris nomine debuerat educi, à quâ pendet istum symptoma: Namque si hæc ejus sit indolis ut à repetita Venæ sectione non abhorreat, potest ea reperiri in Pleuritide quæ ejusdem symptoma est; at verò si Febris repetitam Venæ-sectionem respuat, neque juvabit ista, imò & nocebit in Pleuritide, quæ cum Febre stabit cadetve. Hoc autem modo se res habuit, me saltem judice, in *Pleuritide symptomaticâ* quæ Febrem comitabatur hoc in loco grassantem quo tempore subingrediebantur *Tusses*, hâc nimirum hyeme 1675. Atque hoc quidem mihi ideo reticendum non erat, quod existimem dubio illum tramite errare, atque incerto duci filo, qui in Febrium Curatione non continenter ob oculos habet anni *Constitutionem*, quatenus huic aut alteri morbo Epidemicè producendo favet, cæterisque morbis omnibus unâ concurrentibus in ejus similitudinem ac formam detorquendis.

Novembri anni præfati, Dominum *Thomam VVindham*, Domini *Francisci VVindham* Equitis filium natu maximum, hâc Febre laborantem tractabam. Querebatur is de lateris dolore, aliisque symptomatis, de quibus cæteri hoc morbo affecti. Venam haud plus semel tundendam curavi, Epispasticum Nuchæ apponi, Enemata quotidie injici; nunc Ptisanas atque Emulsiones refrigerantes, nùnc Lac Aquæ immistum, nunc Cerevisiam tenuem propinavi, suasi ut lecto absisteret quotidiè ad horas pauculas, quâ methodo intra paucos dies restitutus est, & celebratâ Catharsi omnino convaluit.

Notandum autem est, quòd tametsi symptomata hæc, quæ tussi supervenire solerent, ea propè essent, quæ hanc hyemem funestabant, attamen tussis ipsa sine illis sola invadens, eâ tempestate magis dominabatur. Hujus autem medela neque venæ-sectionem, neque Clysteres sibi vendicabat, modò febris à regimine vel medicamentis calidioribus non excitaretur. Cùm satis erat ad eam compescendam ægro liberioris aëris foras usum concedere, & carnis

esum, ut & vinum ac id genus liquores spirituosos, qui Febri ansam præbeant, omnino interdicere. Porrò *Tabellas* sequentes sæpiusculè devorandas imperavi; quæ quidem ad tusses à frigore susceptas coercendas omnibus aliis, quæ mihi adhuc innotescunt, longè præcellunt. ℞. *Sacchar. Cand.* ℔ ß. *Coq. s. q. aq. communis usque dum adhærescat extremis digitorum: tum adde pulv. Liquirit. Emul. Campan. sem. anisi & sem. Angelic. an.* 3ß. *pulv. Irid. & flor. Sulphur. an.* ℈ij. *ol. chym. sem. anisi* ℈. *f. s. a. tabellæ, quas secum continuò portet, ac earum unam frequenter assumat.*

At priusquam his, quæ de morbis Epidemicis disserui, ultimam imponam manum, Objectioni, quam contra eorum nonnulla adferendam prævideo, occurrendum mihi est, quòd nempe non satis cum *malignitate* istâ pugnare videantur, quæ pluribus horum morborum adhæret. Non is sum, qui receptam à Viris doctissimis, sive hujus seculi, sive antiquioribus, de malignitate opinionem convellere aut possim, aut etiam velim, cùm ista indiciis plus satis se prodat manifestis, in Epidemicis plerisque. Liceat mihi tantùm quæ de ejus naturâ sentio in medium proferre, quò hæc nostra Praxis minùs à ratione abhorrere videatur. Ipse enim cum eruditissimo *Scaligero*.

Non mihi, sed Rationi, aut quæ Ratio esse videtur.
Milito; securus quid mordicùs hic tenet, aut hic.

Censeo itaque ego *malignitatem* eam omnem quæ Epidemicis competit, (quàliscunque tandem fuerit specifica ejus natura,) particulis calidissimis ac spirituosissimis, humorum in humano corpore contentorum naturæ plùs minusve adversantibus, consistere ac terminari; quia solæ istiusmodi particulæ humores ita subitò alterare valent, atque in morbis malignis fieri videmus. Censeo item calidas illas & spirituosas particulas assimilando maximè agere; Cùm ex naturæ lege quodlibet Principium Activum sui simile procreare satagat, & quæ ei cunque obsistunt ad propriam indolem inflectere atque accommodare, Ita ignis ignem generat, & maligno infectus morbo socium inficit, spirituum sc. emissione, qui humores mox inficiendos sibi assimilant, & in naturam suam perducunt trahuntve.

His præmissis, omnino sequitur nihil esse prius quàm ut dictæ particulæ sudore eliminentur; hoc enim modo morbus confestim funditus extirparetur: At hîc reclamat experientia, docetque hoc in omni *malignitatis* specie fieri non posse. Quamvis enim in ipsâ *Peste* particulæ pestilentiales, tum quòd admodum fuerint subtiles, tum etiam quòd sanguinis partibus maximè spirituosis insideant, dissipabiles sint, atque excitato sudore non intertrumpendo ejici queant; in aliis tamen Febribus, ubi particulæ assimilantes non in eam subtilitatem sunt evectæ, atque etiam humoribus magis crassis incorporantur, mineta illa maligna non tantùm sudoribus diffiari non potest, sed sæpenumero etiam augetur, quibus isti sollicitantur, Diaphoreticis. Quantò enim magis ustu calefacientium actuantur particulæ hæ calidæ ac spirituosæ, tantò magis in-

ten-

genditur ea quam habent assimimilandi facultas, quantoque etiam magis excalefiunt humores isti in quos agunt, tantò libentiùs in assimilantium castra migrant, earundem impressionibus cedentes. Cùm ex adverso ratiò dictare videatur, medicamenta illa quæ contrariæ sunt naturæ non tantùm particularum calidarum atque acrium vim inhibere, sed etiam humores condensare obfirmareque, quo spirituum morbificorum fortiùs sustineant impetum, vel etiam frangant. Atque appellanda hic mihi venit Experientiâ, quâ magistrâ edoctus sum & Purpureas Febrium maculas, & Variolarum pustulas nigras, eò promptius sumpsisse incrementum, quò magis calefieret æger, easdem verò pro ratione moderatioris regiminis, quod iis omnino debetur, decrescere solere ac minui.

Jam si quis me roget, qui fiat ut, cùm *malignitas* in ejusmodi particulis calidis ac spirituosis consistat, haud rarò ita parca Febris signa conspiciantur, etiam in morbis summè malignis; responderem percontanti, Primò in præcipuâ illâ, & maximè insigni malignitatis instantiâ, ipsâ *Peste*, abunde constat particulas νοσηρὰς ita supra modum subtiles esse atque aculeatas, (præsertim ubi primùm incipit grassari) ut auræ ad instar sanguinem pervadant, ac syderatis quasi ejus spiritibus, ne in Ebullitionem quidem illum attollant, unde æger sine Febre perit.

At verò in minori isto malignitatis gradu qui in aliis Epidemicis reperitur, symptomata Febrilia ita parum conspicua redduntur, nonnunquam à confusione in sanguine atque humoribus excitatâ à particulis inimicis eorum in gremio conclusis; unde natura quasi oppressa non potis est symptomata illa magis regularia exercere quæ morbo competunt, at anomala sunt φαινόμενα; fere omnia ob ἀνωμαλίαν penitus eversam dirutamque; quo in casu deprimitur sæpe Febris, quæ obtinente genuino naturæ ductu, omnino vigeret. Quandoque etiam pauciora se ostendunt Febris indicia quàm pro morbi genio, ob metastasin mineræ malignæ vel in Genus Nervosum factam, vel in alias partes corporis, vel etiam humores extra sanguinis pomœria, dum turgeret adhuc materia morbum committens.

Quicquid verò id fuerit, ne hariolari quidem possum quænam alia Medendi Methodus *malignitati* qualicunque adhibenda sit, præter eam quæ Epidemico, cui inhæret, debetur. Ita ut sive Epidemicus de eorum numero sit, qui primò Concoctionem materiæ Febrilis, mox ejusdem ritè dispositæ eliminationem per sudores sibi vendicant; vel eorum, qui per eruptionem aliquam fugam sibi quærunt; vel etiam eorum, qui ab artis præsidio viam sibi aperiendam præstolantur, in singulis his, inquam, generibus, *Malignitas* morbi comes, cum ipso morbo stabit cadêtque, pari usa fortunâ, & pari etiam passu recedens; atque ex consequenti, quæcunque evacuatio Febri in genere competit, eadem & malignitati debetur: quantumtibet evacuationes istæ sibi invicem fuerint contrariæ. *Malignitati* itaque isti quæ *Febres Autumnales Intermittentes* comitatur, uti & *Febrem Continuam*, quæ ejusdem est indolis, medebitur Diaphoresis, quæ concoctionem subsequitur ceu

ejus effectum. *Variolarum malignitati* subveniet tempestiva Absessulorum maturatio, atque ita de reliquis; in quibus omnibus, peculiaris *malignitatis* species istis præsertim modis ac methodo illâ optimè superatur, quibus libentissimè cedunt peculiares isti morbi ad quos illa spectat, sive hâc methodo procedendum fuerit, sive alterâ. Hoc mihi dictat ratio, nisi pro Junone nubes, atque huic etiam Experientia jugiter suffragatur.

CAPUT. VI.

Anacephalæosis.

ATque ita demùm animadvertimus, spatium illud annorum, quo finiuntur prægressæ observationes genera *Constitutionum* omnino *Quinque* peperisse; Quinque nimirum peculiares aeris Diatheses, totidem *Epidemicorum* species peculiares, Febrium nominatim, producentes: Febrium autem harum prima, quæ iis annis infestabat quibus *Intermittentes Autumnales* maximè grassabantur, unica mihi videtur, (quantum observatione diligenti fidâque hactenus assequi potuero) in quâ Natura ita omnia symptomata moderabatur, ut materiam Febrilem debitâ Coctione præparatam certo suo tempore ad exitum disponeret, vel per justam διαφόρησιν, vel διαπνοὴν paulo liberaliorem, (quæ idcirco *Febris Depuratoria* mihi audit.) Et profectò facilè adducor ut credam, præcipuam hanc esse atque *Primariam* Naturæ *Febrem*, tùm ob regularem illam methodum, quâ utitur in promovendâ materiâ morficâ eâdemque præfinito tempore digerendâ; tum etiam quia hæc Febribus aliis quibuslibet frequentior occurrit, cùm credibile sit *Febres Intermittentes* Epidemicè sæpiùs grassari, quàm alios morbos quoscunque, si illis nempe habenda sit fides, qui de earum frequentiâ in seculis jam elapsis tot & tanta scripserunt; quicquid demum in causa fuerit quòd ita raræ comparuerint, à quo *Pestis* hanc urbem est depopulata: Enimverò *Febris* hæc *Pestilentialis Inflammatoriis* iis omnibus, quæ post invasere, se ducem præbebat, ac ἀφόρισμον. *Febri* autem isti *Primariæ*, de quâ suprà, adaptantur, ni fallor, illustria illa, atque necessaria Axiomata, quæ tradiderunt *Hippocrates*, aliique medici antiqui; quorum ope ita illa est regenda, ut præparetur materia Febrilis ad Crisin per sudores ritè faciendam: Neque enim satis video; quî possint accommodari dicti Aphorismi subsequentibus istis Febrium speciebus, quæ diversam longè habent indolem; & rarò ejusmodi Methodo aliquâ solvi solent, quâ nos adjuti, si ad eam accedamus scilicet, eamque perficiamus morbos hosce subjugare possimus. Ut ut verò hæc se res habeat, notatu dignum esse autumo, quòd cùm Febris hæc, quæ ab illa *Constitutione* pendebat qua Intermittentes cæteris prædominabantur, (si vel diutiùs persisteret, vel ager nimis evacuationibus fuerit exhaustus) subinde in Intermittentium castra de facili transiret; istæ Febres, quæ sequentes funestabant annos, etiamsi diutissimè cruciarent, rarissimè tamen Intermittentes fierent; indicio satis manifesto

eam

eam *Febrem Continuam* atque *Intermittentes* istas, vel natura quadantenus convenire, vel non multùm ab invicem abhorrere.

Jam si quis à me percontetur, quo demum pacto *Febris Continuæ* speciem ex notis in Febrium descriptionibus à me traditis queat expiscari, cùm plerumque singulæ iis implicentur symptomatis, quæ omnibus in genere competunt Febribus, (cujusmodi sunt calor, sitis, inquietudo, *&c.*) Huic ego responderem, difficile id quidem esse, at non planè impossibile, modò quis serio atque ad amussim exegerit circumstantias eas omnes quas in Historia præcedenti indigitavimus; maximè si in urbe aliqua, aut loco alio hominibus referto, examen instituat. Ponamus enim Medicum ad Febre Continua laborantem accersiri, id primo habet adminiculi ad judicium rite formandum, quod vel ex observatione propria, vel aliis indicantibus facile rescisçat, quinam alii morbi prætet hanc Febrem, & cujus demum generis, eo locorum Epidemicè grassantur; quo cognito non ampliùs dubitabit cujus generis esse debeat Febris ista, quæ huic alteri Epidemico regnanti famulatur. Quamvis enim fieri possit ut Febris iis tantùm se prodat symptomatis, quæ omnibus omnino Febribus sunt communia, (præsertim si in ἀταξίαν & confusionem agatur à Methodo quæ ab ejus curatione prorsus aliena est) alii tamen Epidemici characteres naturæ atque indoli suæ proprios ac peculiares apertissimè agnoscent. Verbi gratia, qui *Variolas* inspexerit, facilè conjectabit, (modò ejus morbi Historiam probè calleat) vel a die quo primùm erumpunt Pustulæ, vel ab earum magnitudine, atque colore, *&c.* ad quodnam Variolarum genus species illa particularis fuerit referenda: atque ubi semel cognoverit quænam sit illa Variolarum species, quæ eo anno atque per loca ista increbrescit, satis illi constabit de specie Febris cujusvis per id temporis, atque eo locorum grassantis. Et sanè si morborum Historias ad unguem perdidicissem [quam ego mihi laudem minimè sumo] sicuti Epidemico quovis conspecto non dubitarem de Febris tum regnantis genere pronunciare, licèt ne unam viderim quidem; ita *Febris* quælibet conspecta, quisnam ei jungeretur Morbus Epidemicus, me satis doceret, an *Variolæ* scilicet, vel *Morbilli*, vel *Dysenteria*, *&c.* Cùm tam peculiare aliquod horum genus, quàm Febris peculiaris, particularem quamlibet Constitutionem jugiter comitetur.

Secundò autem, præter indicia illa quæ Epidemicorum unà invadentium consideratio nobis suggeret, & ipsa cujuslibet Febris symptomata ad ejusdem speciem dignoscendam, haud obscuram lucem fœnerantur. Quamlibet enim, ut supra innuimus, Febres in universum omnes quædam habent symptomata omnibus communia, sunt tamen & certæ aliquæ Distinctionis notæ quas singulis speciebus sigillatim impressit Natura; quæ cùm subtiliores sint ac magis reconditæ, non nisi a cautissimis, & minutissima quæque pensiculatim trutinantibus erui solent, aut investigari. Inter hæc signa distinguentia semper existimavi ego, ægri sive sudationem sive siccitatem in hoc vel illo morbi tempore, Febris speciem præcipuè & præ cæteris demonstrare, modò illa à statu naturali ac suo, Methodo minùs congruâ non fuerit dejecta. Atque hoc ip-

sum liquidò mihi constabat in Febribus omnibus Epidemicis, quotquot observationes hæ nostræ hactenus complectuntur. Exempli gratiâ, iis in Febribus quæ vigebant exolescente *Intermittentium Autumnalium* prædominio, ægri externa arescebant, nec vel minima sudoris præsignatio ante materiæ Febrilis concoctionem, quæ die decimo quarto plerumque perficiebatur, in conspectum se dabat. Neque etiam cieri hîc poterat sudor sine ingenti ægrorum discrimine, qui in Phrenesin, aliaque symptomata periculosissima mox à coacto sudore præcipitabantur. In *Febri Pestilentiali*, quæ hanc quidem subsecuta est, [*Inflammatoriarum* autem omnium quæ ab illo tempore invasêre, chorum duxit] nulli sudores sponte suâ prorumpebant, at à sudorificis excitari poterant vel primis morbi diebus, atque iis semel obortis æger nullo non symptomate levabatur. Febre proximè succedente quæ *Variolas* iis annis comitabatur quibus illæ *Regulares* erant, æger suâ sponte effusissimis sudoribus totus dimanavit, vel à morbi initio; at qui istis indulgebat æger, intendebat illicò symptomata omnia, haud mitigabat. In binis Febribus quæ duabus *Variolarum Anomalarum* speciebus, atque *Dysenterus* se comites adjungebant, & sudores Anomali etiam fuere; at plerumque solis primis diebus exeuntes, licèt qui primam Febrem commitabatur sudor, quàm qui posteriorem, aliquantisper esset copiosior, sed in neutrâ emolumento fuit ægro, cùm non à prævia Concoctione sed à confuso particularum noxiarum motu is eliceretur.

Arduum verò id mihi imprimis videtur, Novæ Febris speciem, vertente primùm anni *Constitutione* indagare, cùm necdum specimen ejus aliquod quis oculis usurpaverit, nec dum resciverit, qualesnam demum sint futuri morbi Epidemici, quos ut plurimùm Febris prævertit. Molestum esset singula enumerare quæ iis annis, de quibus egi, occurrebant, quò liqueret antas haud obscuras à natura nobis suggeri, quibus adjuti hoc præstare valeamus; ac proinde Cognitio hæc à perdiligenti atque accuratissimâ Circumstantiarum omnium observatione necessariò pendebit: Quamtumlibet autem difficile id fuerit, imò si & impossibile planè supponamus, Novæ Febris, ubi primum ingreditur, speciem certò distinguere; tamen ad Curationem quod attinet, Indicatio à *Iuvantibus* & *Lædentibus* sumenda, nobis saltem relinquitur; cujus ope viam pulatim prætentantes ægrum in tuto possimus collocare, modò ne plus satis properemus; quâ quidem *festinatione* nihil ego quicquam exitialius esse autumo, nec re ulla alia Febricitantium plures vita spoliari. Neque puder fateri, me non semel in curandis Febribus, ubi nondum constaret quid mihi agendum esset, nihil prorsus agendo & mihi & ægro consuluisse optimè, dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valerem, Febris vel sponte sua sensim evanuit, vel in eum se Typum redegit, ut jam mihi innotesceret quibus armis esset debellanda. Sed, quod dolendum omnino est, ægrorum quamplurimi, haud satis gnari quòd perinde sit Medici periti quandoque nihil agere, atque alio tempore efficacissima adhibere remedia, probitatis atque fidei fructum hunc capere nolunt, sed vel negligentiæ vel ignorantiæ id imputant

tant; cùm Empiricorum insulsissimus quilibet medicamenta medicamentis adjicere æquè novit, ac solet magis quàm Medicorum prudentissimus.

Hæc sunt ferè quæ hactenus observavi, saltem quæ ad normam aliquam reduci potuerint, de *Morborum Epidemicorum* speciebus, atque ordine illo quo invasêre ab anno 1661. ad finem usque anni 1675. Quo quidem tempore *Variolæ*, & *Febres Continuæ* earum Comites, quæ fermè à biennio dominatæ sunt, mitiores jam factæ videntur exolescere. Qui post sequentur morbi, solus novit, qui novit omnia.

SECTIO SEXTA.

CAPUT I.

Febres Intercurrentes.

OBservationes annorum, quos jam descripsi, satis arguunt Febrium alias *Stationarias* meritò audire, ejusmodi Febres intelligo, quæ, cùm à particulari quadam, at nondum satis cognita hujus aut alterius anni *Constitutione* pendeant, singulæ suo ordine invalescunt, grassantur admodum, & quasi cæteris dominantur per continuam illam annorum seriem. An dentur etiam aliæ species præter jam dictas: An etiam exacto quodam annorum curriculo, aliæ alias certo ac constanti ordine excipiant, an secus se res habeat nondum mihi licuit deprehendere. Sunt verò & aliæ *Febres Continuæ*, quæ licèt jam paulò, jam inclementiùs sæviant & depopulentur, tamen cum Stationarum quibus-libet, ut etiam & secum invicem eodem anno indifferenter commiscentur, quas idcirco *Intercurrentes* appellandas censeo. Quid tam de illarum ingenio, quam de Methodo Medendi eisdem adhibendâ, hactenus observando didici, in sequentibus tradam. Sunt verò, *Febris Scarlatina. Pleuritis Peripneumonia Notha. Rheumatismus. Febris Erysipelatosa. Angina.* Et fortè aliæ quædam.

Jam verò cùm universos hosce morbos, vel adhuc commitetur Febris, vel saltem fuerit comitata, donec exonerata in partes sive has sive illas, pro morbi ratione, materiâ Febrili, sibi exitum invenerit; nullus dubito Febrem ipsam pro morbo primario habendam, reliquosque affectus à quibus ut plurimum morbi isti nomen mutuantur, symptomata esse, quæ vel peculiarem κρίσεως modum, vel partem, in quam ruit morbi vis, præcipuè spectant. Verùm modò de re conveniat, nullam de nominibus movebo litem; mihi integrum fuerit morbum hoc vel illo nomine designare, pro arbitrio meo.

Animadvertendum est, quòd sicuti *Febres Stationariæ*, de quibus suprà egimus, magis minùsve Epidemicè infestant, quod jam diximus, prout annorum Constitutio in secretâ atque inexplicabili aeris temperie fundata, eisdem

dem favet, ita etiam *Intercurrentes* hæ nonnunquam, licèt non ita frequenter atque istæ, Epidemicè grassantur. Quamvis enim plerumque oriantur ab hac vel illa particulari corporum particularium ἀνωμαλίᾳ, quâ sanguis atque humores quoquo modo vitiantur, aliquando tamen originem debent suam mediatè quidem causæ alicui Generali in aere, manifestis qualitatibus hominum corpora ita disponente, ut exinde tales taléve sanguinis atque humorum dyscrasiæ generentur, quæ *Intercurrentium* ejusmodi *Epidemicarum* causæ fuerint immediatæ. Uti cùm Gelu acrius diu perseveraverit, se in Veris usque pomœria longiùs extendens, derepente autem calidior tempestas succedat, *Pleuritides Anginæ* similésque morbi alii solent invadere, qualiscunque demum fuerit *Constitutio* annorum *Generalis*. Et quoniam hi nonnunquam Epidemicè grassantur perinde atque alii isti, idcirco ut hos ab illis Febribus dispescam, quæ ad certam annorum seriem determinantur, omnibus indifferenter annis communes *Intercurrentes* appellare libet.

Quanto autem â se invicem intervallo dissideant duo hæc Febrium Genera, quantum ad causas ab aere submINistratas, quoad alias tamen causas externas, ac Procatarcticas spectat; sæpenumerò conveniunt. Ut enim jam mittamus Contagium, quod quidem nonnunquam Febrium Stationariarum aliquibus ansam exporrigit, & crapulam taceamus, quâ matre proseminantur tum istæ Febres, tum hæ etiam de quibus jam ago; causa evidens externa Febrium quamplurimarum inde petenda est, quòd quis scilicet vel præmaturiùs vestes abjecerit, vel ab exercitio incalescens se frigori incautiùs exposuerit; unde Poris subitò occlusis, retentisque iis halitibus, quibus aliàs per cutis spiracula patebat exitus, hæc vel illa Febris species in sanguine succenditur, prout vel Generalis Constitutio, quæ tùm temporis obtinet, vel particulares humorum dyscrasiæ in hanc vel illam Febris speciem potentiùs determinaverint. Et sanè existimo plures modo jam designato, quàm *Peste*, *Gladio*, atque *Fame* simul omnibus perire: Etenim si quis ægrum Medicus de primâ morbi occasione paulò minutiùs interrogaverit, (modò ex Acutorum istorum numero sit quos suprà tractavimus) audiet quasi semper, vel eum vestem aliquam temerè deposuisse cui pridem assueverat, vel corpus motu excalefactum subitò frigori permisisse, atque ex alterutrâ harum προφάσει incidisse in morbum. Quam ob causam familiares meos semper moneo, ut nullo alio anni tempore quicquam vestium, quibus assuevere, sibi detrahant, nisi mense uno ante *Solstitium Æstivum*: Nec minori cum studio eosdem horror, ut ab exercitio calescentes frigus sedulò evitent.

At verò diligenter hîc loci notandum est, quòd licèt morbi isti, qui sub Intercurrentium titulo jam mihi tractandi veniunt, plerique, si non omnes, *Essentiales* fuerint morbi, sæpenumerò tamen Affectus quidam, tum eos quoad Phænomena referentes, tum eodem etiam insigniti nomine, istis Febribus superveniunt quas *Stationarias* appello, & sunt nuda earum *symptomata*: Quo in casu non jam illa Methodus adhibenda est, quæ iis debetur quoties morbi sunt Essentiales, at ista potiùs quam sibi postulat Febris cujus nunc

sunt

sunt symptomata, ad quorum quidem curationem ea leviter tantùm inflectenda est: In genere autem ad Anni Febrim seriò attendendum est, investigandumque quo illa pacto facillimè expugnari possit, Venæ sectione, an sudoribus, vel aliâ methodo qualibet. Hoc si susque deque habeatur, cum ingenti ægrorum discrimine persæpe errabimus. Si quis objecerit hos ipsos Affectus, quos ego Essentiales voco, & de quibus jam ago, reverâ symptomata tantùm esse respondeo, symptomata ea fortè esse respectu Febris ad quam propriè spectant, at symptomata sunt saltem Febrium, quæ illa semper ac necessariò producunt. V. gr. in *Pleuritide* Essentiali Febris ejus est indolis, ut semper materiam morbificam in Pleuram deponat; in *Angina* Essentiali ejus indolis est, ut eadem ad fauces semper amandet, atque ita se res habet in cæteris: Cùm ubi affectuum memoratorum utervis Febri superveniat, quæ ad hanc illamve annorum Constitutionem spectat, atque ab ea pendet, idem per accidens tantùm, neutiquam verò necessariò producitur. Quo nomine haud parum à se invicem disterminantur.

Jam autem, ut Affectus *Essentiales* mihi dictos ab iis qui *Symptomatici* tantùm sunt, ritè distinguamus, multum conferet nobiscum perpendisse, quod qualia sint symptomata quæ invasionem Febris hujus alteriusve *Stationariæ* comitantur, talia omnino erunt symptomata quæ insultum sive *Pleuritidis*, sive *Anginæ* sequuntur, quoties ejusmodi Febris Accidentia sunt tantùm. Quod quidem cernere erat in *Pleuritide symptomatica* prædictâ, quæ Febri per hyemem grassanti, anno 1675. superveniebat. Quotquot enim hac laborabant Pleuritide, ubi primùm corripiebantur, Capitis, Dorsi, & Artuum patiebantur dolorem; quæ certissima erant & maximè vulgaria Febrium earum omnium symptomata, quæ & antequam ingrederentur Pleuritides, invadebant, atque illis expirantibus adhuc durabant. Cùm quoties uterlibet horum Intercurrentium morbus *Essentialis* est, omnibus indifferenter unnis pari modo aggreditur, nihil prorsus habens commune cum Febre Stationaria per id tempus regnante. Adhæc symptomata omnia quæ post emergunt magis perspicua sunt, cùm non obscurentur ac confundantur ab aliorum φαινομένων, quæ naturæ sunt diversæ, & ad aliam spectant Febrem, admixtione. Præter hæc, Anni tempus, quo essentiales Intercurrentes plerique, non tamen omnes, solent infestare, haud rarò subinnuit ad quam classem hujusmodi Affectus referendi sint. At verò ad Morborum tum horum, tum aliorum etiam omnium Diagnosin, iis demum instructissimus accedet, qui observatione assidua ac diligenti ita intimè eorum Phænomena rimando perscrutatus fuerit, ut ubi eos inspexerit, genus statim nôrit distinguere; licèt Differentiarum characteristicarum aliæ ita sint fortasse subtiles ac delicatæ, ut easdem alteri verbis nequeat exprimere.

Quandoquidem autem variæ hæ Febrium species, [quantum quidem assequi possum ex Phænomenis, quæ tum morbos ipsos, tum medendi rationes attinent, sedulò pensiratis] peculiari, ac cuilibet morbo propriæ sanguinis inflammationi ortum debent suum, in eodem refrigerando contemperandóque omnis mihi ferè Curationis vertitur cardo: Methodo interim pro morbi genio

variata, & cui, experientiâ jugiter suffragante, ea species libentissimè concedit, materiæ morbificæ eliminandæ ubique satago. Et profectò in Febrium quarumlibet curatione omne punctum tulerit, quâ portâ excludenda veniat materia Febrilis, qui certò nôrit; Venæ-sectione v. gr. Sudoribus, Catharsi, aut si qua est alia magis opposita.

CAPUT. II

Febris Scarlatina.

Scarlatina Febris, licèt nullo non tempore possit incidere, ut plurimum tamen exeunte æstivo se prodit, quo quidem integras Familias, Infantes verò præ cæteris infestat, Rigent, horrentque sub initio, ut in aliis Febribus, qui hâc affliciuntur, neque vehementer admodum ægrotant; postea cutis universa maculis parvis rubris interstinguitur, crebrioribus certè & multo latioribus, magisque rubentibus, at non perinde uniformibus, ac sunt illæ quæ *Morbillos* constituunt. Ad duos tresve dies persistunt hæ maculæ, quibus demum evanescentibus, decedenteque subjectâ cuticulâ, restant furfuraceæ quædam squammulæ ad instar farinæ corpori insperſæ, quæ ad secundam aut tertiam vicem se promunt, conduntque vicissim.

* Cùm hic morbus nihil aliud mihi videatur, quàm mediocris sanguinis offervescentia à prægressæ Æstatis calore, aut alio aliquo modo excitata, nihil quicquam molior, quo minus sanguis sibi despumando vacet, & materiæ peccanti, quæ satis promptè adjungitur, per cutis poros ablegandæ. Quamobrem tum hinc & à Venæ-sectione, & ab Enematum usu mihi temperans (quibus remediorum formis facta revulsione particulas sanguini infestas cum eodem intimius permisceri, & motum Naturæ magis congruum sustlaminari autumo;) tum ex altera parte ab exhibendis Cardiacis, quorum æstu impetuosius fortè exagitabitur sanguis, quàm propagatâ & leni illâ separatione in qua jam totus est; (Quid quod & vehementior Febris hoc fomite possit accendi?) satis habeo ut æger à carnibus in solidum abstineat, & à liquoribus spirituosis quibuscunque, tum ut neque usquam foràs prodeat, neque se perpetim lecto affigat. Cute jam penitus desquammatâ, & cessantibus symptomatis, è re fore existimo, ut purgetur æger leni aliquo medicamento, ætati atque viribus accommodo. Simplici hâc & naturali planè methodo, hoc morbi *nomen*, vix enim altius assurgit, sine molestia, aut periculo quovis facillimè abigitur. Cum econtra si plus negotii ægris facessamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel Cardiacis aliisque remediis supervacaneis nimis doctè, & (ut vulgo videtur) secundùm artem supra modum ingestis, morbus statim intenditur, & æger non raro nulla alia de causa, quàm nimiâ Medici diligentiâ ad plures migrat.

* *Curatio.* Ve-

Veruntamen hoc animadvertendum volo. *Si Convulsiones Epilepticæ* vel etiam *Comæ*, huic morbo sub initium eruptionis supervenerint (quod quandoque accidit in pueris ac junioribus hoc morbo laborantibus) omninò oportet, ut *Epispasticum* amplum ac forte posteriori cervici applicetur; atque porrò ut *Paregoricum* è Syrupo de Meconio statim exhibeatur, repetendum singulis noctibus usque dum convaluerit; imperando interim ut æger bibat pro potu ordinario lac cum triplo aquæ coctum, & à carnis esu abstineat.

CAPUT III.

Pleuritis.

HIc morbus, quo nec alius frequentior, nullo non tempore infestat potissimùm verò anno inter Ver & Æstatem ambigente. Nam per id temporis sanguis â nova solis vicinia excaletactus in effervescentias & inordinatos motus effrænatiùs ruit, Temperamento sanguineo præditos præ reliquis aggreditur, sæpè etiam rusticos, *& auro jam fractos membra labore.* A rigore plerumque atque horrore orditur, quos excipiunt calor, sitis, inquietudo,& cætera Febrium symptomata plus satis nota. Elapsis pauculis horis, (licet aliquando multò serius ingruat symptoma hoc) æger vehementi dolore, eoque Punctorio, in laterum alterutro circa costas corripitur, qui nunc versus Omoplatas, nunc Spinam, nunc ex adverso versus anteriora pectoris se propagat. Tussi etiam crebrâ affligitur, quæ magnum adfert cruciatum, à partium inflammatarum contentione ortum, unde spiritum subinde reprimit, ut prima tussiendi molimina coërceat, Quæ singulis vicibus *Anacatharsi* rejicitur materia, sub initio morbi pauca & tenuis conspicitur, & sæpè sanguinis particulis intermista; sed procedente morbo copiosior est & magis concocta sanguine etiamnum permixto. Febris interea pari passu incedit, quin & vires sumit à symptomatis illis, quæ ab ipsa nascuntur. Atque dicta Febris cum funesto comitatu omni, (*Tussi* scilicet, *sputo sanguinis*, *dolore*, &c.) pro ratione liberioris materiæ morbificæ expectorationis, sensim minuitur. At verò materia hunc morbum committens, non semper, eodem procedente, concoctionem expectorationi debitam attingit: fit enim non rarò, ut materia paucula adhuc & tenuis, sicut in principio morbi, tussiendo educatur, & consequenter Febris cum reliquis symptomatis ne hilum remittat, donec ægrum jugulaverit. Æger interea nunc alvo est nimis adstrictâ, nunc solutâ nimis, dejectionibus cribris & liquidissimis. Est ubi morbo admodum invalescente, & Vena-sectione non celebratâ, æger ne tussire quidem valeat, sed immani dyspnœâ laboraus, tantùm non suffocetur inflammationis vi; quæ tanta aliquando reperitur, ut pectus ne ad spatium quidem respirationi debitum sine exquisitissimo dolore queat expandi. Est etiam ubi post ingentem inflammationem, & omissam Phlebotomiam, quæ nascente morbo fuerat imperanda

randa, mox ad Apostema res redit, *pure* in thoracis cavitatem subinde deplete; quoin casu, quamvis Primaria Febris vel omnino cessat, vel minùs saltem urget, attamen, in vado non est æger, sed *Empyemate*, atque *Febre Hectică* succedentibus, miser *Tabe* extinguitur.

Jam verò licèt *Pleuritis* propriæ illi atque specificæ sanguinis inflammationi, quæ eam, quando affectus primarius existit, producere solet, originem suam debeat; per accidens tamen aliis Febribus quandoque supervenit, cujuscunque demum generis eæ sint, ex præcipitatione scilicet materiæ Febrilis in pleuram, vel musculos intercostales. Atque illud quidem in ipso ferè Febris initio accidit, crudâ adhuc existente materiâ Febrili, nondumque per idoneam ebullitionem subactâ, adeoque nec ad separationem debitam per loca magis conferentia præparata. Hoc autem incommodi sæpissimè ex intempestivo ac præpostero calidorum medicamentorum usu infertur, qualia à nobilibus quibusdam fœminis exhiberi solent; quarum interim benevolentia charitasque multo meliùs in pascendis pauperibus, quàm in iisdem medicandis, collocaretur. Atque illæ quidem eo consilio [si tamen ullo utantur] id faciunt, ut in primo statim Febris insultu provocetur sudor; parum cogitantes, quàm inconsultò atque infeliciter idem tentent. Natura enim hoc pacto turbata, humores adhuc crudos existentes expellere, qua data porta cogitur; atque adeò nunc in cerebri Meninges impetu fertur materia Febrilis, indeque *Phrenitis* nascitur; nunc ad membranam costas succingentem idem malum appellit, ex quo *Pleuritis* oboriri solet; præsertim ubi ægrorum ætas ac temperamentum, annique tempestas inter Ver atque Æstatem ambigens, sua etiam symbola ad hanc rem contulerint: Certè enim tempestate illâ Febres in Pleuritidem transire proclives sunt.

Pleuritidem autem, ejusmodi quam diximus præcipitationi ortum suum debere, evacuati per Venæ-sectionem cruoris color subindicare videtur. Nimirum sanguis [saltem ille qui post primam vicem extrahitur) ubi refrixerit, sevi liquati præ se fert speciem ad crassitiem satis conspicuam, ac superficiem habet veri *puris* æmulam, & tamen ab eo longè diversam utpote quæ fibris instar reliqui sanguinis, arctè contexitur, nec ad modum puris defluit, quin à reliquo divulsa discolor illa pars, formam cuticulæ tenacis & fibris refertæ exhibet; & fortasse nihil aliud est quàm Fibræ sanguineæ, quæ rubicundo ac naturali suo integumento per præcipitationem exutæ, ambientis aëris frigore in membranam hujusmodi subalbidam concrevêre. At verò (ut id obiter attingam) animadvertendum est, quòd si sanguis è secta vena non recto flumine versùs Horizontem prosiliat, sed per cutim repens perpendiculariter dimanet, utut celeri se propipiat gradu sæpe tamen ad dictum colorem non accedit, cujus ego me causam nescire fateor: Neque æger ab istiusmodi sanguinis missione perinde levatur, ac si modo primùm descripto fluat. Quinimo cùm hoc ipso modo extrahitur sive orificium angustius, sive quid aliud obstiterit, quo minùs pleniori exeat gurgite, neque hic sanguis Pleuriticorum sanguinem colore æmulatur, neque æger par exinde commodum capit. Ob

ser-

ſervavi etiam, quòd ſi ſanguis recens extractus, quocunque demum modo fluxerit, immiſſo digito agitetur, ſuperficie rubenti ac florida, ut in aliis morbis quibuslibet, ſpectabitur.

Utut verò ſanguis ſe habet, Morbus hic tametſi infamis, & pleriſque aliis ſuapte natura periculoſior, tamen ſi peritè tractetur, facilè vincitur; & quidem non minùs certò conſtanter, quàm alii Medicorum conatus ad homines ab orci faucibus liberandos, morboſque averruncandos, perduci ad exitum felicem ſolent.

Variis hujuſce morbi Phænomenis diligenter perpenſis, nihil aliud illum eſſe arbitror, quàm Febrem à propria & peculiari ſanguinis inflammatione ortam, qua natura materiam peccantem in Pleuram dèponit, nonnunquam & in Pulmones, unde *Peripneumonia* ſuboritur; quam à priore, gradu tantùm, & pro majore ejuſdem cauſæ intenſione, extenuque latiori differre autumo.

* Hunc itaque in dicto morbo pellendo mihi ſcopum propono, ut ſcilicet ſanguinis inflammationem reprimam, & particulas ejuſdem accenſas, quæ in membranam coſtas ſuccingentem vim fecerunt, & incendio collabefactarunt omnia, per evacuationes debitas revellam.

Quamobrem in Venæ-ſectione ſpem ponens maximam, ut primùm accerſor, ſanguinem è brachio lateris affecti ad *uncias decem* aut circiter mittendum curo. Potionem deinde ſequentem ſtatim â Venæ-ſectione primùm celebrata ſumendam præſcribo.

℞. *Aq. Papav. Rhœad.* ℥iiij. *Sal. Prunell.* ʒj. *Syr. Violar.* ℥j. M. F. Hauſtus. Eodem tempore ſequentem Emulſionem præſcribo.

℞. *Amygd. dulc. N.* vij. *Sem. Melon. & Pepon. an.* ℥ß. *Sem. Papav. alb.* ʒij. *contundantur ſimul in mortario marmoreo, ſerſim affundendo Aq. Hord.* ℔ij ß. *Aq. Roſar.* ʒij. *Sacchar. cand.* ʒß. *M. F. Emulſio; Cap.* ℥iiij. *quartâ quâque horâ.* Pectoralia etiam impero frequenter uſurpanda, e, gr.

℞. *decoct. Pectoral.* ℔ij. *Syr. Violar. & Capillor. Ven. an.* ℥iß. *M. F. Apozema; Cap.* ℔ß. *ter in die.*

℞. *Olei Amygdal. dulc.* ℥ij. *Syr. Violar. & Capill. Ven. an.* ℥j. *Sacch. cand.* ʒß. *M. F. ſ. a. Eclegma, de quo lambat ſæpiùs in die. Oleum* etiam *Amygd dulc.* per ſe, vel *Oleum Sem. Lini* recenter extractum magno ſæpe cum fructu aſſumuntur.

Diætam quod ſpectat, carnibus omnino interdico, atque inſuper earundem decocto quamlibet limpidiſſimo. Conſulo ut juſculis veſcatur Hordeaceis, Avenaceis, & Panatellâ, & pro Potu utatur Ptiſanâ ex decocto Hordei cum rad. Acetoſæ, Liquirit. &c. ac nonnunquam Cereviſiâ lupulatâ tenui.

Porrò, ſequens Unguentum præſcribo. ℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ij. *Vng. Pomati, & Dialthææ an.* ℥j. *M. F.* Linimentum, quo inungatur latus affectum manè & ſerò, ſuperimponendo folium braſſicæ, Jubeo item, ut in dictorum remediorum uſu perſiſtat per omnem morbi decurſum.

Eodem ipſo die, quo primùm accerſor, ſi dolor vehementer urgeat, ſanguinis

* *Curatio.*

guinis eandem quantitatem rursus detrahi præcipio, vel nihilominus die sequenti, ut etiam tertio die; atque hoc modo ad quartam usque vicem, continuis quatuor diebus, (nisi prius æger convaluerit) Venæ-sectionem repeto, ubi scilicet dolor, atque alia symptomata admodum sæviunt. At verò, si vel morbus remissior & minoris periculi, patiatur ut lentiori pede progrediar, vel etiam dejectæ ægri vires non facilè ferant Venæ-sectionem post tàm brevia intervalla repetitam; Phlebotomiam jam bis celebratam non deinceps repeto, nisi interjecto die uno aut altero inter singulas vices. Quâ quidem in re normam mihi statuo Contraindicantia; hinc nempe morbi violentiam, inde verò imminutas fractasque ægri vires ad invicem trutinatas. Et quanquam in curandis morbis integrum mihi esse volo, ut plus minusve sanguinis pro rei ratione demendum præcipiam, ratò tamen observavi *Pleuresin* confirmatam in Adultis minori quàm 40. circiter *unciarum* sanguis impensâ sanatam: licet in Pueris semel tantùm aut bis secuisse venam ut plurimum sufficerit. Neque, quæ nonnunquam supervenit, *Diarrhœa*, repetendis jàm dictis Venæ-sectionibus obicem ponit, quæ quidem ipsa hac Methodo brevi sistetur, etiam non adhibitis medicamentis restringentibus.

Enemata vel in solidum omitto, vel maximâ, quâ fieri potest, inter repetitas Venæ-sectiones intercapedine curo injicienda, eaque non nisi simplicissima illa e Saccharo in lacte soluto.

Durante morbo id ago, ne æger nimis exæstuet, ac proinde liberum illi facio, ut lecto quotidiè eximatur, idque ad horas aliquot, prout vires suaserint; quod quidem tanti est in hoc morbi genere, ut si æger lecto jugiter affigatur, neque hæc tam larga sanguinis evacuatio, neque remedia alia utcunque refrigerantia, ad dicta symptomata perdomanda vel minimum aliquando proficiant.

Mox ab ultima Venæ-sectione, nisi fortè prius id contingat, symptomata omnia mitescent, & æger (qui per aliquot adhuc dies & à liquoribus spirituosis quibuscunque, & à crassioribus cibis arcendus est) pristinas vires non ita diu post resumet: quo quidem tempore non abs re erit, ut alvus tenuiori aliquo Cathartico solicitetur.

Jam verò si quem moveat, quod huic viæ insistentes, *Expectorationem* vix quidem attingamus, nedum quibus illa rationibus per varia morbi tempora sit promovenda, operosius disseramus; sciat ille hæc non per incuriam nobis excidisse, sed deditâ operâ diuque satis cogitata, neglecta tandem fuisse & præterita: Cùm semper existimaverim in summo discrimine versari illos, qui morbum hunc expectorationi eliminandum committerent. Nam ut tædium hujus methodi, quâ natura materiæ morbificæ ejiciendæ satagit, omittamus, nimiùm periculosæ insuper res est aleæ; cùm non ratò eveniat, parte aliquâ materiæ jam concoctâ, fortè etiam per ἀνακάθαρσιν rejectâ, reliquam adhuc crudam manere, idque successivè, præstantissimis quibusque remedis maturantibus expectorantibusque incassum usurpatis, cùm expectoratio nunc quidem satis auspicatò procedat, nunc penitus supprimatur;

ægri

ægro interim usquequaque periclitante, atque pro meo in expectorationem imperio (quod sané nullum prorsus est) sive vivis, sive etiam mortuis adjudicando. Cùm è diverso, mediante Venæ-sectione, morbifica materia penes meum sit arbitrium, & orificium à Phlebotomo incisum tracheæ vices subire cogatur. Quinimò constanter asséro, hunccè morbum, qui, si juxta præcepta à nobis damnata tractetur, inter patentissimas orci januas meritò recenseatur, æque certò ac turò Methodo jam à me præscriptâ (ut de brevissimo quo jam profligatus tempore nihil jam dicam) ac alium quemlibet morbum debellari. Nec dum mihi innotuit vel minimum damni à tàm larga sanguinis (ut imperitis videri potest) detractione cuiquam fuisse illatum.

Sæpè quidem aggressus sum in tractando hoc affectu, θεραπείας rationem aliquam stabilire, quæ citra ingentem hanc sanguinis jacturam subsisteret, nempe vel humorem resolvendo, vel expectorationis promotionem illum evacuando: Sed nondum ea sors mihi contigit, ut huic ipsi, supra memoratæ praxi; parem aliquam reperire potuerim, cujus beneficio (non obstante tristi illa apud Hippocratem de *Pleuritide sicca*, prognosi) ægrum etiam non motatus expectorationem ab insultu morbi vindico; per ipsum sectæ venæ orificium & Pleuritidi fugam parans, & sanitati reditum.

Quandoquidem verò hujus morbi curatio in repetita venæ-sectione ferè tota stat, quæ tamen ab imperitis Chirurgis, & nescio quibus Medicastris in locis ab oppidis populosioribus longé dissitis celebrata, miseros à *punctura Tendinum* in artûs amittendi, atque adeo in vitæ magnum discrimen sæpissimè conjicit; non è re fore duxi, rationem huic malo succurendi, si fortè fortunâ impingatur, hîc subnectere. Qui verò punctura hujusmodi plectuntur, dolorem non statim sentiunt, sed duodecim horis post Phlebotomiam se eodem affici conqueruntur, non tàm in orificio nuper facto, quàm in partibus ad axillam tendentibus, ubi tandem dolor se figit, & tunc maximè percipitur, cùm brachium extenditur; attamen læsa pars tumore admodum insigni non afficitur, eodem avellanæ magnitudinem vix superanti, sed ex orificio humor aqueus vel ichor quidam jugiter destillat, quod quidem præcipuum punctura tendinis diagnosticum est habendum. Ita curatur, ut & propriis oculis ipsus observavi.

℞. *Rad. lilior. albor.* ℥iiij. *Coq. ad teneritudinem in lactis vaccini* ℔j. *Deinde* ℞. *farin. lini. & avenac. an.* ℥iij. *Coquantur farinæ ad Cataplasmatis consistentiam in. f. q. lactis à radicibus prædictis colati, & radicibus contusis misceantur. f. Cataplasma, parti affectæ calidæ applicandum mane & vesperi.*

CAPUT VI.

Peripneumonia Notha.

HYeme ingruente, at sæpius sub ejusdem exitum, Vereque adhuc nascente, quorannis emergit Febris *Symptomatis Peripneumonicis* haud paucis

paucis conſpicua. Paulò habitiores ac craſſos ea præ cæteris aggreditur; virilem ætatem vel aſſequutos, vel etiam (quod ſæpius accidit] prætergreſſos, liquoribus ſpirituoſis (vini maximè ſpiritui) plus æquo addictos. Cùm enim in hujuſmodi hominibus ſanguis humoribus pituitoſis, brumæ tempore congeſtis, fuerit oneratus, atque idem ab ineunte Vere in novum motum ciea-tur, Tuſſis hanc nacta occaſionem, mox ſubingreditur, quâ miniſtra dicti humores pituitoſi in pulmones irruunt: quo tempore ſi fortè æger nullo vivens conſilio, liquores ejuſmodi ſpirituoſos adhuc liberaliùs hauriat, craſſeſcente jam ferè quæ tuſſim excitabat materia, & ab ea præcluduntur Pulmonum aditus, & Febris omnem ſanguinis maſſam depaſcitur. Primo Febris inſultu nunc incaleſcit æger, nunc friget: Vertiginoſus eſt, de capitis dolore queritur lancinante, quoties Tuſſis importuniùs fatigat. Potulenta omnia vomitu rejicit, nunc ſine Tuſſi, nunc illa vexatus. Urina turbida cernitur, & rubens intensè. Sanguis detractus Pleuriticorum ſanguinem refert, Anhelus ſæpenumerò ſpiritum crebro ac celeriter ducit. Si moneatur ut Tuſſim provocet, haud aliter dolet caput, ac ſi in partes mox diſſiliret (quâ loquendi formula ægri ut plurimum utuntur.) Dolet & Thorax omnis, vel ſaltem pulmonum coarctatio adſtantium auribus percipitur quoties tuſſit æger, pulmone non ſe ſatis dilatante, præcluſis adeò ab intumeſcentia, ut videtur, meatibus Vitalibus; unde intercepta circulatione, ſanguineque quaſi præfocato, nulla ferè, præſertim in habitioribus, Febris indicia ſunt; licèt hoc accidere etiam poſſit ob materiæ Pituitoſæ copiam, qua horum ſanguis gravatus in plenam ebullitionem nequit aſſurgere.

* In curanda hac Febre id mihi negotii dari ſentio, ut ſanguinem iſtum, qui ad Pulmonum & ſuffocationem & incendium facit, Phlebotomia revellam; ipſos pulmones remediis Pectoralibus deobſtruam atque eventilem; & diætæ refrigerantis ope, totius corporis calorem compeſcam. Cùm verò *hinc* materiæ Pituitoſæ ſaburra in venis contenta, Pulmonum inflammationi fomitem quotidiè ſubminiſtrans, Venæ-ſectionem ſæpe repetitam videretur indicare; *illinc* verò obſervatio, quam facere potui diligentiſſima, me doceret Phlebotomiam ſæpe repetitam Febricitantium iis qui craſſiore eſſent corporis habitu (præſertim ætatis florem prætergreſſis,) peſſimè ceſſiſſe, atque adeò ab ejuſmodi repetitione haud minùs abſterreret; *Catharſin* ego crebriorem Venæ-ſectioni ſuccenturiabam, quæ ei ſatis rectè ſubſtituitur, in illis qui à largiori & iterata ſæpius Phlebotomia abhorrent.

Ad hunc itaque modum proceſſi; ſanguinem è brachio in lecto jacentis extrahendum præcepi, nec paſſus ſum ut ex eo ſurgeret ad duas treſve horas; cùm omnis ſanguinis eductio, quæ univerſam corporis compagem labefactat quadantenus concutitque, hoc pacto facilius toleretur; ita ut mitius cum ægro agatur cum in lecto cubanti unciæ decem fuerint detractæ, quàm ſi ſex ſeptemve tantum amiſerit, poſtquam è cubili ſurrexerit. Die ſequenti Potionem ſequentem mane ſumendam propino.

℞. *Caſſiæ extract.* ℥j. *Glycyrrhizæ* ℥ij. *Ficus pingues N.* iiij. *fol. Senn.*
* *Curatio.* ℥ijß.

℥iiß. *Agarici trochiscat.* ℨj. *Coq. ſ. q. Colat.* ℥iiij. *diſſolve Mannæ* ℥j. *Syr. Roſ. ſolut.* ℨß. *Miſ. f. potio.*

Poſtridie ſanguinem ſecunda vice mittere ſoleo, atque interjecto die uno Potionem Catharticam modo præſcriptam iterum exhibeo, diebus alternis jugiter repetendam, donec omnino convaluerit æger. Diebus à purgatione vacuis, *Decocto Pectorali*, *Oleo Amygdal. dulc.* ac id genus aliis, ut utatur conſulo.

A Carnibus & earum juſculo, maximè vero à liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque, ægrum interim inhibeo; quorum loco Ptiſanam ex hordeo & liquiritia, (Cereviſiam item tenuem, ſi eam efflagitet) pro potu ordinario concedo.

Atque iſta quidem methodo vincenda eſt *Peripneumonia* hæc *Notha*, orta ab exundanti colluvie Pituitoſa in ſanguine ageſta ob Hyemis analogiam, & in pulmones exploſa; in qua non tantùm iterata Venæ ſectio, ſed & Catharſis etiam indicabatur, ſecus atque in *Vera Peripneumoniâ*: quam ego ejuſdem plane indolis cum *Pleuritide* eſſe arbitror, atque ab illa in eo tantùm differre, quod *Peripneumonia* Pulmones univerſalius afficiat. Quin & utrique morbo pari omnino methodo medemur, Venæ-ſectione ſc. præ cæteris, & medicamentis Refrigerantibus.

Notha hæc *Peripneumonia*, licèt ad *Aſthma ſiccum* aliquantulum accedat, tum quoad ſpirandi difficultatem, tum etiam alia quædam ſymptomata, ab illo tamen ſatis dignoſcitur, cùm in iſta manifeſta Febris atque inflammationis ſigna ſe prodant, quæ in hoc nuſquam comparent; quamlibet in hac ſpecie minora ſint longè ac obſcuriora illis quibus inſignitur *Vera Peripneumonia*.

Diligenter autem animadvertendum, quòd ubi Vini ſpiritui aut aliis id genus liquoribus, cum hoc morbo conflictantes ſe olim addixerint, minimè tutum erit eos ſtatim ac derepente ab iis depellere; ſed ſenſim id agendum, quo minus *Hydropi* tam repentina mutatio ac abrupta viam ſternat. Quod etiam in morbis quibuſcunque ab hac προφάσει oriundis, obſervari debet. Cum vero de *Spiritu Vini* mentio fuerit facta, hîc obiter dicam. Optandum ſanc eſſet, quod aut idem omnino exulet, aut ſaltem ſpiritibus reficiendis, non vero iiſdem extinguendis uſurpetur: niſi quis internum ejus uſum prorſus abdicandum maluerit, proindeque à Chirurgis ſolum ad *Vlcera digerenda* fotubus immiſcendum, aut *Ambuſtis* extus admovendum: quo poſtremo caſu omnibus remediis, quotquot adhuc inventa fuere, hic liquor facile palmam præripit, cum cutem ſubjacentem ab omni putrefactione tueatur ac vendicet, atque eo nomine curationem quam cito abſolvat, *digeſtionem*, quæ non niſi admodum tarde ſua tempora percurrit, etiam non moratus: nempe ſi lintea ſpiritu vini imbuta partibus ab aqua ferventi, pulvere pyrio, vel ſimili læſis, quam primum hoc infligitur malum, applicentur, eademque ſpiritu dicto madefacta ſubinde repetantur donec dolor ab igne penitus evanuerit, & poſtea ſolùm bis in die.

CAPUT V.

Rheumatiſmus.

NUllo non tempore inceſſit hic morbus, maximè *Autumno*, & præ cæteris annis florentes & οἷς γόνυ χλωρόν. Hac ut plurimum occaſione naſcitur; æger ſc. ſive exercitio aliquo vehementiori, ſive alio modo excalefactus, mox repentinum frigus admiſit. A rigore atque horrore oriditur tragœdiam, quos ſtatim excipiunt calor, inquietudo, ſitis, & reliqua illa infœlix ſymptomatum caterva, quibus ſtipantur Febres. Elapſo die uno alterove, (eſt & ubi citiùs) æger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infeſtatur, in carpis, humeris, genubus præſertim, qui locum ſubinde mutans, viciſſim illos occupat, rubore quodam & tumore in parte quam poſtremùm affecit adhuc teſiduis. Primis aliquot diebus, Febris & ſymptomata jam memorata quandoque coincidunt; Febris autem ſenſim evaneſcit, manente dolore, quin & nonnunquam immanius ſæviente, materia ſc. febrili in artus translata; quod ſatis arguit Febris ipſa ſæpiùs recrudeſcens ob materiam morbificam ab intempeſtivo Externorum uſu repercuſſam. Morbus hic quoties à Febre ſejungitur, *Arthritis* ſæpe audit; quamvis eſſentialiter ab illa diſtinguatur, prout cuivis facilè conſtabit, cui uterque morbus intimius fuerit perſpectus: unde forſan petenda eſt ratio, cur tam ſicco illum pede tranſiverint ſcriptores Medici: Niſi forte arbitremur, hanc morbi ſpeciem ad reliquam malorum Iliada de novo acceſſiſſe. Utut ſe res habeat, jam plusſatis graſſatur hic morbus; & licèt rariſſimè hominem è medio tollat, Febre ſemel depulſa, tamen & vehementia doloris & diuturnitas eum prorſus contemni non ſinunt. Etenim ſi minus peritè tractetur, non ad menſes tantùm, ſed ad annos etiam aliquot, imò per omnem adeò vitam miſerum haud infrequenter diſcruciat; quamvis in hoc caſu, non eodem ſemper vigore, ſed Paroxyſmis quibuſdam periodicè repetitis, ad inſtar Arthritidis, ſubinde laceſſit: imò verò poteſt fieri ut ubi diu multumque vexaverint dicti dolores, tandem ſponte deſiſtant; atque interim æger omni membrorum motu ad mortem uſque privetur, digitorum articulis quaſi inverſis, & protuberantiis, ut in Arthritide, nodoſis in interna magis quam externa digitorum parte ſe prodentibus: ſtomacho nihilominus valeat, & cætera ſanus vitam toleret.

Eſt & alia hujus morbi ſpecies, licet non hujus eſſe proſapiæ vulgò credatur, quæ *Lumbago Rheumatica* aptiſſimè dicetur: immanis dolor. ſc. idemque fixus circa lumborum regionem, ipſumque aliquando ad os ſacrum ſe demittens, *Paroxyſmum Nephreticum* mentitur; niſi quod æger non vomiturit: nam præter dolorem atrociſſimum & vix ferendum circa ipſos renes, aliquando & ureteres per omnem eorum ductum ad veſicam uſque, eodem licet mitiori, tentatur. Qui & mihi olim impoſuit, tanquam à materia aliqua ſabuloſa in iis partibus hærente penderet; cùm revera materiæ *Rheumaſtimi* peccanti

canti & inflammatæ ortum suum debeat, quæ quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore. Immanis his dolor, nisi abigatur eodem modo, quo prior species pariter etiam perdurat, pari sævitiâ excrucians; adeo ut miser nequeat procumbere, sed vel è lecto exiliat, vel super eodem erectus sedeat, corpore interim perpetuâ agitatione nunc versus anteriora, nunc posteriora inclinato, reductoque.

* Cùm utraque hæc morbi species ab inflammatione videatur oriri, quod tum jam dicta arguunt Phænomena, tum præsertim sanguinis Venæ-sectione educti color, utpote qui Pleuriticorum sanguini tàm est similis, quàm ovum ovo, neque quisquam reperiatur, qui hos inflammatione laborare vel quidem dubitaverit; his, inquam, ita se habentibus, censeo ego, Curationem non aliunde quàm à Phlebotomia debere sumi, sanguine interim contemperato, ejusque nimio fervore represso, tum medicamentis refrigerantibus atque incrassantibus, tum etiam conveniente regimine.

Ac proinde ut primùm accersor, statim sanguinis ℥x è brachio lateris affecti mitti jubeo, & Julapium refrigerans incrassansque ad hanc ferè normam præscribo. ℞. *Aq. Nymph. Portulac. & Lactuc. an.* ℥iiij. *Syr. è limonibus* ℥ij ß. *Syr. Viol.* ℥j. *M. f. Iulap. de quo libat ad lubitum*: vel etiam Emulsionem in curatione morbi lateralis jam descriptam. Ad dolorem sedandum, *Cataplasma è mica Panis siliginei, & lacte croco tincto*, vel *fol. brassicæ* parti affectæ applicandum, & sæpè renovendum curo. *Diætam* quod spectat, carnibus prorsus interdico, quin & eorum jusculo, quantumlibet tenui limpidoque; quibus substituo juscula Hordeacea, Avenacea, Panatellam, & ejusmodi. Cerevisiam tenuem mitemque pro potu tantùm concedo, vel etiam (quæ magis ad rem facit) Ptisanam ex hordeo, rad. Liquirit. Acetosæ, &c. in aqua fontanâ incoctis. Volo interim, ut per aliquot horas singulis diebus lecto se abstineat, cùm calor, qui à jugi decubitu, morbum promoveat intendatque.

Die sequenti sanguinis tantundem detrahi præcipio; atque interculato die uno alterove, pro ægri viribus, tertiò; dein interjecto trium quatuorve dierum intervallo [prout ægri vires, ætas, constitutio, aliæque circumstantiæ suadent monentque] quartò, atque ultimò ut plurimum, Venæ-sectionem repeto; rarò enim usu venit, ut ultra quartam vicem venam incidamus, nisi vel regimen justò calidiùs præcesserit, vel medicamina calidiora ægro præter necessitatem fuerint ingesta. Quin & Anodyna sive Paregorica dicta Remedia effusiorem sanguinis missionem postulant: Quamobrem utut sæviat dolor, per omnem hujus morbi decursum, religiosè mihi ab his temperandum existimo, modò mihi animo sit curationem a sanguinis missione solùm petere, cum illorum usu figatur morbus, neque tàm facilè Venæ-sectioni cedat; quæ ideò ob hæc ipsa medicamenta officiosè nimis exhibita, sæpiùs quàm erat opus, celebranda est. Quid quod & in morbi statu, neque eam, quam titulo pollicentur, ἀναλγησίαν valeant præstare.

Interim dum prædicta remedia, diætaque sedulò usurpantur, *Enema* è Lacte

* *Curatio.*

saccharato subinde injici curo, diebus scilicet à Phlebotomia vacuis. Porrò ut hæc omnia ad dies minimùm octo ab ultima Venæ sectione diligenter observentur, seriò hortor moneoque; quibus elapsis, *Potionem Cathartícam* è Lenitivis præscribo manè hauriendam, & insequenti vesperi dosin paulò liberaliorem *Syr. de Meconio in Aqua fl. Paralys.* quo sc. sanguinis orgasmus, unde & recidivæ periculum aliter intentari poterit, penitus reprimatur. Quibus ritè peractis, ut in pristinum vitæ genus (quoad victum, exercitia (atque aërem) pedetentim se recipiat, lubens patior, ita tamen ut neque vinum, neque liquorem spirituosum quemlibet, neque etiam cibos, sive sale, sive aromatis conditos, sive etiam Νοσοκομεῖα quæcunque, nisi diu posteà degustare licear.

Post venam, quoties supra innuimus, pertusam, ægri dolores admodum imminuentur, neque tamen adhuc prorsus evanescent; at verò resarcitâ, quam fecerat sanguinis detractio, virium jacturâ (superveniente maximè proximo illo anni tempore, quod magis faciet ad redintegrandum corporis robur, quàm id, quo primum decubuit æger) symptomata ad unum omnia cessabunt, atque æger pancraticè imposterum valebit.

Jam verò, tametsi prædictâ Methodo, aut aliâ huic similis, tempestivè atque sub ipso morbi ingressu adhibitâ, eum, quem jam dixi, finem utplurimum sortiatur; non rarò tamen accidit, ut ubi æger per errorem contrario planè modo fuerit tractatus, doloribus vagis, nunc quidem mitioribus, nunc verò atrocioribus, per omnem vitam misere discrucietur: qui quidem minus cautis nullo negotio imponunt, & pro *Scorbuti* symptomatis vulgò habentur. Hîc enim obiter, sed & liberè tamen dicam, quod licet nullus dubitem, quin *Scorbutus* in his Plagis Borealibus reverà inveniatur, tamen eum morbum non tam frequentem, quam fert vulgi opinio, occurrere persuasum mihi habeo; multos autem ex iis Affectibus (ne pluribus dicam) quorum nomine *Scorbutum* incusamus, vel morborum *Fientium*. nondum verò *Factorum*, quique nullum adhuc certum induerunt Typum, effecta esse; vel etiam infelices *reliquias* morbi alicujus nondum penitus devicti; à quibus sanguis cæterique humores contaminantur: Verbi gratiâ, quibus in corporibus materia aliqua *Arthritidi* producendæ apta recens generatur, nondum tamen in artus depluit, varia se ostendent symptomata, quæ *Scorbuti* suspicionem facient, donec *Arthritis* jam formata, atque actu se exercens, nullum amplius dubitandi locum relinquat. Neque ignoramus, non pauciora symptomata *Scorbutum* mentientia, *Podagricos* jam à Paroxismo liberatos infestare (dum scilicet vel intempestivus evacuantium usus, vel ægri effœta ætas, vel alia aliqua causa naturam interpellaverit, quò minus materiam omnem Arthriticam in artus exonerare valuerit; quæ adhuc retentam, cùm ἀνεπίδεκτον existat, totam sanguinis massam inquinat, & confertissimo pessimorum symptomatum agmine hominem lacessit. Quod quidem non de *Arthritide* tantùm, sed & de *Hydrope* adhuc incipiente dictum volo; de quo morbo licet vulgò jactetur, *Ubi desinit Scorbutus, ibi incipit Hydrops*, hæc tamen regula

sæpe

sæpe sæpius non aliter est accipienda, quàm quòd, ubi primùm se *Hydrops* manifestis prodit indiciis, præconcepta de *Scorbuto* opinio statim collabascit. Potest & idem hoc affirmari de quamplurimis aliis morbis Chronicis, vel adhuc in corpore humano nascentibus, quique proinde nondum certum aliquem sibi cuderunt Typum; vel etiam de illis, qui, licet partim fugati sint, nondum tamen penitus debellati exterminatique videntur. Et sanè nisi hoc concedamus, *Scorbuti* nomen, uti hodiè fit, in immensum crescet, & omnem ferè morborum numerum absolvet. Cùm, si id sedulò agamus, ut abdita cujusque morbi penetralia perscrutemur, eumque post irregularium symptomatum vela latentem eruamus, suâ se mox specie fit proditurus, & ad illam ad quam attinet familiam haud difficulter relegandus. Quin & Methodus, quâ hujuscemodi morbi sunt abigendi, non adulterinis illis symptomatis, sed ipsi morbo, qualisnam is demum fuerit, ceu perfectè formato, jamque actu existenti accommodanda.

Sed hic notandum, non adeò consultum esse, quando *Rheumatismus* aliquot annorum Diuturnitate altas radices egit, sanguinem tam brevibus ac sub ejusdem primordiis fiebat, intervallis mittere; quin præstare, septimanarum aliquot intercapedine repetitas illas Venæ-sectiones disterminare; quæ tandem vel penitus materiam morbificam averruncabunt, vel saltem eò conducent, ut Fontanellâ in crurum alterutro excitatâ, & Spiritu quovis Volatili in vino Canarino manè & serò exhibito, reliquiæ ejus extirpentur.

Jam verò quantumcunque discriminis inter verum Rheumatismum, ut supra innui, & Scorbutum intercedat, aliam tamen speciem esse Rheumatismi quæ ad Scorbutum quam proximè accedit, omnino confitendum est, utpote quæ insigniora hujus morbi symptomata æmulatur, & pariter eadem fermè remedia sibi vendicat, ideoque mihi *Rheumatismus Scorbuticus* audit. Dolor nunc hanc, nunc illam partem obsidet, sed eadem in tumorem ac in alia specie ratò attollit, neque febrim sibi comitem adjungit. Insuper non adeò fixus manet, sed indolem magis vagam ac incertam refert, cum anomalis inconditisque symptomatis stipatus. Nunc hunc vel illam artum discruciat, mox internas solùm partes afficit, proindeque ægritudinem parit, quæ redeunte externarum partium dolore iterum se propipit; ita ægrum alternatim divexans, ac in diuturnitatem longam se protrahens, ad instar morborum, qui vel maximè Chronici habentur. Fœminas præ reliquis adoritur, ut & viros, qui imbecilliori naturâ sunt; adeoque ad affectuum hystericorum classem referri debere planè suspicarer, nisi quòd iteratâ experientiâ comprobassem eum remediis hystericis minimè cessisse. Illi etiam, qui longum & repetitum *Corticis Peruviani* usum experti sunt, huic malo sunt obnoxii; quod quidem [ut obiter attingam] unicum est incommodum, quod ex hoc remedio illatum novi unquam. Sed utut id sit, hic affectus sive ex hac occasione, sive ex alia quacunque causa originem ducit; quam facillimè debellatur vinciturque usu sequentium, quæ nisi privato commodo publicum prætulissem prorsus mihi reticenda essent. Etenim his solis quam multos, eo quo descripsimus modo

laborantes, ſanavi, quibus Venæ-ſectiones, quantumlibet repetitæ, Cathartica, Diæta lactea, Pulveres teſtacei, &c. ne hilum profecerunt. Atque hæc ſunt.

℞. *Conſerv. Cochlear. hortenſ. rec.* ʒij. *Iujul.* ʒi. *pulv. Ari Comp.* ʒvj. *cum ſ. q. ſyr: Aurant. f. Electuar. Capiat* ʒij. *ter in die per menſem integrum, ſuperbibendo aquæ ſequentis* ʒiij.

℞. *Cochlear. hortenſ. M.* viij. *Beccabung. Naſturt. aquat. ſalviæ, menthæ, an. M.* iiij. *Cort Aurant. n.* vj. *nuc. Moſchat. contuſ* ʒß. *Infundantur in Cereviſiæ Brunſvicenſis* ℔ xij. *ac diſtilentur organis communibus, & eliciantur tantummodo Aquæ* ℔vj. *pro uſu.* Atqui præciſa doſis *pulv. Ari comp* obſervetur, aut ſaltem eadem non minuatur.

CAPUT. VI.

Febris Eryſipelatoſa.

NUllam non corporis partem, idque nullo non tempore inceſſit hic morbus, at præ reliquis faciem, exeunte præſertim æſtate, quo tempore ſæpe dum ſub dio verſatur, corripitur æger. Facies ſiquidem ex improviſo in tumorem attollitur, qui ſubitò exorſus cum dolore ruboreque ſummis, denſo minimarum puſtularum ordine diſtinguitur, quæ auctâ magis inflammatione in veſiculas ſubinde faceſſunt: hinc per frontem ipſumque caput latiùs ſerpit, oculis interim tumoris magnitudine planè obrutis [ruſticis *Syderatio* audit;] neque multum profectò abludit, niſi quod adſunt puſtulæ, ab iis ſymptomatis, quæ inflicta ab apum veſparumque aculeis comittantur vulnera. Hoc ſe habet modo *Eryſipelatis* notiſſima ſpecies ac vulgaris,

At verò quamcunque corporis partem hoc vitium obſederit, ut etiam quocunque anni tempore rigor atque horror, niſi præceſſerint [quod nonnunquam pridie, aut nudius-tertius ſolet contingere,] huic ſe inflammationi utplurimum adjungunt, ſitis inſuper, inquietudo, ac reliqua Febrium indicia, procedente morbo, uti primùm Febris dolorem, tumorem, atque alia peperit ſymptomata, (quæ indies ingraveſcentia nonnunquam in *Gangrænâ* terminantur,) ita hæc invicem haud mediocrem ad Febris augmentum conferunt operam, donec remediis idoneis utraque reſtinguantur,

Eſt & alia hujuſce morbi ſpecies, licet rariùs occurrens: Hæc quolibet anni tempore invadit, idque hâc utplurimum προφάσει, quod ſcilicet æger vinorum ſubtilium magis magiſque attenuantium potationi paulò liberaliùs indulſerit, aut liquoris ſimilis ſpirituoſi. Febriculam, quæ in agmen ducit, mox excipit: puſtularum per univerſum ferè corpus eruptio, quæ urticarum punctura referunt, & nonnunquam in veſiculas attolluntur, mox recedentes tuberculorum more ſub cute ſe condunt cum pruritu modaciſſimo & vix tolerando, ac quoties leviſſimam ſcalpturam ſubeunt, rurſum apparent.

* Hic ego materiam peccantem ſanguini permixtam ritè evacuandam; ejuſ-

* *Curatio.* demque

demque sanguinis ebullitionem remediis illam contemperantibus sufflaminandam censeo; eam denique, quæ jam partibus impacta est, materiam evocandam, discutiendamque.

Hæc ut fiant, ubi primùm accedo, satis largam sanguinis quantitatem è brachio extrahi præcipio, qui quidem Pleuriticorum sanguinem ferè semper æmulatur. Die sequente blandam illam Potionem Catharticam mihi in Praxi familiarem exhibeo, & horâ somni [si paulò frequentiùs dejecerit æger] haustum aliquem Paregoricum. e. gr. *Syr. de Meconio in. Aq. fl. Paralys.* vel alium ejusmodi. Peracta Catharsi, partem affectam sequenti decocto foveri jubeo. ℞. *Rad. Alth. & Lil. an.* ℥ij. *fol. Malv. Sambuc. Verbasc. an. M.* ij. *flor. Melilot. summit. Hyper. & Centaur. min an. M.* j. *Sem. Lini & Fænugr. an.* ℥ß. *Coq. in. s. q. aq. ad* ℔iij. Colatur liquor & tempore usus adde singulis libris Decocti, *Spir. Vin.* ℥ij, Stuphæ è panno laneo levis texturæ hoc decocto immersæ ac expressæ calidè, admoveantur parti bis in die, quæ post fotum quotidie illinatur seq. mixturâ ℞. *Spir. Vin.* ℔ ß. *Theriac. Androm.* ℥ij. *pulv. Piperis longi Caryophyl. an* ʒ j. *M.* Charta emporetica hâc mixturâ madefacta parti circumvolvatur.

Æger insuper ut jusculis tantùm hordeaceis atque avenaceis, cum pomis assatis vescatur, volo; tum etiam cerevisiâ utatur tenuissimâ, & per horas aliquot singulis diebus à lecto sibi temperet. Hâc methodo tum Febris, tum alia symptomata citissimè utplurimùm fugantur. Sin aliter, rursus venam seco; quod & tertium nonnunquam fieri debet, interposito semper die uno, si prava nempe adsit sanguinis diathesis, & Febris intensior. Diebus à Venæsectione liberis *Enema* è Lacte cum Syr. Violaceo, & Julap. refrigerantia ex Aq. Nymph. &c. in *Rheumatismi* curatione jam dicta, qualibet horâ diei usurpanda præscribo. Ut plurimum verò unica Venæ-sectio & subsequens Catharsis, si tempori adhibeantur, rem expediunt.

Quæ urticarum puncturas, cum pruritu, refert species pari modo est amolienda, nisi quod hæc remediis ab extra applicandis minus egeat.

Hic obiter dicam, quod licet non solùm hic affectus, de quo jam loquimur, sed & plerique eorum, qui cutim impetunt, & eruptionem aliqualem comitem sibi adjungunt (modò Chronici, ii sunt) facilè huic methodo cedant, ac proinde sanguinis missione & Catharsi iteratis brevi se proripiant, eorum tamen aliqui viâ planè diversâ tractandi sunt, nec evacuationes modò dictæ quantumlibet repetitæ, nec *pulveres testacei* sanguini edulcorando destinati quicquam proficiunt, cùm recrementa quædam pravam diathesin adepta intimiùs cuti impingantur, non nisi remediis, quæ sanguini robur ac vim conciliant, proindeque cutis spiraculis deobstruendis apta nata sunt, ullatenus amovenda debellandaque: Cùm successu itaque non vulgari sequentem methodum aggressus sum in *Pruritu ferino*, atque inveteratis id genus cutis eruptionibus. Ut.

℞. *Theriac. Andromach.* ʒß. *electuar. de ovo* ℈j *rad. serpentar. Virgin. subtilissˢ. pulverat. gr.* xv *lapid. Bezoard. Orientat. gr.* v. *cum s. q. syr.*

e Cor-

è Conditurâ Citri f. Bolus, ſumendus mane & horâ ſomni per dies 21, *ſuperbibendo Cochl.* vj. *ſeq. Iulapii.*

℞. *Aq. Card. Benedict.* ℥vj. *aq. epidem. & theriacal. ſtillat. an.* ℥ij. *ſyr. Caryophyl.* ℥j. *m. f. Iulapium.*

Singulis matutinis poſt aſſumptum medicamentum ſudet horæ unius vel alterius ſpatio, vel potius pluribus ſtragulis quàm toleret coopertus in lectulo levi madori indulgeat per dictum tempus. His finitis ſi puſtulæ adhuc non evanuerint, ſequenti linimento partes affectæ inungantur: ℞. *Unguent. ex oxylapatho* ℥ij. *unguent. pomati* ℥j. *flor. ſulphuris* ʒiij. *ol. Rhodii* ʒß. *f. liniment.* Verumtamen medicamenta præſcripta haud uſurpentur, niſi Venæ-ſectione atque catharſi ritè præmiſſis; quæ tametſi ſolùm adhibitæ curationem non abſolvunt, ægrum tamen contra febrim præmuniant, ob uſum medicaminum calidorum aliàs occurſuram.

Eſt & alia *Eruptionis* ſpecies, etſi minùs frequens, ad cujus medelam nullæ prorſus evacuationes conferunt. Hæc tametſi in aliis quandoque partibus, ut plurimum tamen in pectore apparet, ac loco aliquo determinato ſe figit, vix cutim ſupereminens, atque latiorem maculam præ ſe ferens, niſi quod aliquantulum porriginoſa, ac quaſi furfuracea, cum ſquamulis colore ad flavum vergente tinctis, cernitur. Hac ſive *macula*, ſive *impetigine* vigente; æger bene ſe habet, eadem vero evaneſcente, ut ſæpe fit, leviculam ægritudinem patitur, atque urina ejus turbidior, & rubicundior, ſed ad flavedinem accedens, redditur. In hujus etiam affectûs curatione eadem via atque iiſdem poſt evacuationes univerſales, plane remediis inſiſtendum ac in Pruritu ferino modo dicto; ac proinde, quod non omittendum, vini, ut & carnium ἐυπέπτων uſus omnino concedendus, cùm refrigerantia omnia magis officiant quam proſint. Atque ita hæc poſtrema Eruptionis ſpecies curatur, quæ tamen aliquando non niſi *Aquis Ferreis* diu epotis cedet.

CAPUT VII.

Angina.

QUolibet anni tempore aggreditur, maximè tamen illo, quod Ver atque Æſtatem interjacet, juvenes præ cæteris, & temperamento ſanguineo præditos; Rufus etiam, quod non ſemel obſervavi, præ reliquis omnibus. Rigent horrentque mox à primo morbi inſultu, ſequitur Febris, & paulo poſt dolor, & Faucium inflammatio; cui niſi mature ſuccurratur, æger ſtatim nec deglutire valet amplius, nec ſpiritum per nares ducere, ſed cum ſenſu quodam ſtrangulationis præcluduntur Fauces ab inflammatione & tumore Uvulæ, tonſillarum, laryngis, ita ut tantum non ſuffocetur. Ingens ab hoc morbo periculum, utpote qui paucis nonnunquam horis hominem jugulat; quoties ſcilicet magna vis materiæ Febrilis in prædictas partes conjicitur, neque ſatis tempeſtivè convenientium remediorum uſu, ingruenti occurritur procellæ.

* Opem

℞ Opem laturus, sanguinem cum primis è brachio copiosè detraho, mox ex ranulâ utrâque; dein, ut partes inflammatæ *melle Rosaceo spiritu sulphuris* ad summum acorem permixto, tangantur, author sum: mox *Gargarisma* sequens præscribo, non vulgari modo usurpandum, sed ita ut in ore sine ulla agitatione contineatur, donec incalescat, dein expuatur, & repetatur subinde. ℞. *Aq. Plantag. Ros. rubr. & Sperm. Ranar.* an. ℥iiij. *Album. ovorum in aquam agitando redact. N.* iij. *Sacch. cand. Alb.* ʒiij. F. Gargarisma. Jubeo etiam ut de Emulsione in cura *Morbi lateralis* præscriptâ vel simili, indies sumat.

Sequenti mane, nisi Febris & dolor inter deglutiendum perceptus aliquantulum remiserint, venam in brachio rursum ferio, Catharsi in diem posterum rejectâ. At si utraque hæc minuatur, *Catharticum* Lenitivum statim exhibeo; quod quidem post sanguinis missionem præ omnibus aliis perutile, ac apprime necessarium esse multiplici experientiâ comperii. Si fortean, quod quidem oppidò rarum est, Febris, aliaque symptomata, etiam post Catharsin, bellum minentur, iteratâ, ut priùs. Venæ sectione perdomanda sunt, ut & *Epispastico* amplo ac forti; posteriori cervici applicando. Per integrum hujusce morbi decursum, Enema Refrigerans Emollienſque omni mane, dempto illo quo Catharsi vacat, injiciendum, atque ægrum hoc pacto reficiendum quotidie præcipio. Carnes, cujuscunque demum generis, ut & jusculæ ex iis parata, sacra sunto; jusculis verò hordeacis, avenaceis, pomis coctis ac id genus aliis vescitor; ptisanâ ex hordeo, vel cerevisiâ tenuissimâ utitor. Lectulo interim per horas aliquot quotidie absistat; cùm hujus tepor tum Febri, tum reliquis symptomatis, quæ hâc methodo expugnare satago, vires addat. Animadvertendum est autem, quòd istiusmodi *Angina*, quæ Febris, mihi *Stationariæ* dictæ, symptoma tantùm est, illâ ipsâ methodo curari amat, quam Febris ea sibi vendicat, ac proinde vel per διαφόρησιν & cutis spiracula exterminanda est, vel per aliam qualemcunque medendi methodum, quæ Febri Primariæ, cui inhæret, debetur, quod sedulâ observatione dignum.

Sunt & aliæ Febres *Intercurrentibus* jure merito annumerandæ, quæ, quoniam alio aliquo modo immediatè abitum sibi parant, & in hoc vel illo symptomate desinunt, vulgò Febres non habentur; licèt tales ab origine verè fuerint, atque Affectus ille à quo morbus nomen mutuatur, Febris tantùm sit *Symptoma*, quæ in illo demum terminatur. Impræsentiarum duas tantùm, *Hæmorrhagiam* scilicet *Narium*, *ac Hæmoptoen*, leviter perstringam.

* *Hæmorrhagia Narium* quàvis anni tempestate infestat, præcipuè sanguine præfervido, temperamento verò debiliore præditos; idque magis ætate ingravescente, quàm adolescente. Primo utplurimum appulsu Febris præ se fert indicia, quâ derepente sibi per nares, quâ datâ portâ, faciente viam, dolor & calor sinciput adhuc torquent. Sanguis ad horas aliquot profluit, dein aliquandiu sistitur, mox denuò erumpit, atque hæc vicissim: donec tandem vel remediorum usu, vel sponte suâ ob imminutam copiam deperditamque co-

hibitus, omnino ceſſat; ita tamen, ut ægro ſingulis annis à recidiva metuendum ſit, vel à liquoribus ſpirituoſis, vel aliâ occaſione quâlibet æſtuare contingat.

Eum hîc mihi ſcopum propono, ut ſanguinis fervor nimius atque Ebullitio, unde oritur dicta præter naturæ modum extravaſatio, frænis omnibus compeſcatur, ejuſque impetus aliò vertatur. Ea propter frequenter brachii venas tundo, & ſanguinem liberaliter extraho, *Pleuriticorum* ſanguini colore ſemper reſpondentem. Victûs rationem refrigerantem atque incraſſantem injungo. Ut aq. fontan. partes tres, Lactis unam ſimul coctas, & frigidè hauriendas; poma cocta, juſcula hordeacea, & ſimilia à carnibus abhorrentia. Julapia inſuper refrigerantia atque incraſſantia, unâ cum Emulſionibus, in morbis Inflammatoriis ſuprà deſcriptis. Lectulo item ut abſiſtat per aliquod ſpatium quotidiè, moneo, tum ut nullo non die injiciatur Enema leniens refrigeranſque, nec vel ſemel quidem omittatur: Hauſtu quinetiam horâ ſomni Paregorico è Diacodio, ceu catenâ conſtrictus ſanguinis furor coërceatur. At verò quando hujuſmodi Hæmorrhagias non rarò comitetur lympha acrior, quæ ſanguini permiſta ejus motum adjuvat, venarum orificia reſerando, præter revulſionem & refrigerationem, ſolenne mihi eſt Catharticum blandius, vel in ipſius morbi ἀκμῇ propinare, cujus operatione finitâ, Anodynum exhibeo præter ſolitum viribus auctum; & ubi ſymptoma penitus evànuerit, aliud demum Catharticum.

Quoad externas applicationes. Lintea quadruplicata immerſa aquæ frigidæ, in qua *Sal prunellæ* diſſolvatur, & poſtea leviter expreſſa admoveantur Nuchæ ac utrinque Cervici ſæpius in die. Item poſt univerſas evacuationes peractas liquor ſequens applicetur. ℞. *Vitriol. Hungar. & Alumin. an.* ℥j. *Phlegmatis Vitriol.* ℔ß. *Coq. tamdiu, donec omnia fuerint diſſoluta. Liquorem frigefactum filtra, & à Cryſtallis ſubinde natis ſepara. Liquori reſiduo adde Ol. Vitriol. duodecimam partem. Turunda ex linteo raſo liquore hoc probè humectata, nari, ex quâ ſanguis ſtillat indatur, per dies duos iſthîc relinquenda.* Quo etiam liquore linteamina imbuta & applicata ſanguinem ſiſtunt ex quacunque demum parte externa idem defluat.

* *Hæmoptoe* etiam, quæ in æſtatis ac veris confinio homines calidioris temperamenti, at minus robuſti adoritur, & quorum pulmones minus rectè valent, præ ſenibus item juniores, ejuſdem ferè indolis cùm Hæmorrhagiâ jam tractatâ mihi eſt, cùm & hæc quoque Febris ſit, quæ tam nomen, quàm eſſentiam exuit ſuam illâ quâ ſoluta eſt Criſi; hoc ferè tantùm diſcrimine, quòd in morbo *priori* ſanguis nimiùm agitatus in narium venulas, in *hoc* verò in pulmones impetum facit; utque in illo, durante fluxu dolor & calor ſinciput jugiter lancinant, ita in hoc pectus uterque obſidet cum debilitate quadam. Quin & hoc vitium eandem ferè quam Hæmorrhagia methodum medendi ſibi vendicat, niſi quod Catharſin minus ferat, aquâ, præſertim repetitâ, æger facilè in tabem conjicitur. At Phlebotomia crebrò celebrata, Enema quotidiè injectum,

* *Hæmoptoe.*

ctum, Diacodium horâ somni propinatum, Diæta insuper, & medicamenta, tàm incrassantia, quàm refrigerantia, opus pro voto absolvent.

Atque hæc sunt, quæ hactenus observavi de numerosa ista Morborum Tribu in varias familias dispertitâ, qui *Febrium* sub nomine censentur, atque de iis symptomatis, quæ ab illa pendent, in quibus id seriò egi, ut nullas Putationes meas, nulla imaginaria Cerebri commenta orbi venderem; animo verò sincero candidoque, nullique adeò Hypothesi adstricto, eorum Historiam & naturalia Phænomena aliis traderem; Curationes etiam pari fide, & cautelâ pari subnecterem. Quod si vehemens desiderium Methodum certiorem minusque lubricam, in utilissimo tuendæ mortalium vitæ negotio, expiscandi constabiliendique, me in semitas nullo anteâ pede calcatas pertraxerit; nemo eruditorum, uti spero, mihi imputabit, quòd vel spretis aliorum judiciis meo nimiùm fidam, vel rebus studeam novis; cùm & non spernendus rerum eventus mihi hæc investiganti ingentes hucusque animos addiderit, & posterorum experimenta sine dubio meam fidem sint liberatura. Et profectò haud oscitanter impugnandum est hoc morborum tam pestiferum agmen, quod nullo non die cum genere humano bellum gerit internecinum atque ἀσπονδον; & cujus telis duo ad minimum hominum trientes, si eos demas, qui violentâ morte perimuntur, confossi quotannis occumbunt. Indesinentes horum morborum impetus, & quotidianæ, quas etiam de viris robustissimis & ætate maximè florentibus reportabant, Victoriæ, (non obstantibus suppetiis iis omnibus, quas nobis hactenus attulere speciosæ istæ Methodi in speculativorum libris satis fidenter descriptæ) animo meo hæc primùm agitanti minus satisfaciebant; cùm reâpse cernerem, ludiera ista Cerebrosorum commenta ita parùm ad redintegrandam ægrorum sanitatem conferre, ut qui ad Asyla hæc confugerant, quicquid pollicitarentur Thrasones Dogmatici, haud meliori in loco essent, quàm qui neglectâ Arte se totos naturæ permiserant. Si quid ego hîc egero, quo vel periculi, vel etiam difficultatis, quæ in his morbis persanandis plerumque occurrunt, pars aliqua levetur (quod salvâ verecundiâ, me mihi polliceri posse saltem spero (scopum quadantenus assequutus sum, & dulcissimum improbi laboris in bono Proximi quærendo rectè collocati, fructum fero. Hæc præcipua ferè sunt quæ jam habeo comperta, (vel saltem ad methodum aliquam novi reducere,) circa *Febres* & *symptomata*, quæ ab eisdem pendent, ad hunc usque 30. Decembris diem, An. 1675. quo hæc conscribo.

EPISTOLÆ RESPONSORIÆ DUÆ

à THOMA SYDENHAM M. D.

Prima

DE MORBIS EPIDEMICIS

ab Anno 1675 ad Annum 1680.

Ad ROBERTUM BRADY M. D.

Secunda

DE LUIS VENEREÆ HISTORIA ET CVRATIONE

Ad HENRICUM PAMAN M. D.

CLARISSIMO VIRO

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

NEMO uſpiam Medicorum, *Vir eruditiſſime, adhuc vim aeris & influentiam in humana corpora attentè perpendit, nec in vita noſtra perennanda quas agit partes eorum quiſpiam conſideravit ſatis, vireſque quas exerit in fermentando, & circumducendo ſanguinem, aut in motibus animalibus quibuſcunque peragendis cujus ſit energiæ, & efficaciæ, horum non aliquis notavit; neque ejuſdem temperiem naturalem, alterationes multiplices & mutationes, quas* Conſtitiones *haud perperam indigitas, ne leviter quidem, vel Medici, vel Hiſtoriæ Naturalis Scriptores attigerunt, multo minùs perſcrutari ſategerunt.*

gerunt. Fieri sanè nequit, cùm in omnes corporis partes, etiam reconditissimas, aer sese insinuet, quin quas subit alterationes & mutationes à rebus quibus impregnatur easdem sanguini & succis communicet, & imprimat; unde ut plurimùm ab hac vel illa prava aeris constitutione oritur hujus vel illius indolis prava sanguinis Diathesis. Optimo itaque consilio Observationes Medicas circa morborum acutorum historiam & curationem juxta varias annorum & eorundem partium constitutiones instituisti, cum in iisdem, aeris actiones in sanguinem, succos, & spiritus præsertim (si ipse non sit spirituum materia) conspiciantur. Et nullus dubito quin Febrium indoles ab annorum temperie in quibus grassabantur observata utilissimam, si non unicam, methodum constituit ad praxim stabiliendam. Perge itaque, & siquæ adhuc restant Observationes Febrium annorum nuperrimè elapsorum, fac ut palàm fiant, quâ in re quàm maximè humani generis saluti prospicies.

In Sectione prima, Cap. quinto, *libri tui, paucis egisti de usu* Corticis Indici, *& ejusdem exhibendi methodo. Equidem scio quosdam haud infimi subsellii Medicos, qui in magnâ quantitate & dosi sæpius repetitâ eum exhibent; alios item qui ex eodem extracta, infusiones, & ex infusionibus julapia, & emulsiones conficiunt, quibus modis se non tantum Intermittentes, sed & continuas quasdam certò curare affirmant: Magnum procul omni dubio in curandis Intermittentibus est remedium. Ego quidem per* 20. *plus minus annos dictum Corticem variâ forma & multiplici præparatione maximo cum successu exhibendum curavi. Si verò peculiare quippiam de usu hujusce Corticis nosti, vel quid melius progrediente experientia fueris edoctus, id ne graveris precor in lucem proferre.*

In curatione Rheumatismi *frequentem Phlebotomiam, & larga manu celebratam tanquam necessariam proposuisti. Quererem Ego annon rejectâ tam severa & crudeli methodo, alia non humani sanguinis adeò prodiga, nec minus certa inveniri possit. Dum hæc agis, Dignissime Vir, malevorum jurgia, & invidorum stigmata atque calumnias sat superque persenties; neque nunc minùs quàm olim nomini tuo aut famæ parcent, licèt ingenuis ferè omnibus displiceant, & candidioribus, apud quos solenne est istiusmodi detractores despicere. Isti verò, si Febrium historiam longo usu comprobatam, vel earundem essentias, causas, &*

diffe-

differentias, vel veram tandem Medendi Methodum expiscari volunt, Te Ducem & viam præmonstrantem sequi necesse habent; cùm vix, aut ne vix quidem, alia, vel earum naturam investigandi, vel curandi ratio possit assignari. Macte itaque esto, & sperne sciolorum dicteria; sincerorum hominum ingenia excita; tu methodum monstrasti, & si tua non placet, qui carpunt dent politiorem & magis firmam. Vale, Vir Integerrime, qui hisce peragendis totam Medicorum turbam meritò devincies, inter reliquos verò.

Tibi jure meritoque amicissimum,

Cantabrigiæ,
Decemb. 30. 1679.

R. BRADY;

Amplissimo Doctissimoque Viro

ROBERTO BRADY, M. D.

Collegii Cajo-Gonevillensis Custodi, nec non Regio in Medicinâ apud Cantabrigienses Professori longè celeberrimo.

ME certè, Vir Humanissime, si quid in morborum curatione profecero, ad omne id cuivis efflagitanti impertiendum præ cæteris qui nunc sunt homines facillimum esse omnino par est: si enim ea tantùm mihi innotescant quæ & reliquis mortalibus, (quod mihi plus satis constat) nullo pacto mihi obfuerit levidensia ista & è triviis desumpta evulgare, sin autem assecutus sim aliquid quod è re Medica sit, & an certiorem morborum Therapeian faciat, non tam mihi laudi dabitur, quàm aliis daretur quibuslibet, ea in lucem expromere; Qui & à Podagra jam ab annis plus minus triginta, & calculo diu malè multatus, facilè mecum reputo, quàm seriò gauderem, si quod meis malis levamen aliorum indicio possit afferri. Cùm autem pauciss-imis ingens illud privilegium à Deo Opt. Max. concedatur, ut publico commodo hâc in re inservire queant, iisque tantùm, quibus *è meliore luto* quàm mihi *finxit præcordia Titan*, votis agendum est, quod reapse effectum dare non

non satis est virium: Semper enim existimavi, neque id sine ratione, majoris esse felicitatis certam vel leviſſimi alicujus morbi debellandi methodum ægris mortalibus prodidiſſe, quàm vel *Tantali*, quod ajunt, vel *Cræſi* thesauros accumulaſſe. Feliciorem hoc illum dixi; dicam & meliorem; sapientioremque: quod enim uberius & sapientiæ & bonitatis suæ specimen quis potest edere, quàm, cùm se è communi generis humani natura deciſum animadvertat, ea quæ molitur omnia ad publicam magis omnium utilitatem, quàm ad suam ipsius, qui tam exilis totius particula & contempta res est, jugiter referre? *Ut enim* [loquor cum maximo illo dicendi sentiendique magistro *Cicerone* meo, sui sæculi, ne dicam universæ hominum naturæ Genio] *leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic Vir bonus & sapiens & legibus parens & civilis officii non ignarus utilati hominum, pluſquam unius alicujus, aut suæ consulit.* Cicero *de fin. bon. & mal.* Quinimò satis liquet, quòd cum sacinoroſi sit hominem jugulare, boni viri erit eundem vel conservate, vel alios iis instruere præsidiis, quibus adjuti eum ab interitu vindicent, etiam authore vita jam functo. Et vox illa planè inhumana & scelerata audit eorum, qui negant se recusare, quò minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur.

His autem impræsentiarum missis factis, fatendum est, debere me ea, quæ de his morbis, de quibus percontari libuit, animo volutavi, utut exilia, tibi plane aperite, Tibi, inquam, Eximio Viro, & *Sparta* quam ornas digniſſimo; cujus ego & eruditioni & probitati, animique candori ea tribuo encomia, quæ reliqua Togatòrum Gens, inter quos nites. Prætereo etiam, quantum tibi debeo gratiarum, quòd te tam malè habeant immerita illa, quibus à nonnullis proscindor convitia; de quibus hoc habeo dicendum, quòd si vita innocua hominis, qui neminem neque facto neque dicto læserat, me ab illis sartum tectum reddere valuiſſet, nunquam in me detonuerant. Cùm autem nullo id meo crimine evenerit, neque, ut spero, eveniet unquam, stat sententia non me ideò plectere; quod alii deliquerint, id tantùm ratus ad me attinere, ut viri probi scilicet officio defungat, & boni Medici, quantum patitur tenuitas noſtra.

Morem itaque geram in tradendis obſervationibus, quæ mihi in morbis, de quibus sciscitabaris, occurrebant. Primùm autem agam de *Febribus Intermittentibus* nunc apud noſtros Epidemicis. Quo nomine non abs re fore arbitror annos istos ordine, sed breviter percurrere, qui illum excipiebant, quo claudebatur *Hiſtoria Acutorum Morborum* [qualis qualis illa demum fuerit] qui per præterlapsos annos 15 grassabantur, & quædam obiter perstringere in eorundem curatione à me pridem notata. Quo facto melius innoteſcet, quo tempore & quibus gradibus, quæ jam obtinet Febrium *constitutio*, nobis obrepserit.

* Annus 1676. eosdem peperit morbos quos genuerat Constitutio postremo loco commemorata in dictis Obſervationibus, *viz.* Annor. 1673, (in cujus

* *Annus* 1676.

jus Autumno ea se primùm exeruit) 1674, & 1675. At verò exolescente fermè hâc crasi, mitiores erant, quàm pro suo genio, qui subpullulabant morbi, & minus insuper Epidemici; non obstante peculiari ejus anni indole, quantum ad manifestas aëris qualitates, quibus ab annis præcedentibus perquam abludebat, cùm & æstatis fervor, & frigus hyemis omnes fermè annos, quorum memoriam habemus, longo intervallo superaverint. Et cùm tam ingens tempestatum discrepantia similes tamen morbos produceret, satis hinc liquet, non tàm manifestam quàm occultam aëris temperiem Epidemicis morbis favere. At verò fatendum est, morbos eosdem quoad symptomata quædam aliquando à manifesta aëris diathesi pendere, quod & *Morbilli* & *Cholera Morbus* hoc anno invadentes testatum faciunt, de quibus breviter agam.

Morbilli enim nascenti anno coorti, licet non admodum Epidemici, idtamen eximii habebant, quod solito longiùs procurrerent: nam cùm pro more suo mense primùm Januario comparentes, ad Æquinoctium usque vernum ingravescerent, dein paulatim imminuti cum Solstitio æstivo ferè expirarent, hoc anno ad Æquinoctium fermè Autumnale pertingebant, ab æstatis calore, nisi fallor, aucti viribus, quò diutius obsisterent. Neque tamen Methodum Medendi ab usitata illa diversam postulabant.

Exeunte æstate *Cholera Morbus* epidemicè jam sæviebat, & insuero tempestatis calore evectus, atrociora Convulsionum symptomata, eaque diuturniora secum trahebat, quàm mihi priùs unquam videre contigerat. Neque enim solùm abdomen, uti aliàs in hoc malo, sed universi jam corporis musculi, brachiorum crurumque præ reliquis, spasmis tentabantur diritissimis, ita ut æger è lecto subinde exiliret, si fortè extenso quaquaversum corpore eorum vim posset eludere.

Quamlibet autem hic morbus non aliam à jam recepta medendi rationem sibi vendicabat, *Anodyna* tamen fortiora, eaque sæpius ingerenda quàm alias solebam, omninò indicabantur. Ex. gr. Ad quendam vocatus per id temporis truculentissimo illo, quod modo descripsi, symptomate tantùm non enctum, (me autem comitabatur *Carolus Goodall* M.D. cujus animi Candor, Probitas illabata, summus in me amor, labor improbus in morbis dignoscendis curandisque unâ cum nomine mihi semper occurrunt) & enormi vomitione, spasmorumque violentiâ animum agentem, cum sudore frigido, & pulsu vix micante, guttas 25. *Laudani liquidi*, à me jam olim publicati, in cochl. 1. *Aq. Cinnamomi fortis* exhibendas curavi, veritus sc. ne vehiculum paulò copiosius medicamento rejiciendo [quod in vomendi tam impenso conamine persæpe fit) ansam daret: dein lecto assidens quasi ad semihoram, & expertus Remedii vires nec Vomituritioni compescendæ, nec sedandis Convulsionibus adhuc pares esse, toties illud ipsum reperere, & dosin in tantum augere cogebar (interposito tamen spatio, ut quid à jam ingesto mihi foret sperandum prius ediscerem, quàm novas adferrem supperias) donec tandem pervicacissima illa symptomata sub jugum victoris mitterentur, quod tamen vel mi-

nimo

nimo corporis motu excitata denuò excutere satagebant. Seriò itaque imperavi, ut & corporis quieti modis omnibus indulgeret ad paucos dies, & Medicamentum jam dictum, sed in minori dosi, subinde assumeret, etiam postquam convaluerit, ad ἐυεξίαν sc. confirmandam; quod nobis ex animo cessit.

Neque est cur me quispiam justo audaciorem pronunciet, eo sc. nomine, quòd tantam Laudani Liquidi vim ægro infundere non dubitaverim; cùm judice experientiâ certò constabit, quod in quibus affectibus ex *Opio* parata indicantur (sunt autem tres. *vehemens dolor, vomitus vel dejectio enormior, & insigniores spirituum animalium* ἀτξίαι) in iis & Remedii Dosis & repetendi vices cum symptomatis magnitudine omnino sunt conferendæ. Quæ enim dosis remissiori symptomati coercendo par est, ea ab alio fortiore superabitur, & quæ aliàs ægrum in manifestum vitæ discrimen conjiciet, eundem impræsentiarum ab orci faucibus liberabit.

* Atque hi sunt morbi isti, qui hoc anno populabantur, iidem sc. ut jam innui, cum morbis trium annorum præcedentium. Quales autem fuerint, qui annum sequentem *viz.* 1677. funestaverint, non habeo dicere. Cùm enim molestissimo sanguinis mictu, à motu vel levissimo, sub anni initio malè multaret, neque ita diu posteà Podagrâ etiam, quæ non jam tàm artus, quàm viscera sævissimo dolore excruciabat, accedentibus insuper virium & appetitûs prostratione, crurum tumore, aliisque symptomatis non minus periculosis (quem si tùm fuerim extinctus, mors certè non tàm à bonis quàm à malis abstraxisset, haud equidem repugnantem) me domi meæ ad menses tres continere, deinde redintegrandæ sanitatis causa per idem ferè spatium rusticari cogebat: *Autumno* reversus ad meos, Febres Intermittentes hinc inde sparsas esse (quarum tamen pars maxima ægros non in urbe primùm invaserat) ab amicis didici; cùm autem mihi per valetudinem non liceret ægros invisere, de hoc anno nihil melius silentio possum adferre.

Proximi anni (*viz.* 1678.) *Constitutio* prorsus immutata *Febribus Intermittentibus* (quæ jam ab anno 1664. ad tredecim sc. annos urbe ferè exulaverant, nisi quod nonnullos sporadicè occuparent, vel ex agris fortè comitarentur) usque adeò favebat, ut Epidemicæ rursus audirent; neque eum tamen gradum hodiè tuentur, quin & fines latiùs proferent, donec hæc, à qua pendent, aëris διάθεσις suam ἀκμὴν attigerit. Quantumlibet autem dictæ intermittentes pauciores aliquot etiam tempore Verno fuerint adortæ, eo usque tamen exeunte Æstate & Autumno subeunte præ cæteris sæviebant, ut nulli amplius morbo Epidemici nomen relinquerent. Hyeme verò paululùm fatiscentes *Variolis* locum cedebant, atque aliis insuper Epidemicis, qui per omnia dominabantur, donec Intermittentibus apta tempestas in orbem rediret.

Sed ut jam edisseram, quæ de harum Febrium & naturâ & causis sedulâ observatione assecutus sum: imprimis notandum est; quòd licet olim *Quartanæ* frequentius occurrerent, nunc dierum aut *Tertianæ* erant, aut *Quotidianæ*, (nisi quis postremas has *Duplices Tertianas* malit appellare) & pariter quod

* *Annus* 1677. * *Annus.* 1678

licet Tertianæ Quotidianæque aliquando cum rigore atque horrore invadentes, subsequente primùm calore, mox etiam sudore, tandem in omnimoda ἀπυρεξίᾳ desinerent, atque post statam periodum ægros de novo lacesserent; ne hunc quidem jam morem servabant ultra tertium quartumve Paroxysmum, maximè si æger lecto addiceretur, & assumptis Cardiacis calidioribus oleum camino, quod ajunt, addiderit. Postea verò Febris hæc eo usque etiam præter indolem suam increscebat, ut *Intermissionis* loco *Remissionem* tantùm ægro concederet; & magis indies ad *Continuarum* speciem accedens, tacto Cerebro tandem haud paucos extingueret.

Curationem quod spectat, jam à multis annis mihi innotuit, quàm sit periculosum eam in Tertianis & Quotidianis (quæ cum recentes sint nullumque typum indutæ in continuitatis vicinia adhuc hærent) per sudorifica moliri: quamvis enim notissimum sit simul cum sudore prorumpente inquietudinem atque alia symptomata statim evanescere, & ἀπυρεξίαν succedere, & ex consequenti huic paululum esse indulgendum, saltem non esse obsistendum Paroxysmo fatiscente, tamen est compertissimum, quod si justo copiosiùs eliciatur sudor, quæ intermittebat, Febris jam sit Continua, ægerque tanquam incerto, aleæ casu in vitæ discrimine versatur, hic servatur, perit ille. Ratio est hæc, nisi mea me fallit conjectura, quòd sc. istiusmodi profusus sudor, cùm materiæ febrilis, paroxysmi calore eo usque evectæ, ut jam per despumationem ejici possit, modum exuperet, exterminatâ eâ parte, quæ unico paroxysmo respondet, de reliquo sanguini incendendo impenditur. Hujus itaque methodi inefficaciam, & aliarum evacuationem, Venæ-sectionis v. gr. & Catharseos incommoda (quarum utræque relaxando tonum sanguinis morbum protrahunt) dum mecum perpenderem, *Peruvianus Cortex* certissimum mihi spem fecit, de quo verè affirmare possim, non obstante tàm vulgi quàm perpaucorum è doctis præjudicio, me nihil mali ægris accidisse ab ejus usu vidisse unquam, vel cum ratione suspicari potuisse, nisi quòd illi, qui longum & repetitum corticis Peruviani usum experti sunt (ut in *Capite de Rheumatismo* præmonstraverim) in speciem quandam *Rheumatismi Scorbutici* nonnunquam incidunt. Hoc autem malum perquam rarò ex hac occasione nascitur, & quando accidit facillimè Remediis ibidem descriptis cedit.

Et profectò si tam effectorum durationem, quàm Corticis hujus innocentiam exploratam haberem, principem illi locum inter omnia quotquot sunt remedia deferre nullus dubitarem; cùm non tantùm in hoc morbo insignium esse virium deprehendatur; sed & in Uteri & Ventriculi etiam affectibus: Tantum abest ut de ejus insalubritate meritò quis conqueratur.

His autem potissimùm de causis, nisi fallor, dictus Cortex malè audit: Primò quia plurima illa horrendaque symptomata, quæ Febres Intermittentes jam diutiùs ægrum cruciantes comitantur, etiam ubi ne minimum quidem Corticis degustaverit, Cortici, vel semel assumpto, imputantur. Secundo quia cùm occultâ vi & non per sensibilem aliquam evacuationem morbum averruncet, statuunt plerique materiam morbum committentem quæ propelli debue-

debuerat, tanquam hostem intra mœnia vi Corticis astringente inclusam latere, novos daturam tumultus, atque ægrum non penitus evasisse cùm adhuc catenam trahat. Ast hi non satis attendunt Sudores paroxysmum finientes id omne quod in lucido sanitatis intervallo accumulabatur prorsus eliminasse, manere tantum morbi seminium tempore maturandum; quodque Cortex fugientem paroxysmum à tergo urgens, & intercepto qui debuerat submministrari morbi commeatu sive fomite, non potest in sanguine retinere quod jam in illo non nisi tanquam in embryo reperitur; ac proinde neque strangulationum neque obstructionum; quæ vulgò objiciuntur, reus est peragendus.

Quo autem pacto deprehendemus Corticem vi sua astrictoria Febres fugare? Qui id probare velit, necesse erit ut prius alia astringentia pari virtute prædita in medium afferat; mihi certè vel eorum fortissima adhibenti in experimentum nondum è voto cessit. Quid quod illos etiam sanat, qui ab ejus usu tanquam à Cathartico assumpto (quod nonnullis accidit) frequenter alvum deponunt? Id verò demum est rectè sapere suo se quemque pede ac modulo metiri. At si quis fucum sibi faciens, aliis se præditum esse facultatibus existimaverit, quàm quæ inserviunt percipiendæ vel *Naturali Theologiæ* (ut Deo sc. rerum omnium Architecto & Moderatori debita veneratio cum profundissima animi prostratione jure merito exhibeatur;) vel *Philosophiæ Morali* (ut virtutem exerceat, & mores tàm ad privatum quàm publicum Societatis Humanæ bonum accommodet;) vel denique *Arti Medicæ*, *Mathematicæ*, *& Mechanicæ* (quibus vita communis adjuvatur:) Hic primùm Hypothesin aliquam è schola *Naturalis Philosophiæ* depromat, qua vel unicam differentiam specificam rerum in natura possit enodare; ex gr. rationem reddat quare *Gramen* omne viridi ubicumque colore, nusquam alio cernitur infectum, *&c.* Hoc si effecerit in ejus castra haud invitus transeam; sin aliter, non verebor dicere quòd Medici cura omnis atque industria in expiscanda Morborum Historia, iisque remediis adhibendis, quæ Experientia Indice ac Magistra eosdem valent depellere, debent collocari; observata tamen ista medendi Methodo quam recta ratio [non speculationum commentis, sed trito & naturali Cogitandi modo innixa] ei dictaverit. Dicam itaque paucis quod usu didici de Methodo qua Cortex nobis usurpandus venit.

Cortex Peruvianus, cujus *Pulvis Patrum* vulgò nomine insignitur, annis abhinc quinque & viginti (si benè memini) apud Londinenses nostros in exterminandis Febribus Intermittentibus, maximè Quartanis, primùm cœpit inclarescere. Idque optimo sanè jure, cum hujuscemodi morbi rarissimè ab ullo alio sive Remedio sive Methodo Medendi antea expugnarentur, unde etiam opprobria Medicorum & erant & audiebant. At verò non ita multo tempore elapso, duabus de causis, non quidem levibus, damnatus in desuetudinem prorsus abiit. Primò quia paucis horis ante adventum Paroxysmi, pro recepto id temporis more, exhibitus ægrum nonnunquam è medio tolleret; quod & civi cuidam Londinensi eidemque Senatori Urbano, *Vndervvood* nomine, & Capitaneo nomine *Potter* in vico vulgò dicto *Black Fryars* Pharmacopolæ me-

mini accidisse. Funestior hic pulveris exitus, quamvis oppido rarus, Medicos tamen paulò cordatiores ab ejus usu meritò retraxit. Secundò quia æger ope pulveris à Paroxysmo aliàs invasuro liberatus, quod plerumque eveniebat, tamen intra dies 14. recidivam ut plurimum pareretur, in morbo scilicet recenti, necdum temporis cursu suoque Marte commitigato. Maxima pars hominum his permota rationibus spem de hoc pulvere jam pridem conceptam protinus abjiciebat: Neque enim tanti æstimabant Paroxysmum ad paucos dies protelare, ut se eo nomine in vitæ discrimen à pulvere intentatum induci paterentur. Ego verò jam ab aliquot retro annis haud vulgarem hujus Corticis vim seriò perpendens, animoque revolvens, non alio magis quàm hoc Herculeo medicamento Febres intermittentes debellatas iri confidebam, si qua par erat cura accederet, & diligentia. Diu itaque multumque apud me agebam, ut & *Periculo* à pulveris usu impendenti, & *Recidivæ* intra paucos dies subsecuturæ (quæ duo erant amolienda incommoda) possem occurrere, atque ægrum hujus ope ad perfectæ sanitatis gradum promovere.

Primò *Periculum* quod minitabatur, non tam ex ipso Cortice natum arbitrabar, quàm ex eo quòd minus opportunè ægro ingereretur: cùm enim vis ingens materiæ febrilis diebus à Paroxysmo vacuis in corpore fuerit aggesta, pulvis prædictus, si immediatè ante Paroxysmum deglutiatur, facit quo minùs materia morbifica ipsâ naturæ methodo, Paroxysmi scilicet impetu, possit eliminari quæ proinde præter fas inclusa ægrum in vitæ discrimen solet conjicere. Hoc ego me malum propulsare posse existimabam, materiæque pariter febrili de novo generandæ obicem ponere, si ubi primùm Paroxysmorum unus affligere desierit, confestim pulverem exhiberem quo insecuturus sufflaminaretur, & diebus Intermissionis statis subinde vicibus eundem repeterem usque dum novus invaderet Paroxysmus, atque ita paulatim tutoque proinde sanguinis massam salutiferâ Corticis virtute penitus inficerem.

Secundò cùm *Recidiva*, (quæ intra dies 14 plerumque accidebat) ex eo mihi videbatur nasci quòd sanguis non satis exaturaretur virtute febrifugi, quod utut efficax, unâ tamen vice morbo penitus exterminando par non fuit, idcirco autumabam nihil ad eam præcavendam æquè posse conducere atque methodum repetendi pulveris, etiam de victo ad præsens morbo, justis semper intervallis, antequam scilicet vires præcedentis dosis prorsus elangueserent.

His itaque rationum momentis innixa mens eam, quâ jam utor, mihi methodum dictabat. Ad ægrum *Quartanâ* Febre laborantem accersitus (*die Lunæ* v. gr.) si Paroxysmus eodem die sit invasurus, nihil prorsus moveo, sed id tantum ago ut spem faciam eum à proximè venturo liberatum iri. Ac proinde binis diebus Intermissionis (*Martis* sc. *& Mercurii*) Corticem exhibeo hunc in modum. ℞. *Cortic. Peruv subtiliss. pulverat* ℥j. *cum s. q. syr. Caryophyl. vel de Rosis siccis, f. Electuar. dividendum in* 12. *partes, quarum unam capiat quartâ quaque horâ, incipiendo immediatè post paroxysmum, supe bibendoque haustum vini cujuslibet* Vel, si *Pilulæ* magis arrideant, ℞. *Cortic. Peruv subtiliss. pulv.* ℥j. *cum s. q. syr. Caryophyl. f. Pil. mediocris magnitudinis, quarum capiat*

piat vj. *quartâ quâque horâ.* Sed minori cum molestia, eodem tamen fructu, hujus *Pulveris uncia una* admiscerì poterit *libris duabus Vini Clareti*, atque ejus *cochl.* viij. *vel* ix. exhiberi iisdem quæ dicta sunt temporis intervallis. *Die Jovis*, quo metuitur Paroxysmus, nihil impero, cùm utplurimum nullus accedat, reliquiis materiæ febrilis per solitos sudores, qui præcedentem paroxysmum absolvunt, despumatis ejectisque è sanguine, atque interciſa novæ mineræ vel fomitis accumulatione repetito pulveris usu, diebus Paroxysmos disterminantibus adhibiti.

Verum enim verò ne morbus denuò recrudescat (quod è prædictis incommodis erat alterum) *die octavo* præcisè à quo postremum dosin æger assumpsit eandem præfati pulveris quantitatem, (*Vnciam sc. in partes* 12, *divisam*) eâdem quâ priùs methodo, certo certius exhibeo. Quamvis autem repetita hoc modo semel Medicatio persæpè morbum conficit, non tamen prorsus in tuto collocatur æger, nisi Medico tertio quartove eandem methodum eodem temporis intervallo iteranti parere non gravetur; maximè ubi sanguis à prægressâ aliquâ evacuatione fuerit debilitatus, aut se æger incautiùs auræ frigidiori feriendum exposuerit.

Verùm etsi hoc remedium nullâ purgandi vi polleat, tamen ob peculiarem quorundam corporum temperiem atque idiosyncrasiam persæpe accidit, ut ab ejus usu tanquam à Cathartico fortiori assumpto æger violenter expurgetur: In hoc casu omnino oportet ut *Laudanum* cum eo exhibeatur, quo minus hanc operationem, tam suæ naturæ quàm morbo planè contrariam, ciere valeat, neque pulvis justo citiùs per alvum expulsus disperdatur, antequam suo fungeretur munere. In hoc itaque casu *Laudani* ejusdem *gut.* x. Vino instillari jubeo, & post alternam pulveris dosin assumi, modò Diarrhœa perstiterit.

Dicta Methodus usû mihi venit in cæteris Intermittentibus sive *Tertianis*, sive *Quotidianis*; utrasque enim statim à finito Paroxysmo aggredior, & repetito per jam commemorata Paroxysmorum interstitia medicamine (quantum scilicet earum fert indoles) urgeo atque à tergo premo; hoc tamen discrimine, quòd cùm Quartana rarissimè nisi *Uncia una* in doses dispertitâ, reliquæ *sex Drachmis* possint ita expugnari, ut inducias saltem concedant.

At verò Tertianæ, Quotidianæque, etsi post unum alterumve Paroxysmum omnino videantur intermittere, tamen non ita raro [quod & à me ante est notatum] postea ad Continuarum fere speciem vergunt, & ad *Remissionem* tantùm, etiam diebus quæ *Intermissionem* pollicebantur, accedunt; præsertim ubi æger lecto defixus regimine justo calidiore, aut medicamentis Febri per sudores ejiciendæ dicatis fuerit multatus. Hoc in casu â remissione quantumlibet exiguâ [id enim mihi unum superest] ansam arripiens, pulverem quam proximè à Paroxysmo [quantum conjecturâ valeo] ingerendum propino, nempe quartâ quâque horâ ut modò dixi, ne quidem ipsum morans Paroxysmum, cùm aliter in spatio interjecto plus satis brevi alexeteria Corticis vis sanguini impertiri nequeat.

Cùm

Cùm autem Febres quædam apud nos grassantur, etsi post secundum tertiumve paroxysmum reponere se in classem Continuarum nitantur, tamen ad Intermittentes debeant referri; nulla mihi est religio *Corticem* vel in maximè *Continuis* hujus speciei sumendum proponere, qui dicto more iteratus ad apyrexiam certò ægrum perducet, modò assiduus Lectuli calor, & intempestivus Cardiacorum usus continuitatem Febri non conciliaverint; quo in casu Peruvianum corticem nihil quicquam profecisse plus semel observavi. Neque mihi unquam contigit ut viderem Vinum in quo propinatur Cortex (quod jure quis possit suspicari) febricitanti obfuisse; è contrà verò, calor, sitis, cæteraque Febris Symptomata ut plurimum post assumptam hujus remedii quantitatem sufficientem, mox evanescent, vino haud obstanti. Hîc autem observandum, quò quo magis Febris sive sponte sua, sive regimine calidiori ad Continuitatem accedat, eo major Corticis quantitas exhibenda; ita ut nonnunquam viderim morbum hunc non nisi sesquiunciæ, vel unciis ejusdem duabus cessisse.

Cùm verò sint aliqui qui Corticem hunc nec in Pulveris forma, nec Electuarii, nec tandem Pilularum ferre queant, his ejusdem infusum in frigido factum propino; ℥ij. *sc. Corticis grossè pulverati in Vini Rhenani* ℔ij. aliquandiu macero. Liquor hic per manicam Hippocratis sæpiusculè trajectus, colore limpidus adeo non officit, ut vel delicatulorum palato arrideat; ac dictæ Infusionis Unciæ quatuor ad dies aliquot factæ, virtutem Drachmæ unius Corticis in pulvere exhibiti videntur continere. Quæ cùm nec ingrata sit, nec ventriculum premat, duplo frequentius usurpari poterit, quàm reliquæ ejusdem remedii formulæ, nempe donec Paroxysmi terga dederint.

Quandoque accidit ut in hoc morbo malè formato, nec dum in typum regularem evecto, æger ob vomituritionem ferè continuam Corticem deglutitum, quacunque demum forma exhibeatur, retinere nequeat: In hoc casu vomitio priùs est compescenda quàm Cortex propinetur. Ad quem scopum collimans jubeo, ut sexies vel octies spatio duarum horarum *succi limonum recens expressi Coch.* j. *cum salis Absint.* ℈j. *assumat*. Deinde *Laudan. liquid. gutt.* xvj. *cum aq. Cinamom. fort. Cochl.* j. Ac brevi post, si vomitus cessaverit, usum Pulv. Peruv. aggrediatur.

Pro Infantibus, quorum ætas tenella vix feret ut aliâ formâ hoc remedium assumatur (saltem eâ quantitate quâ devincatur morbus,) sequens Julapium præscribere soleo. ℞. *aq. Cerasor. nigr. & Vini Rhenani an.* ℥ij. *Cort. Peruv. subtilissimè pul.* ʒiij. *Syr. Caryophil.* ʒj. *m.f. Julap. Cap. Cochleare unum alterumve pro ratione ætatis, quartâ quâque horâ, donec paroxysmi non amplius discrucient; instillando alternis dosibus, si Diarrhœa adfuerit. Laudanni liquidi gutt.* j. *vel* ij.

Observandum est insuper, quò cùm breviora Paroxysmorum interstitia in Tertianis & Quotidianis Intermittentibus non satis temporis concedant ad sanguinem febrifugâ Corticis virtute plenè exaturandum, fieri non potest ut æger proximum â prima medicatione Paroxysmum, uti in Quartana solet evenire, certò

tertò effugere valeat, sed in his medicamentum sæpe non nisi post biduum promissam curationem absolvet.

Animadvertendum autem quòd si æger, non obstante abundanti cautelâ superiùs traditâ, nihilominus recidivam patiatur (quæ in Quartana ipsâ rariùs accidit, quàm in Tertianis, vel Quotidianis) tamen prudentis Medici erit non nimiùm pertinaciter insistere methodo Corticis per dicta intervalla exhibendi, sed pro suo judicio aliis modis curationem aggredi, cui præ cæteris *Decoctum amarum*, quod appellant, magnopere conducere vulgò creditur.

Diætam quod spectat cæterumque regimen, nec à cibo nec à potu arcendus est æger, qualis qualis is demum fuerit qui ad stomachum facit; Fructibus tamen horariis & liquoribus frigidis (utpote & infirmandæ sanguinis massæ & Febri postliminiò reducendæ admodum conferentibus) semper exceptis. Vescatur itaque carnibus eupeptis & euchimis, & vino modice utatur pro potu ordinario; quâ re solâ ægro nonnunquam restitui, etiam eos quorum corpora ob frequentem febris recursum contra Corticem quasi communita, salutiferam ejus vim perpetim eludebant.

Neque verò se temerè auræ frigidiori committere debet æger, donec sanguis pristinum vigorem de novo obtinuerit.

Hîc autem advertendum, quod cùm de Febribus Intermittentibus olim agens ægrum sublato morbo sedulò purgatum iri admonuerim, hoc intelligi velim de iis solùm febribus quæ vel sponte suâ, vel alio siue medicamento sive methodo præter Corticem Peruvianum erant debellatæ. Etenim Curatio, cùm huic Remedio, de quo jam loquor, innitatur, purgatione nec eget, nec eandem planè fert. Ita potenter dictus Cortex sine ope Catharticorum non solùm *Paroxysmis*, sed & *Dyscrasiæ* quam corpori iidem inflixerunt, subvenit. Vitandæ itaque ante omnia Evacuationes qualescunque, cùm vel blandissima Catharsis, quinimò Enema â lacte Saccharato in morbi discrimen certissimè, fortè in morbum ipsum denuò ægrum conjiciet.

Hîc autem commemorare libet, quod sub primos hujus Constitutionis annos symptoma quoddam insigne! Febribus Intermittentibus quandoque supervenerit. Nempe earum Paroxysmi non cum rigore & horrore, quas postea Febris excipit, invadebant, sed æger iisdem planè symptomatis rentabatur, ac si *Apoplexiâ* verâ laborasset, quæ tamen nihil aliud esset, utcunque hunc affectum æmularetur, quàm ipsa Febris caput impetens; ut ex aliis signis, ita ex colore urinæ satis liquebat: quæ in intermittentibus ut plurimùm rubore saturato extat, qualis cernitur in urinâ eorum qui Ictero laborant, etsi non adeò intensè rubet, & pariter sedimentum deponit pulverem laterum ferè referens. Hoc autem in casu quantumlibet evacuationes omnes, cujuscunque demum generis sint, indicari videntur, ad revellendos scilicet ex cerebro humores, ut in Apoplexiâ primariâ fieri solet; eædem tamen omnino omittendæ sunt, utpote quæ originariæ hujus symptomatis causæ, Febri nempe intermittenti prorsus adversentur, ac proinde mortem accersant; quod & ipse novi. At è contrà expectandum donec paroxysmus sponte suâ evanuerit,

quo

quo tempore Cortex, modò citiùs idem ingeri non poterit, quamprimum est exhibendus, & intervallis ab ejusmodi accessionibus liberis idem sedulo repetendus, usque dum perfectè convaluerit æger.

Nonnunquam accidit, etsi perquam rarò, ut Senes qui diu hoc morbo antea laborarunt, ac interea Venæ sectionibus & Catharticis imperitè fuerint mulctati, in *Diabetem* incidant, etiam Febre jam perfectè fugatâ. Etenim cum sanguis eorum abhinc debilitatus assimilandis succis ei illatis prorsus impar reddatur, iidem per vias urinarias brudi adhuc & inconcocti exitum sibi quærunt, proindeque præ ingenti urinæ copiâ, quoties eam reddunt, excretâ, sensim vires labefactantur, & quasi substantia Corporis per hanc Cloacam exinanitur. In hoc affectu, uti & in omni *Diabete*, ex quâcunque προφάσει originem ducat, Curativæ Indicationes ad sanguinem invigorandum corroborandumque, ac pariter ad fluxum urinæ præternaturalem restringendum, omnino dirigendæ sunt. Ut ℞. *Theriac. Androm.* ʒ ß. *conserv. flaved. Aurant.* ʒj. *Diascordii* ʒß. *Zinzib. condit. & nuc. moschat. condit. an.* ʒiij. *pulv. è chelis Cancr. compos.* ʒiß. *Cort. exterioris Granator. rad. Angelic. Hispan. Coral. rubr. præp. & trochisc. de terra Lemniâ an.* ʒj. *boli. Arm.* ʒij. *Gum. Ar.* ʒß *cum. s. q. syr. de ros. siccis f. Electuar. de quo sumat ad magnitudinem nuc. mosch. maj. manè, horâ quintâ pomerid. & nocte per mensem integrum, superbibendo seq. infusionis Cochl.* vj. ℞. *rad. Enul. Campan. Imperator. Angelic. & Gentian. an.* ʒß. *fol. absinth. Rom. marrub. alb. Centaur. min. & calaminth. an. M. j. Baccar. Juniper.* ʒj. *Incidantur minutim, & infundantur Vini Canarini* ℔. v. *stent stimul in infusione frigidâ. Coletur tantummodo tempore usûs.* Vescatur cibis ἐυπέπτοις, *viz.* Carne vitulinâ, Vervecinâ, *&c.* Abstineat ab esu olerum & fructuum qualicunque, & singulis pastubus bibat vinum Hispanicum.

Eâdem ferè methodo atque iisdem remediis contumax iste & diuturnus affectus, *Fluor.* sc. *muliebris*, sanatur ac *Diabetes* modò dictus: nam utrobique Indicationes curativæ eædem sunt, quantumcunque inter se hi duo morbi dissidere videantur. At in *fluoris muliebris* curatione Venæ-sectio semel celebrata, ac postea Catharsis ex *Pil. Coch. maj.* ℈ij. tribus vicibus repetita *Corroborantium* usui præmitti debent, deinde verò per totum processum omnino omittendæ; cum quælibet evacuatio evertit quicquid corroborans substruxerit. Sed hæc obiter.

Hæc habui de Peruviani Corticis usu summatim dicenda: Neque enim Remediorum pompæ libuit indulgere: Cùm sanè qui aliquid Cortici adjiciunt præter vehiculum eidem in ventriculum transmittendo necessarium, aut ex ignorantiâ peccant, ut mihi videtur, aut dolor malo, à quo Vir Probus ex animo abhorrebit; qui cùm pars sit ejusdem communis naturæ, ut ὁμοφύλοις fraudem faciat nullo unquam privato suo commodo poterit adduci. Quod superest, si ætati placuisset ad ea animum advertere, quæ annis abhinc quatuor in Historia Acutorum Morborum tradideram [quæ & ante illud tempus mihi innotuisse omnino est credibile] quo pacto sc. Cortex in interjectis Paroxys-

morum spatiis debuerit ministrari, tum postea repeti ægro jam convalescente? viverent fortassis haud pauci eorum, quos jam terra tegit, ut ut homines vilipendant tenues, sané illos conatus nostros communi omnium bono dicatos, & monita spreverint ibidem dictata verbis insequentibus, quibus ea breviter continentur, quæ hîc fusiùs explicare visum est, *viz.*

Curandum est ante omnia, ne præmaturè nimis hic Cortex ingeratur, ante sc. quam morbus suo se Marte aliquantisper protriverit [*nisi collabescentes & jam fractæ agri vires eundem temporiùs sumendum esse dictaverint;*] *neque enim illud solum est metuendum, ne à propero ejus usu inefficax iste reddatur & spem ægri fallat, sed etiam ne de ægri vitâ agatur, si sanguinem omni fermentationis nisu se despumanti derepente injiciamus remoram. Proximo Loco, neque Catharsi, multò minus Venæsectione, subducenda est materiæ Febrilis pars aliqua, quò liberiùs cortex suo fungatur munere: cùm enim ab utraque labefactetur quadantenus œconomia corporis, eo promptiùs certiùsque recrudescent Paroxysmi, evanescente semel pulveris vi. Mihi etiam magis è re fore videtur, ut sanguinem dicto medicamine sensim longioreque à Paraxysmis intervallo leviter inficiamus, quàm ut uno omnino ictu Paroxysmum jam instantem tentemus confodere; hoc enim pacto & plus temporis remediò conceditur quo suum opus pleniùs absolvat, & evitatur quicquid id est periculi, quod ægro poterit oriri ex subito isto atque intempestivo nimis sufflamine, quo Paroxysmum jam invalescentem atque omni se opem exerentem conamur opprimere. Postremò brevibus istis temporis intervallis repetendus est Pulvis, ut non protinus evanescat prioris dosis virtus antequam altera exhibeatur: crebrâ enim repetitione ista* ἐνέργεια *tandem recuperabitur, profligato in solidum morbo. His adductus rationibus hanc ego methodum cæteris antepono. Peruviani corticis* ℥j. *cum Syrup. Rosar. rub.* ℥ij. *misceatur; ager verò quantitatem Nucis moschatæ majoris mane & serò quotidie devoret diebus à genuino Paroxysmo vacuis, donec confectionem omnem absumpserit. Repetatur porrò ad tres alias vices interjectis semper diebus quatuordecim.* Morb. Acut. Sect. 1. Cap. V.

Quantumlibet autem Cortex suprà laudatus in Febribus hisce medendis omnibus aliis, quotquot adhuc inventa fuerunt, palmam facilè præripiat, attamen in *Tertianis Vernalibus*, si modò æger sanguineo temperamento præditus esset, atque etiam ætate floreret, Remedia sequentia curationem absolvisse observavi. Ex. gr. Mittatur sanguis è brachio die à paroxysmo libero, & post aliquot horas eodem die exhibeatur *Emeticum ex Infusione Croci Metallorum*; ita tempus præfigendo, ut Vomitorium opus suum absolvat ante Invasionem paroxysmi insequentis, quo elapso immediatè aggrediatur usum sequentium. ℞. *Extracti gentian. Absint. & Centaur. min. an* ℥ij. *Misceantur ac dividantur in* ix *doses, quarum unam capiat quartâ quaque horâ, superbibendo decocti amari sine purgantibus & vini albi an.* ℥iij. est & altera methodus curandi has Tertianas, in pauperibus scil. quorum facultas prolixo apparatui Me-

dico ferendo non sit. Ut ℞. *Serpentar. Virginian subtiliss. pulv.* ℈j. *vin. alb.* ℥iij. *M.f. sumat duabus horis ante paroxysmum, & stragulis bene cooper-tus sudet per tres vel quatuor horas: Idem faciendo per duas alias vices pa-roxysmo ingruente.*

* Sequenti anno [nempè 1679] sub initio Julii eædem Febres de novo vires redintegrabant, & quotidie increbrescentes mense Augusto quàm immanissime debacchabantur, ac magnam stragem edebant. Cùm autem de his jam fusiùs egi, nil amplius adjiciam, nisi quòd *Novo Epidemico* à manifestâ aeris crasi pendenti sub mense Novembris prorsus locum cedebant.

Etenim unà cum *Novembri* subingrediebantur *Tusses* cæteris quos mihi contigit observare annis ἐπιδημικώτερας cùm in singulis ferè familiis universi laborarent. Harum aliæ opem medicam non magnopere desiderabant; aliæ verò pulmones ita vehementer agitabant, ut æger ventriculi contenta per os ejicere subinde cogeretur, vertigine insuper correptus, à nisu violentiori & laborioso. Primis ferè diebus Tussis, siccam æmulans, nullam materiam spectabilem exantlavit; mox ætate auctior nonnihil; atque ut verbo expediam, tum in eo quòd parciùs expectorarent ægri, tum etiam conatu vehementiori, & paroxysmorum duratione ad *Tussim puerorum Convulsivam* mihi propius accedere videbatur, nisi quod mitiùs aliquantum seviret. In hoc saltem Convulsivam superabat, quòd & Febre, & solitis ejus symptomatis stipata ægrum invaderet, quæ in Tussi puerorum nondum me vidisse memini.

Solenne sit licèt Tusses sub Hyemis adventum affligere, mirabantur tamen omnes eas hoc anno ita præter solitum increbrescere: quod quidem hac præcipuè de causâ arbitror contigisse. Quum mensis *Octobris* crebrioribus quàm solebat, & fermè continuis permaduisset imbribus, & sanguis hominum tempestati consentiens particulas crudas atque aquosas affatim imbibisset, transpiratione per cutis spiracula à primo frigoris insultu prohibita, Natura colluviem hanc serosam vel per ramos Venæ Arteriosæ, vel, quod alii volunt, Asperæ Arteriæ glandulas eliminare sategit, & tussis ope explodere.

Curatio ritè ut institueretur, quoties sc. Medico fuit opus, tàm per Venæsectionem, quàm Cathartin evacuandum esse nullus dubitavi: Neque enim aliâ aliquâ methodo æquè commodè ejiciuntur redundantes seri particulæ, ac per Phlebotomiam & Cathartica, quæ tam insigniter vasa emulgent. Remedia *Pectoralia* quod attinet, [præter quam quòd eorum usu gratificamur ægris] non intelligo quo pacto amoliendæ Tussis causæ queant conferre, cùm omnis eorum actio vel in incrassandâ materiâ, quoties justo tenuior vim expultricis facultatis eludit, vel in eadem attenuanda, quoties ob visciditatem ægriùs expuitur, poni videatur. Id certò scio inutiliter in his tantùm temporis impendi; nonnunquam etiam sanguinis massam eò usque debilitari à retentis particulis seri naturæ inimicis, pulmonesque insuper Tussi irritatos ita conquassari motu violento ac ferè continuo, ut non raro via sternatur ad *Tabem*; à cujus insidiis celeritate Curationis æger vindicari debuerat. Neque multò tutius adhi-

* *Annus* 1679.

adhibentur Sudorifica, à quorum usu æger nonnunquam in Febrem incidit, nonnunquam etiam particulæ sanguinis facilè inflammabiles ita Pleuræ impinguntur, ut accendatur, *Pleuresis*, quod per decursum dictæ Tussis Epidemicæ ingenti vi hominum cum suo magno periculo contigit.

Sanguinis itaque è brachio eduxi quantitatem moderatam, *Epispasticum* satis amplum ac forte posteriori cervici applicandum curavi, quo materiæ peccantis pars aliqua aliò derivari possit. Posthæc *Catharticum* è Lenioribus, Infusionem sc. *Sennæ*, *Rhei*, cum *Mannâ*, & *Syrup. Ros. Sol.* quotidiè exhibui, donec vel prorsus convalesceret æger, vel admodum imminuerentur Symptomata. Vel, si Potio minus ægro arriderer, *Pil. Coch. Major.* ℈ij. quotidiè devorandos imperavi; horâ scilicet quintâ matutinâ superdormiendo.

Hâc etiam Methodo, Phlebotomiâ scilicet & repetitâ Catharsi, eâque solâ expugnatur *Tussis Puerorum Convulsiva*; malum aliàs pertinacissimum & penè insuperabile. Alii quid valeant hîc præstare planè nescio, me in varii atque omnis ferè generis remediis operam non semel perdidisse satis scio. Sed leniora tantùm Cathartica hîc conveniunt, eaque cochleatim sunt ingerenda pro ratione ætatis. Quæ quidem κατεπιμηδασιν evacuatio eo nomine, ut arbitror, dictæ Tussi medetur, quod scilicet, licet non multum humoris serosi in Pulmonibus inveniatur, fervidiores tamen & spirituosi Halitus è massâ sanguinis in pulmones statis temporibus transmissi atrociores illos tussiendi Paroxysmos in tenellis excitent; horum autem in pulmones impetus haud aliâ methodo æquè sisti posse videtur & præcaveri, atque hâc quâ motus priori contrarius (per viscera scilicet) morbi causæ conciliatur:

Verùm in Morbis *Epidemicis* cujuscunque demum generis sint, (si modò recèns adhuc ægrum corripuerint) summoperè cavendum, ne alvus ei ducatur, nisi misso prius sanguine. Qui enim Morbi à Constitutione aëris Epidemica pendent, aut jam Febres sunt, aut in earum classem levissimâ de causâ transeunt; cùm ex tumultu in sanguine & humoribus à Catharsi vel lenissimâ excitato, & subsequente calore facilè accendatur Febris, quam aliàs Natura propulsasset consuetis materiæ morbificæ evacuationibus; *gravedine* ex. gr. aut *Tussi* in hoc, de quo jam agimus, Epidemico, aut *Diarrhœâ*, quoties Febris cum illa faciens epidemicè grassatur. Idem potest dici de quacunque alia aëris Constitutione, quâ corpus ad certum aliquod Febris genus determinatur; quæ quidem non semper actu invadit, sed benignioris naturæ ductu morbi fomes è sanguine, mediante evacuatione aliquâ ejus Genio accomodatâ, exturbatur. Hoc Constanter assero, quantumlibet mos jam obtineat exhibendi Cathartica ante celebratam Venæ sectionem, vel quod adhuc est periculosius, eâ penitus omissâ. Licet enim objiciatur fæculentias in primis viis stabulantes toties in vacuas venas propelli, quoties detrahitur sanguis, alvo non prius subducta, certissimum tamen est evacuationem, quam isti præmitti volunt, nullo modo resarcire posse injuriam sanguini illatam à tumultuante Catharrico Phlebotomiæ præmisso. Atque negari non potest Catharticum mox à dempto sanguine assumptum longè mitius vim suam exerere, ne-

que perinde sanguinem vel calefacere vel exagitare, atque idem solet si Phlebotomiam præcedat. Neque paucos, ex Infantibus maximè, vel ob ignoratam hanc rem, vel neglectam periisse existimo.

Atque hoc mihi suffragante experientiâ multiplici compertissimum est. *Experientia*, inquam, optimâ duce & magistrâ: ad cujus leges & normam nisi exerceatur Medicina, eam prorsus exulare satiùs esset. Luditur enim, quod ajunt, de corio humano plus satis, cùm hinc Empirici, neque morborum historiam, nec Methodum medendi callentes, & Receptis tantùm freti; isthinc Sciolorum vanissimi spem omnem in affectato Artis ambitu & speculationibus utrinque pari ferè momento disceptatis ponentes, quasi junctis viribus majorem edunt stragem, quàm ederent morbi eorum destituti auxilio. Ea demum Praxis, eaque sola ægris mortalibus opem feret, quæ Indicationes curativas ex ipsis morborum Phænomenis elicit, dein firmat experientiâ: Quibus gradibus magnus *Hyppocrates* ad cœlum ascendit. Et si dictâ Methodo Ars Medica à quoquam traderetur, licet morbi unius aut alterius Curatio cuilibet è vulgo possit innotescere, integra tamen Ars, quaqua patet, homines prudentes & peritos etiam magis exquireret, quàm in statu hodierno, neque vel minimum Artis honori exinde decederet. Cùm enim subtilitas longè accuratior in Naturæ operationibus (in quarum observatione vera Praxis Medica fundatur) quàm in Arte aliquâ, Hypothesibus etiam luculentissimis suffultâ, inveniatur, medendi, Ars, quam præcipit Natura, rude vulgi ingenium longiori intervallo superabit, quàm ista, quæ à Philosophia docetur. Fidem hic mihi facient *Febres*, quæ duas è tribus in Medicina facienda partes occupant, & quemvis mihi arbitrum constituo, vel mediocriter cogitationibus indulgere solitum, vera dicam necne, Quis enim vel ex insulsissimis Empiricis est, qui se huic morbo curando imparem fatebitur, si id tantùm agendum est, ut duabus istis Indicationibus Curativis, quæ vulgò obtinent, fiat satis? Nempe ut Sudoriferorum ope exterminetur materia morbum committens, & symptomatis eatur obviam, quæ ejusmodi evacuationibus superveniunt, Certissimus enim est, *Theriacâ Andromachi, Pulv. è chelis Cancr. comp. Aq. Epidem. &c.* intrò assumptis, unà cum regimine calidiori sudores posse propelli; quem sibi, scopum unicè proposuit in hujus morbi curatione, maximè si fortè *Malignitatis* nomen auribus usurpaverit. Et ad mitigenda quod attinet symptomata, *Diacodium* in promptu, est quo somnus invitetur, quoties urgeant vigiliæ, *Enema* quoties alvus non respondeat, & sic de cæteris. At nec ipsus valet comprehendere suo Marte, nec è Medicorum præscriptis edisscere, quæ demum illa sit Febris species, quam debellare satagit; si modò credamus (credent saltem fortè Posteri) varias dari Febrium species, quarum singulæ suam sibi methodum medendi à reliquis diversam ferè postulant; Unam insuper eandemque Febrem, cujuscunque sit generis, uno modo ubi primùm aggreditur, atque alio paululùm diverso per singulos gradus quousque grassabitur, tractandam esse. Quo pacto Indicationes Curativas ab hoc vel illo Phænomeno minus insigni mutuabitur naturalem morbi Historiam ignorans

quæ

(quæ sola veram medendi rationem indigitare poterit,) cùm nequeat dijudicare, an hoc vel aliud Phænomenon à Curandi quam adhibet Methodo, an ab ipso nascatur morbo? Dies deficeret enumerantem varia & subtiliora illa minutioraque, quæ in hoc atque in aliis morbis curandis observanda occurrunt: quæ cùm tot sint & tanti momenti ad liberandos à morte homines, semper licebit Posteris & seris Nepotibus aliquid adjicere iis Observationibus, quibus traditur varietas penè infinita operationum naturæ in Morborum productione, & Curativæ Indicationes ex eo fonte depromendæ enumerantur. Non itaque vilescet Ars, si quid hujusmodi lucem aspiciat, quin potius illustrabitur, & difficilior reddita nonnisi sapientes & subacti judicii viros in filiorum numerum cooptari sinet. Sed hæc obiter.

Tusses modò dictæ, si imperitè tractarentur, *Febrem* accendere solebant ei haud absimilem, quæ Hyeme Anni 1675. adeo epidemicè grassabatur, & cujus historiam tradidi *Sect. quintâ Cap. quinto* libri de *Morbis Acutis*. Sed cùm Febris hæc soboles tantùm esset ac effectus Tussis Epidemicæ, eâdem ipsâ methodo Febrem, felici semper cum successu, aggressus sum, quam in Tussis curatione supra descripsi; nempe *Venæ-sectione*, *Epispastico* cervici appositio, & *Cathartico* deinde tribus auroris exhibito. Quamlibet enim in Tussi sine Febre nullum præfiniebatur tempus, quamdiu æger purgandus esset (utpote quæ continuari deberet, ut supra notavi, donec vel prorsus convalesceret, vel admodum imminuerentur symptomata) in Febre tamen quæ à Tussi pendebat, purgatio per tres dies instituta ei prorsus debellandæ par erat; quod in Constitutione, de qua jam agimus, sæpiusculè observavi.

Hic autem notandum occurit, licet hanc Febrem, quando se primùm excrebat, comitarentur defluxiones in Pulmones molestissimæ. post mensem tamen unum vel alterum, cùm colluvies ista seri sensim è sanguine eliminaretur, Febris ejusdem planè indolis hinc inde sine Tussi aliqua infestabat (non penitus deleta, sed manente adhuc in sanguine malæ Crasis impressione) ac proinde haud diversam Curationem ab ea, quam Tussis comitabatur, sibi vendicabat.

Verùm eodem, quem dixi, modo hæc Febris se extendebat usque ad initium Anni 1680. quo hæc conscripserim; quo tempore etiam cum anno surgente *Febres Intermittentes* modò dictæ apparere incipiebant. * Exinde verò ad initium usque Anni 1685, quo *secundam* hanc nostram *Editionem* jam conficio, eædem adhuc perdurarunt. Etenim tametsi in hac urbe non adeò Epidemicè nunc temporis invadunt ac in quatuor primis Annis, & mitiores etiam sunt; in aliis tamen locis, nunc his, nunc illis, non minus grassantur ac seviunt. Arque etiamnum generalis Constitutio Intermittentibus producendis adeò favet, ut ad hunc usque diem affirmare possim, me ne unicam quidem Febrim per hos dies verè *Continuam* vidisse unquam, nisi fortè re malè gestâ in earum classem fuerit evecta, vel una esset *Intercurrentium* mihi dictarum, quòd scilicet omni ferè anno invaderent. Ita pertinaciter hæc Constitu-

* *Anni* 1680, 81, 82, 83, 84.

tio hujusmodi Intermittentibus conducit ; cujus certè acies prius est retundenda quàm *Continuæ depuratoriæ* mihi dictæ, epidemicè grassari fuerit integrum. Etenim in Intermittentium specie natura plus satis festinare videtur, & agendi vehementiâ justo citiùs tempora materiæ morbificæ subigendæ, mox etiam despumandæ, debita percurrere : Quod in Depuratoriâ secus accidit : in qua non nisi post dies 13 vel 14, apparent signa materiæ febrilis tandem concoctæ, per sudores subinde, vel potius per διαπνοὴν paulò pleniorem, eliminandæ, (His rite perpensis nullus dubito quin Febres istæ *Depuratoriæ*, quæ annis 61, 62, 63, 64. regnabant, quasi fæces fuerint *Intermittentium* quarundam quæ ante id tempus per seriem Annorum certam sæviissent, (quanto autem tempore hæ invaluissent haud equidem scio :) Cùm enim Constitutio quæ ad Intermittentes faciebat sævitiem suam deponens jam fermè exoleviset, Febres quas postea parturiebat magis humorales erant ac terreæ, unde non nisi lentè ac pedetentim sanguinem depurare sategerit, quæ in primis Constitutionis Annis subtilioribus principiis innixæ, atque adeò Intermittentium typo indutæ, celeri passu suis temporibus defungi solerent. Quòd si res ita se haberet, verisimile mihi videtur hanc Febrim [*Depuratoriam* volo] postliminio reversuram quam primum præsens Constitutio aliquantulum remiserit, eandemque serie quadam Annorum permansuram antequam *Pestis* eam exceperit. Per annos autem omnes, quotquot demum ii fuerint quibus Febris hæc grassabitur, *Intermittentes* etiam subinde se exerent, ac fortean nonnunquam pro brevi tempore Epidemicæ evadent ; quando scilicet manifesta aliqua aeris temperies ad id symbolum suum conferet. An huic Febri *Cortex Peruvianus* æquè medebitur ac nunc dierum Febribus intermittentibus solet, non habeo certò dicere. At in *Peste* atque *Epidemicis Continuis*, quæ eandem ordine excipient, debellandis, non alios effectus ex ejus usu expectare licet, quàm eos, quos hodiè in *Pleuritide*, *Peripneumoniâ*, *Anginâ* ac id genus *Febribus inflammatoriis* videmus, quibus non tantum non prodest, sed & planè obest. Sed ut ut id fuerit, eo quem diximus modo in posterum Epidemicorum alii alios excipient, siquidem natura eundem ordinem, ac per 24 annos ultimò præterlapsos, observaverit.

Atque hæc ferè sunt omnia, Vir plurimùm Honorande, quæ de morbis Epidemicis Annorum nuperrimè elapsorum observavi. In *Rheumatismi* verò curatione (nam & de illo etiam morbo quærebas) sæpenumero mihi subiit tecum dolere, quòd non nisi ingenti sanguinis vi repetitis venæ sectionibus eductâ, ea possit perfici ; unde non tantùm ægri vires pro tempore frangantur, sed si paulò fuerit naturâ debilior, aliis etiam morbis ad annos aliquot obnoxior ferè redditur ; cùm post illos elapsos materia Rheumatismum prius committens jam in pulmones depluat, ægro scilicet frigore perculso, vel aliâ aliquâ προφάσει leviori diathesis latens in sanguine jam foràs in actum protrudatur. His de causis experiri statui, an nulla alia methodus daretur à reiterata toties Phlebotomiâ diversa, quâ hic morbus possit debellari. Seriò itaque perpendens, quòd affectus iste (uti jampridem in *Acutorum Historia* subinnui) ab

ab inflammatione videatur oriri, quod tum cætera arguunt Phænomena, tum præsertim sanguinis è pertusa vena color, ut pote qui *Pleuriticorum* sanguini per omnia similis est; tandem vero simile esse judicabam morbum hunc Diætâ simplici, admodum refrigerante, & mediocriter nutriente, ægro imperatâ, æque feliciter atque repetitis Venæsectionibus profligari posse; etiam evitatis quæ alteri methodo adjungebantur incommodis: neque me fefellit *Diæta è sero lactis* Phlebotomiæ loco substituta.

Prægressâ ætate Pharmacopola mihi in vicinia nomine *Malthus* (Vir probus, & ingenio non vulgari) me accercebat. Rheumatismo autem miserè cruciabatur his symptomatis stipato. Coxendice primò ad biduum claudicabat, exinde Pulmones dolore tentabantur gravativo cum dyspnœâ, quæ post aliud fermè biduum evanescebat; dein caput vehementer cœpit dolere, mox etiam coxendix dextri lateris, quæ omnium primo laborabat; posteaque, pro morbi indole, omnes ferè tam brachiorum quàm crurum articuli per vices molestabantur. Cùm debiliori esset & sicco corporis habitu, verirus ne minus firmas jamdiu vires & labescentes dempto copiosus sanguine prorsus exsolverem [maximè cùm ætas eo usque adoleverit, ut jam metus esset, ne superveniens hyems redintegrandis viribus frequenti venæ-sectione attritis intercederet] imperavi, ut solo *lactis sero* ad dies quatuor vesceretur æger, quibus elapsis præter serum lactis pro victu ordinario panem similagineum concessi loco prandii, semel nempe in die, donec penitus convalesceret.

Tenui hâc diætâ contentus, ad dies octodecim perseverabat, nisi quod postremis eorum alium insuper panem pro cœna indulgerem. *Serum* autem *è Lactis Libris octo* domi paratum quotidiè insumebat, quo satis benè nutriebatur. Post hos dies cùm non amplius urgerent symptomata, & jam sub dio versaretur, carnes etiam permisi, Pullorum scilicet elixorum, cæteraque εὐπεπῆ. Tertio autem quoque die solo lactis sero victitabat, donec tandem pancraticè valeret; incommodis quæ supra memoravi hac methodo elusis, quibus decimo abhinc anno pessimè excipiebatur. Venæ-sectione ex meo prescripto in curationis subsidium tunc adhibitâ ac sæpè repetitâ.

Si quis hanc methodum tanquam tudiorem & Artis laude carentem contempserit, sciat is velim, primò leviora tantum ingenia res quaslibet vilipendere, quòd simplices fuerint & apertæ, dein mé, vel imminutæ existimationis pretio, publico hominum bono inservire paratissimum. Quibus edico quòd nisi obstarent præjudicia vulgi nullus dubitarem methodum jam dictam aliis etiam morbis, quorum impræsentiarum nomen reticere libet, accomodare. Quod sanè magis ægris prodesset, quàm solennior illa remediorum pompa, quæ in jam moribundis, tanquam bestiis, ut mox immolentur, coronatis, malè collocatur.

Quòd verò etiam ista, quæ pro vilissimis habentur, & nullius sunt pretii, accedente eâ, quæ in Medico quæritur solertiâ & ἀγχινοίᾳ, hominibus ab orci faucibus liberandis queant inservire, exemplo docebo: quod licet ad morbum, de quo jam agimus, nihil pertineat, non tamen prorsus est ἀπροσδιόνυσον,

διόνυσον, nec ab eo quem mihi propositi scopo alienum. Duobus abhinc mensibus quidam in vicinia me rogabat, ut servum inviserem; qui haud modicam *Mercurii Sublimati Corrosivi* quantitatem deglutiverat, sive, ut postea audivi, ex amore μελαγχολῶν. Hora ferè elapsa erat, a qua venenum hauserat, cùm ad eum accederem, jamque os & labia valde intumescebant, vehementer ægrotabat, ardente ventriculi dolore, caloreque tantùm non confectus: Ego tres *Aquæ tepidæ Congios* repetitis hausti bus summâ qua potui celeritate & diligentiâ ebibendos imperavi; atque ut toties nova ingeretur copia, quoties ventriculus jam ingestam per vomitum ejecerat: volui etiam ut eluerentur intestina aquâ tepidâ sine ullo additamento copiosè per sedem injectâ, ubi primùm ventris tormina admonerent venenum jam per inferiora exitum quærere. Paruit miser, jam vitæ avidus, & plures etiam aquæ libras quàm præscripserim, absorpsit. Amici, qui ægro, utpote in casu insolito, assiderent; ab eo didicerunt, quas primùm evomuit aquas gustu perquam acres fuisse, sale scilicet venenato plenius exaturatas; singulis autem vicibus rejectas aliquam semper acredinis partem amittere, donec tandem nihil prorsus saperent. Quæ mox urgebant tormina, solâ aquâ injectâ ad modum Enematis leniebantur. Hoc tam nullo rerum apparatu, benedicente Numine, intra paucas horas convaluit æger, nisi quòd labia non statim detumescerent ore etiam à veneni particulis, quæ aquam, quam evomuerat penitius infecerant, adhuc exulcerato. Quæ symptomata *Diætâ è lacte* solo ad quatriduum adhibitâ mox evanuere. Aquam *Oleo* (quod hîc unâ cum opere ignari solent perdere) atque aliis omnibus liquoribus ideo prætuli, quòd cùm ea magis esuriret, exinde magis idonea mihi videretur devorandis salinis hujus veneni particulis, quàm alius quilibet liquor, qui vel crassior esset, vel particulis alieni corporis jamdiu prægnantior.

Sed ut ad *Rheumatismum* revertar. Utut è serò lactis Diæta conveniat Juvenibus, atque iis, qui temperatè & cùm consilio vixerunt, tamen inconsultum fuerit virilem ætatem prætergressos, vel vino ac aliis liquoribus spirituosis jam à longo tempore plus æquo addictos hâc methodo tractare; utpote quæ in hujusmodi hominibus ventriculum labefactet, & pariter præ inusitato frigore sanguini inducto viam sternat ad Hydropem. In hoc igitur casu omnino par est, ut eo ferè modo, quem Libri nostri *de Morb. Acut. Sect. VI. Cap. V.* tradidi, curetur æger: Tametsi ex quo eum scripsi, experientiâ didicerim satius esse post secundam vel ad plurimum post tertiam Venæsectionem *Catharica* sæpè sæpius exhibere atque repetere, donec symptomata omnia penitus cessaverint, quàm Phlebotomiæ rem totam committere. Etenim ob Catharsin suppetias ad everruncandum morbum Phlebotomiæ ferentem, citra ingentem istam sanguinis jacturam subsistere fas erit: atque porrò locus relinquetur *Paregoricis*, à quibus aliàs, utut sæviret dolor, ægro temperandum esset, cùm illorum usu figatur morbus, neque tam facilè Venæsectioni cedat. Purgativa verò ista è *Lenitivis* solùm constent, ut *Thamarindis, Sennâ, Rheo, Mannâ & Syr. Ros. Sol.* cum alia, quæ ex *Scammonio, Zalapio* &c. parantur, tumul-

tumultum cieant & dolorem exasperent. At singulis vespertinis post peractam Catharsin *Syr. de meconio* ℥j. aliquantulum temporius, quàm id fieri solet, propinetur.

Hic autem commemorare libet, me per constitutionem instantem observasse affectum quendam modò *Rheumatismum* æmulantem, modò etiam à *Nephritico dolore*, quoad sævissimum lumborum cruciatum non multùm abludentem, qui cum Febres Intermittentes excipere soleret, translationi materiæ febrilis in musculosas corporis partes originem suam debebat. Hoc symptoma haud diversam medendi methodum postulabat ab illa, quam morbus ipse, cui adhæreret, Febris nempe Intermittens, sibi vendicabat; cùm à frequenti Phlebotomia & quibuscunque aliis evacuationibus exasperetur illud, atque æger in vitæ discrimen conjiceretur. Quod ut nemini imponat, id attingere volui.

Atque hæc sunt, Spectatissime Vir, quæ in his Affectibus, de quibus sciscitari libuit, sedulâ observatione habeo comperta: quæ si aut tibi placuerint, aut profuerint aliis, mihi cedent ex animi sententia; me saltem pro tenuitate mea debitum tuæ Claritati observantiæ specimen exhibere conatum mihi seriò gratulabor.

Tibi semper Addictissimus,

THO. SYDENHAM.

HActenus vidimus Clarissimum Autorem nostrum Constitutiones Epidemicas Londinenses Annor. 1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666. 1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672. 1673. 1674. 1675. 1676. 1677. 1678. 1679. 1680. imò ex parte usque ad annum 1685. magnâ curâ describentem. Vtinam alii plures eidem studio incubuissent! Historia morborum sic minùs manca foret, & iisdem recurrentibus constitutionibus in subsequentibus annis, apertior, ac multò facilior daretur via ad morborum per ea tempora vigentium medelam. Verùm pauci admodum diligentioris observationis negotium, non parum sanè difficile, in se suscipere dignati sunt; inter quos si insigniores aliquot seligeremus, atque hic insertos traderemus, ut sic aliquatenus plenior fieret Constitutionum Epidemicarum Historia, Docto Lectori perutile quid nos facturos opinati sumus. Sunt autem Præclarissimi illi Observatores quos in Scenam

jam producimus. Bernardinus Ramazzini; Lucas Schröckius; Michael Bernardus Valentinus; Iohann Iacob. Harderus; Gustavus Casimirus Gabrliep; Conradus Bertholdus Behrens; Rudolphus Iacobus Camerarius; Anbrosius Stegmannus; & Medici Vratislavienses.

BERNARDINI RAMAZZINI

in Mutinensi Lycæo Medicinæ Professoris

DISSERTATIONES TRES

de CONSTITUTIONIBUS Annorum 1690. 1691. 1692. 1693. 1694. in Mutinensi Civitate & illius Ditione

Dissertatio Prima.

De CONSTITUTIONE Anni 1690.

SOlemnis Astrologorum, quos Judiciarios appellant, ferè ubique est Consuetudo, ut cum Annus extremo senio confectus est, & ad sui finem properat, illicò succeßuri Anni genesim in anteceßum describant, & ex Astrorum positù illius Indolem genium, mores, nùm salubris, an insalubris, nùm frugifer, an sterilis futurus sit, suas Ephemerides evulgando prænuntient. Contraria quidem, sed ruriori methodo mihi visum est incedere, siquidem Anni jam exacti naturam, ac temperiem, qui Morbi grassati fuerint, quæ remedia Praxis salutaria deprehenderit, quæ noxia, compendiosè enarrare constituì, quod Institutum posthàc singulis Annis prosequi mihi in animo est, donec Operis filum abrumpat.

-----Mors ultima linea rerum.

Id autem Ingenuis Professoribus nec injucundum, nec Praxi prorsùs inutile futurum credidi, quando Ars Medica solis Observationibus ortum suum, ac progreßum debet, majorem quoque in dies habitura, si ea quæ in morborum Curationibus nova, & insolita quotidiè accidunt, accuratiùs observarentur. Erit tamen, non secùs ac in Astrologorum Ephemeridibus, hic quoq: Diuinationi locus; non enim ea solum quæ hoc Anno apud Nostrates acciderint, referre satis duxi, sed pensum meum existimavi, ulterius causas disquirere, undenam tàm copiosa morborum seges in agris nostris prodierit, ac si non philosophari, saltem divinare, quem exitum habitura sit hæc Epidemica Affectio. In rebus autem abstrusis, & alta caligine involutis vaticinari quoque humanam imbecillitatem pudere non debet, multòq; minus in Arte Medica, quandò ipse Divinus Præceptor tradidit, *Medicinam, & Vaticinatio-*

tionem esse valdè cognatas, cum ambarum Artium unus sit Apollo Progenitor.

II. Exactè perdiscendam *Temporum Constitutionem & quemque morbum, & qui morbus sit bonus, & qui periculosus, aut in Constitutione aut in morbo* verba sunt, immo Oraculum Hippocratis in libro de diebus Judicatoriis, nam ut ibidem ait, *Plerumque Hominis Natura Vniversi potestatem non superat.* Nomine autem Universi procul dubio Divinus Senex Aeris potestatem nobis designavit, ex cujus vitio omnes ferè Epidemiales affectus ortum ducunt. Plurimum autem momenti, tùm ad prænoscendos futuros morbos, tùm ad eosdem profligandos, & rectam victus rationem instituendam, quæ à morbis vulgaribus Optima Præservatrix dicitur, plurimum in quam momenti habere, non solum præsentem temporum Constitutionem, sed etiam anteactas diligenter observare, nemo non videt, cum ex iis, tamquam ex sua radice variæ, & insolentes Aeris alterationes progerminent, quæ modò hanc, modò illam morbi popularis speciem quandoque inferant. Antequam ergò Epidemici Affectus, qui Colonos nostros, & Cispadanæ Regionis humiliorem partem afflixit, descriptionem aggrediar, operæ pretium duxi, prægressas Constitutiones paululum perpendere.

III. Quatuor, aut quinque Annos non vulgaris siccitatis in tota penè Italia præcessisse jam satis constat, quo tempore uberrimus fuit frugum omnium proventus, & satis prospera valetudine in universum uti concessum fuit; adeò verum deprehensum est vulgatum illud, quòd *in siccitatibus omnia sint salubriora.* Anno verò huic præcedenti circà Vernale Aequinoctium ingentes pluviæ cecidere, quæ identidem repetentes totum Veris tempus horridum, & ignavum reddidere. Æstas subsecuta, & ipsa fuit magna ex parte pluviosa. Circà Solstitiuum signa Rubiginis in frugibus observari cæpta, quæ Rubigo sensim augescens triticeam segetem maximè corripuit, frumenti culmos usque ad aristam maculis veluti sanguineis adspergens. Eadem pestis fabas quoque, ac reliqua legumina obsedit, adeo ut spem præconceptam de Anni fertilitate pauci dies eluserint; solabatur tamen Annorum antecedentium fœlix ubertas, ut venturis temporibus provisa sufficerent. Sub initium Septembris, ac multò magis sub Æquinoctium ipsum largiores pluviæ deplapsæ, quæ per totum Octobris mensem perseverarunt, ut Flumina immensam aquarum vim intrà suos aggeres non nisi improbo labore continuerint. Postremi duo menses ferè impluvii fuerunt, & Annum 1689. satis placidè clausere. In prædictis Constitutionibus non nisi morbi Sporadici observati sunt, nec multa funera Annum incestarunt.

IV. Ineunte autem Anno 1690. (quem Rubigalis lues fruges & quodcunque fructuum genus depascendo, & Febrium Ilias primò Rusticanam gentem, mox Vrbanam quoque corripiendo, ne fastum reddidere) Constitutio pluvialis post liminiò, sed gravior recurrens, ac ferè continua, omnium animos obnubilavit. Sic hyemem humidam, nimbosam cum exiguo frigore, nivibus vix delapsis illicò tabescenti-

bus, ægrè transegimus. Martius mensis porrò sine pluviis præter morem, & magna aeris tranquillitate usque ad Aequinoctium exactus animos erexerat, cum Cælum denuò omnes quas in sinu suo contineret aquas visum est super nos effudisse. Unius Nyctemeri spatio aquis oppleta sunt omnia, ut hæc Civitas Insulæ specimen præferret. Horret animus Agricolarum calamitates in hac magna eluvione referre, qui

Ducebant remos illic ubi nuper ararant.

Neq; id solum visum est in Mutinensi agro, sed etiam in Finalensi, Mirandulano, & Ferrariensi, qui situs pars olim fuit antiquæ Vallis Paduæ, in quam omnia Flumina ex Appennino descendentia à Placentina Vibe usq; ad Adriaticum Mare, Strabone teste exonerabantur, antequam structis aggeribus Padum subire cogerentur; quarè in his locis ad longum tempus stagnarunt aquæ, non admittente Pado ad satietatem pleno, non solum circumiacentes aquas, sed per Scultennam, & Gabellum proprias aquas in agros nostros eructante. Perstitit deinde eadem pluviosa Constitutio non solum toto Veris tempore, sed per totam ferè Æstatem, ut nulla penè dies sine pluvia visa fuerit. Hinc factum, quod unà cum pluvijs flante ut plurimùm Borea, nulla unquam Æstas nostro in hoc Climate extiterit, in qua remissior fuerit caliditas, ut patuit ex Thermometris unde nunquam serior fuit frugum maturitas, messe Iulio mense peracta. In Barometris quoq; observatum est multò elatiorem quàm aliàs fuisse Mercurium, Aere crasso, & nebuloso existente. Cicadæ hoc anno ut plurimùm aphonæ observatæ sunt, illarum loco per totam ferè Æstatem coaxantibus Ranis; sic pro Vere hyemem, & pro Æstate Ver sortiti fuimus.

V. Nullus Annus in his Regionibus pisculentior unquam fuit, quare cum Pisces ubique pretio vilissimo prostarent, plebs Urbana hoc alimenti genere familiariter usa est, multòq; magis plebs Agrestis, quæ facili negotio proprijs in agris, & in ipsis laribus pisces captabat. *Neptuno pro Cerere victum subministrante*, ut de Ichthyophagis scripsit Diodorus Siculus, donec super cibo isto levissimo nauseante rusticano stomacho, sicut olim gens Hebræa in Deserto, Allia, & Cœpas appeterent. Ab amico Mercatore fide digno, qui Mantuanum agrum hisce temporibus peragrauit, ut Sericum emeret, accepi, Rusticos illos ægrotis suis febricitantibus, & nauseabundis Allia, & Cœpas coctas pro ferculo præbuisse, quod cum in aliquibus fœliciter cessisset, passim exindè hoc remedij genus, tamquam Elixir proprietatis, quo mirificè recreabantur, valdè ex usù fuit.

VI. Sub initium Iunij denuò, sicut Anno ante acto, apparuere signa Rubiginis. Vim Rubigalis morbi prima persensit Morus, nec illi quiquam profuit ipsius Prudentia, cujus Symbolum in censù Plantarum audit. Mox eadem Rubigo, pessimus omnium frugum morbus, & paulatim augescens Frumenta, & omnia legumina, sed præsertim Fabas, occupavit, neq, solum in locis humilioribus, ubi computruerant aquæ, sed etiam in editioribus, ut suprà Viam Æmiliam, & in ipsis Collibus. Luctuosum sanè, ac deplorandum spectaculum omnium oculis fuit, campos circumquaque non vi-

rientes, sed atratos, & fuliginosos ictueri; sicut enim Anno huic præcedenti hæc lues rubro colore fruges infecerat, ita hoc Anno, *non Creta, sed Carbone notando*, easdem magna atredine respersérat. Sic frumentatio pessum juit, Frumento partim à Rubigine absumpto, partim ob aquarum colluviem in Lolium conversó. Sed neque Plantarum fructibus, qui Æstatis principio, vel sub Opora matureścunt, pestis hæc pepercit. Nunquam in tota Estensi Ditione Vvarum, sicuti rerum omnium maximè ferace, parcior fuit Vendemia, botris ab eadem peste paulatim exesis. Nucibus tantum, quarum præter morem ante actis annis magna penuria fuerat, hæc Rubigalis lues non nocuit. At neq; hortensis familia vim hujus morbi cuncta depascentis effugit, nam Olera ferè omnia sydereo veluti afflatù ustulata sunt; adiecta quoq; altera clades, nam Erucæ, & Bruchi hortos omnes depopulati sunt, nudis Stolonibus relictis. Melonum, sicuti & reliquorum fructuum, magna fatuitas, ut & ipsa Animalia illorum esum quandoque respuerent.

VII. Vix risum forsan tenebit aliquis, quod res tàm minutas adeò curiosè persequar; at is sciat quòd magnarum calamitatum non ratò exigua sunt signa, &

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triste dabit.

Quemadmodum in re Nautica ex levi nebula magnæ tempestatis signa captantur, ità & in re Medicà ab exilibus indicijs magni morbi impendentes non ratò prævidentur, quarè Hippocrates: *Nihil negligere*, Sic non immerito Cleombrotus apud Plutarcum, Demetrium dicentem, ridiculum esse ex rebus minutis de grandibus facere indicium, arguebat his verbis. *Artem Medicam pestilentem æstatem ex aranearum frequentia prænunciare, atq; ex foliis siculnis, quando Vere Cornicis pedem referunt, quis confitebitur quires pusillas statuat vestigia non esse magnarum?*

VIII. Pluviosam Constitutionem quæ ab anni principio usq; ad totum Julij mensem obstinatè perstiterat, magna postmodum siccitas per duos ferè integros menses excepit; hujusmodi tamen siccitatem non multa caliditas commitata est, & qualis cæteris Annis apud nos persentiri solet, præsertim cum *Procyon furit,*

Sole dies referente siccos.

Post æquinoctium verò cœperunt denuò apparere pluviæ, ad quarum primum adspectum nemo non expavit, fuere tamen valdè moderatæ, & quantum sufficerent ad terram strigosam, ac veluti saxeam ob prægressam siccitatem emolliendam, adeò ut Colonorum votis pro desiderata frumenti satatione responderit. Vltimi duo menses, sicuti priori anno cum per petua ferè serenitate, & modico frigore quantum prima pars hyemis postulabat, Anni cursum absoluerunt.

IX. Hæc itaque fuit hujus Anni Constitutio, omnium non solum Vegetabilium, sed etiam Animantium naturæ, ut modò videbimus, valdè infesta. Quamvis ergo hyems adeò intempestiva fuerit, nihil tamen contigisse scio, quod ad Medicam lancem trutinari debeat, neq; id mirùm, nam tunc temporis cudebantur morbi suo tempore, & loco erupturi. Epi-

demios Affectus, non præsentium Constitutionum, sed præcedentium esse productum, & sobolem scitè annotarunt Montanus, & Vallesius, duo clarissima Medicinæ lumina, idq; apertis verbis ipse quoq; Hippocrates asseruit. *Cum fieret autem*, inquit ille, *totus annus humidus, & frigidus, & Borealis, per hyemem quidem salubriter degebant maxima ex parte, ante Ver autem multi quidem degebant morbidè.* Succedente itaque Verno tempore, ac circâ medium Aprilis mensem magna febrium seges in Mutinensi agro intrà Viam Æmiliam, alijsq; proximis locis, ubi, diù stagnarant aquæ, ex improviso caput extulit. Tertianæ omnes intermittentes ab initio fuerunt, & neminem novi, qui in principio hujus Epidemici affectus alio febris genere tentatus fuerit. Indiscriminatim Ruticolæ omnes, cujuscunque sexus, ætatis, temperamenti, vitæ generis corripiebantur, cum magno horrore, frigore, & tremore interdum quoque vomitione accedebant hæ Febres; copiosi quidem sudores in principio hujus Epidemici Affectus ipsas comitabantur, qui posteà in morbi progressù remittebant; pauci integrè judicati sunt, sed omnes ferè; qui evasisse videbantur, experti sunt recidivas; neminem tamen hujusmodi Febrium genus licet tàm populariter grassatæ fuerint, quod sciam, sustulit. Multoties accidit, ut cum in die intermissionis celebraretur phlebotomia, eadem die Febris corriperet, & de simplici Tertiana duplex fieret. Nec; id solum Ruri observatum est, sed etiam in Oppidis, & in hac Civitate, cum eodem tempore Oppidani quoq; & Plebs Urbana isdem Tertianis febribus intermittentibus exercerentur, sed longè inferiori numero, ac gens Rusticana.

X. Perseverarunt itaq; hujusmodi Febres per totum Veris tempus cum ejusmodi typo; accedente verò Æstate, in duplices Tertianas omnes conversæ, & quæ de novo accesserunt, hujusmodi typum seruarunt. Duplici Tertiana igitur omnes fere Agricolæ eodem tempore laborarunt, quæ quidem ut plurimum intermittens erat, sed valdè protracta, ut paucæ horæ pro apyrexia numerarentur. Vespere ut plurimum exacerbabantur, illas stipante magno Symptomatum satellitio, veluti vomitione, anxietate, capitis dolore, vertigine, in nonnullis stupiditate, in alijs mentis emotione; quod autem non rarò mihi observatum est, magna erat virium nocturna prostratio, ac interdùm cum asphyxia, ut proximi Silicernio viderentur, manè cuncta hæc remittebant oriente Sole, ad cujus matutinos radios, è lectulis exsurgentes se exponebant, ac vitales spiritus ex inexhausto illo luminis, & caloris Fonte veluti potabant. Cum hoc Anno curiosiùs rusticatione, quamvis parum tuta, oblectatus fuerim, non semel admiratus sum, quo modò Aegri, qui tota nocte cum Morte luctarant, manè sub Porticibus, velut Angues ad Solem cutem curantes, erecti starent, ac tantum virium ijs superfuisset, ut campos etiam peragrarent; perstitit tamen in omnibus satis commoda cibi appetentia, quin persæpè non paucos audivi de nimis parca alimonia conquerentes,

tes ; ac re verà hujuſmodi Febres, quantum obſervare licuit, fuere magis famelicæ, quam ſiticuloſæ.

XI. Verminatio nunquam aliàs major fuit, nec ſolum in Pueris, ſed etiam in provectioris ætatis hominibus. Memini me vidiſſe Ruſticum quendam annorum circiter 40. ſub Porticù ad Solem ex Febris acceſsù rigentem, atque unà valdè ſingultientem, à quo cum ſciſcitatus eſſem, nùm Vermes rejeciſſet, ac ille reſpondiſſet, ſe aliquot Vermes inferiùs, ac ſuperiùs dejeciſſe, Singultum, à cujus moleſtia ſe potiſſimum liberari inſtabat, à Vermibus ſtomachum laceſſentibus fieri aſſerui ; cum autem fortè pulverem Chinæ Chinæ ſibi à Medico Forenſi præſcriptum in promtù haberet, permiſi ut illum aſſumeret. Siluit pertinax Singultus unà cum febre, quæ tamen paucis poſt diebus rediit, ſed ſine tàm moleſto Symptomate. Aliàs poſteà expertus ſum hujuſmodi remedii genus in lumbricis puerorùm enecandis, quod mihi felicitèr ceſſit.

XII. Sanguis, qui in hac Conſtitutione ſecta Vena educebatur, ut plurimùm craſſus, & ſub pallidus apparuit; in nonnullis etiam Icterodes obſervabatur, quamvis exteriùs in Corpore ſimilis color non floreret. Alui excrementa in omnibus ferè febricitantibus craſſa erant, & compacta. Quæ per os rejiciebantur ſubacida potiùs erant, quam amara. Vrinæ ut plurimum craſſæ, ac turbidæ multumque lateritii ſedimenti habentes reddebantur, ac perſæpè in febribus, in quibus nulla erat cacoethiæ ſuſpicio ; Hypochondria in omnibus dura, ac diſtenta.

XIII. Quibuſdam, poſtquam illos hujuſmodi tertianæ febres diù exercuiſſent, apparuere Parotides, quæ ut plurimum ſuppurabant, at neque hoc pacto contumaciſſimæ febres ſummovebantur. Curavi Mulierem utero gerentem, quæ, cum per integrum Septembris Menſem febricitaſſet, oborta Parotide, ac fæliciter ſuppurata, & ad longum tempus perpurgata, nondum tamen, cum jam Anni finis imminet, à febre immunis eſt ; adeò contumax, ac penè indomabilis erat fomes, cui hærebant hæfebres. Cæterùm nunquam viſæ contumaciores febres ad recidivandum magis pronæ, & quæ magis Medicorum induſtriam eluderent; ſiquidem nec repetitæ phlebotomiæ, nec purgationes, nec millè alexipharmaca, quæ pleno gutture tanquam manus Deorum Receptariorum Chorus adeò celebrat, quicquam profuere. Immò obſervatum, citiùs ac tutiùs reſtitutos, quibus nec ſanguis dectus, nec purgantia exhibita, nec ullum aliud remedii genus adminiſtratum, toto ſalutis negotio Naturæ morborum Medicatrici commiſſo. Fœliciùs tamen ceſſit, quibus purgationes, & vomitiones præſcriptæ, quam quibus pluries ſecta eſt Vena ; ii namque in deteriùs ſemper labebantur. Vidi pauperem Agricolam à duplici tertiana ad longum tempus conflictatum, & jam in magno diſcrimine verſantem, cui nec detractus fuerat ſanguis, nec ullum aliud remedii genus adhibitum, ſolo Vini generoſi potù meo conſilio propinati fœliciter convaluiſſe ; ſic multos alios novi hoc, ſolo cardiaco reſtitutos, aquæ uſu, ac cæteris remediis ablegatis.

XIV. Cum

XIV. Cum autem hujuſmodi Tertianæ febres non ſolum Colonos, ſed etiam Oppidorum majorum, & Urbium Incolas, ſi non tam populariter, ſaltem eadem contumacia fatigarent, ac usù potiùs remediorum exaſperarentur, quam miteſcerent, mihi viſum eſt hoc Anno apud nos contigiſſe id quod apud Plutarcum legimus in libro de Oraculorum defectù, quod nempe in hac Conſtitutione, quædam Medicæ Artis Oracula obmutuerint, dum cauſam ignorarent, quare præconceptæ opinioni de magna medicamentorum ſuprà morbos quoſcumque poteſtate Tertianæ febres intermittentes, ut plurimum citrà malignitatis ſuſpicionem, minimè auſcultarent; quarè locum habuit Virgilianum illud.

-----ceſſere Magiſtri,
Phillyrides Chiron, Amptaoniuſque Melampus.

XV. Major itaque pars Medentium apud Noſtrates, ut vulgi calumniis, & aſſiduis ægrorum querimoniis ſe ſubducerent, in hac Tempeſtate ad Peruviani Corticis ſacram Anchoram confugere, at parum proſperè; nam in periculoſiores ſcopulos ægrotantes ſuos perſæpè deduxere. Usù febrifugi per aliquot dies equidem ſub doloſo cinere latebat ignis, verùm poſt liminio violentior recandeſcebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus ægrotantium magis, quam propriæ ambitioni conſultum volebant, *Nabant ſine Cortice.*

XVI. Hoc itaque tenore proceſſit Febrilis acies per totam Æſtatem, ac totum Autumnum, Rura, & Oppida infeſtando, fruſtrà *Quartanam ſperantibus ægris*, & intervallum aliquod à quotidianis paroxiſmis expectantibus; nam pauci hoc Anno viſi ſunt Quartanarii; ſicuti nec obſervare contigit Synochas ullas, vel Febres ardentes, ſed ſolum Tertianas, quæ quidem ſub finem Autumni, & prima parte Hyemis rariores fuere, ſed graviores, intermittentes quidem in principio, ſed quæ tandem in continuas, & lentas migrarent, ut plurimùm cum ſolita periodo circà Veſperas Ægris horreſcentibus.

XVII. Febrili huic Exercitui, qui ſtativa caſtra poſuerat inter Pandum, & Viam Aemiliam, quam tranſgredi auſus non eſt (cum in toto illo tractu, qui Colles, & hanc Viam interjacet, inculpata Valetudine, & ſecuta ruſticatione uti conceſſum fuerit (multi alii Morbi junxere ſe comites, qui ſporadicè vagantes multas prædas agebant ut Alvi profluvia, Icteri, Apoplexiæ, Hydropes, Catarrhi præfocativi, aliique Affectus. Qui Dyſenteria hoc Anno laborarunt citiùs, ac fœliciùs evaſere, quam qui Diarrhæa.

XVIII. Vim hujus Conſtitutionis Viri robuſtiores, & adulti faciliùs tolerarunt, minùs Fœminæ, ac Pueri, quorum qui infra trimatum erant, ferè omnes periere. In ſolo Finalis Oppido plus quam tercentum Pueros referunt extinctos, ut ex ejuſdem Oppidi Necrologio conſtat. Magna quoque fuit Infantilis ſtrages in Mirandulano agro, & Novellarienſi. Ad dies aliquot febriles paroxiſmos tolerabant, poſtmodùm fiebant Icterici, ac paulò poſt Epilepticis inſultibus correpti occumbebant. Cæterùm præ multitudine hominum decumbentium pauci ſunt extincti,

ac

ac potius ex diuturnitate morbi, & frequentibus recidivis, quam ex Febris vehementia succubuere; qui tamen fuere superstites magna ex parte facti sunt Ictherici, Lienosi, & Cachectici.

XIX. Vim hujus malè moratæ Constitutionis experta quoque sunt cujuscunque generis Animalia, quæ in magno numero interiere; sicut autem in ea quanquam describit Silius Italicus, quæ sicca fuit, & præfervida, *Vim primi sensere Canes*, ità in hac frigida, & præhumida clades Pecudum fuit, quibus, postquàm per dies aliquot ægrotassent, veluti per crisim apparebant Variolæ in capite, & collo, ac plerumque ab iisdem excœcabantur; sic quæ ex vehementia morbi non perierant, tandem ex inedia contabescebant. Sues quoque turmatim suffocati moriebantur. Vidit etiam persæpe infœlix Arator concidere.

Inter opus Tauros, medioque recumbere sulco.

Nunquam parciùs nobis mellificarunt Apes, vel propriis in sedibus extinctæ, vel aliò migrantes; Bombyces quoque initio quidem catervatim peribant, qui verò superstites fuere in ipso Opificio semianimes, & ignavi concidebant. Nimius essem si cuncta singillatim recensere vellem. Extispicium aliquod, Pecudum præcipuè, quarum major fuit strages, identidem celebrare, ac hariolari quænam esset talium morborum causa, non absre fuisset, si per tempus licuisset.

XX. Scio non defuturos qui me coarguant, quòd ad Veterinariam transgrediar; oblatrent quantum velint, quòd talia observare Medicam Artem profitenti indecorum nequaquam crediderim. Egit id Medicorum Maximus, quem non puduit scrutari, quare Bobus faciliùs quàm cæteris Animalibus excidant femora, hæc autem sunt illius verba, nemini, quòd sciam, observata. *Bobus tunc magis excidunt femora, cum tenuissimi existunt, fiunt autem tenuissimi Boues ad finem hyemis. Tunc igitur etiam maximè luxantur, si tamen, & hujusmodi quiddam in Medicina scribere convenit. Verùm convenit utique.* Atqui si celebriores Anatomici tot sectiones, tot experimenta per mortes Brutorum agunt, ut Anatomiam in hoc genere comparatam, quam in Medicina desiderari dictum erat Sapientissimi Bacconis, jam habeamus, cur non licebit quoque illorum morbosos affectus observare? Quin Medico Chirurgo licere interdum absque Artis dedecore Bestiis mederi ostendit Eruditissimus Vir Carolus Patinus in sua elegantissima Oratione in Archi-Lycæo Patavino Anno 1682 habita.

XXI. Atque hæc sunt quæ in morbida hujus Anni Constitutione magna ex parte ipsemet observavi, & quæ ab ingenuis Professoribus, & fidis Amicis mihi communicata sunt, quæ quidem referre pro ut obvenerint, non magni negotii est, at illorum causas rimari, ac in medium proferre, quæ Jatrosophorum, & Eruditorum hominum palato sapiant, hoc opus; audendum tamen pro viribus, ac

---- Tentanda Via est, qua me quoque possim Tollere humo.----

XXII. Communes morbos, quos Populares, & Epidemicos appellant à

Communibus causis progigni extrà omnem Controversiæ aleam est; Communes autem causæ sunt potissimum Aer nobis circumfluus (aliundè tamen, sive ex superioribus, sive ex inferioribus infectus) Communia Alimenta mali succi, & Aquæ corruptæ. Ex his omnibus, sed promptiùs ab Aere, tanquam è communissimo Fonte è quo nemo non potare cogitur, Morbos quosdam derivari, qui multos eodem tempore afficiant, omnium pariter est consensus. Ad hanc verò nostram Ruralem Epidemiam excitandam in unum convenisse & Aerem vitiatum, & prava Alimenta ingesta, fas est arbitrari. Primum quidem locum Aeri à sua naturali temperie non solum secundum Anni tempore recedenti, sed particulis humanæ naturæ incongruis ad satietatem pleno, concedendum putarim; secundum autem locum pravis Alimentis, & Aquis vitiatis. Quamvis autem de Miasmate Contagioso aliqua posset esse suspicio, dum uno in aliqua familia à Febre correpto, cæteri paulò post ex eadem Febre decumbercnt, id tamen potius in communem Diathesim ad maturiatem eodem tempore evectam, non secùs ac cum Autumno fructus eodem tempore matureſcunt, referendum duxerim, quam in effluvium aliquod contagiosum, quod è primo ægrotante expirans cæteros afficeret.

XXIII. Quanti autem referat ad bonam Valetudinem in Aere puro, & à fædis exhalationibus maximè remoto degere, nemo non novit; nam sicuti Pisces fœliciùs degunt, ac esca salubrior sunt, si in aqua pura, ac sincera vivant, secùs verò si in aqua fæda, & corrupta, ita homines fœliciorem vitam, ac longæviorem ducunt, si Aer sincerus sit, secùs autem si crassus, & nebulosus; Nec abs re vulgatum dictum illud, quod tales sint Corporis nostri humores, ac spiritus, qualis sit Aer; hinc iis in locis ubi Aer tenuior est ac defæcatior, vividiora, & acutiora ingenia florere solent, ubi verò crassior, hebetiora, ac stolidiora, quare Bœotii, & Batavi antiquitùs malè audiebant, unde Horatius.

Bœotum in crasso jurares aere natum.

XXIV. Non vacat hic disquirere, quarè ad Vitam perennandam adeò necessarius sit Aeris usus, quomodò in Vascula Pulmonum se insinuet, quid in massa sanguinea efficiat, dum illi permiscetur; circà id insudarunt Doctissimi Viri, ac ultimò Ettmullerus in elegantissima sua Dissertatione de Abstruso Respirationis negotio; solummodò circà illa examinanda immorabor, quæ insignem Aeri mutationem inferre possunt, ac illum à sua naturali mediocritate dejicere. Certum est enim, quod si Aer Respirationi idoneus esse debet, & consequenter ad vitalia munera, necesse est, ut quandam servet mediocritatem, ut neque suprà modum crassus sit, nec nimis tenuis, nam si tenuior sit, ac rarior quam par est, Repirationi inidoneus evadit, ut Machina Boyeliana satis evincit, ac testantur qui in editissimis Montibus difficiliorem experti sunt Respirationem, quàm in imis Vallibus, id annotante Thoma Cornelion; si verò crassior sit, & ad saturitatem Vaporibus, & exhalationibus oppletus

ad Respirationis munus obeundum minimè aptus est, immò suffocationis periculum infert, ut ex eadem Machina Pneumatica patet, & Metallorum fossores in fodinis sæpenumerò experiuntur, qua de causa Hippocrates *Somnum in frigore coopertо*, ut ipse ait, commendabat, nimirum, ut Vallesius, & Ballonius interpretantur, dormiendum esse in amplo Conclavi, sed corpore stragulis benè contecto, qua ratione facilior est anhelitus, nec à frigido Aere partes sentientes pungente interturbatur somnus.

XXV. Notabiles autem in Aere alterationes (non de iis loquor, quæ secundum Naturæ leges, & varia Anni tempora ex necessitate fiunt, sed de intempestivis) Venti potissimum, & imbres copiosi efficiunt: Solares enim radii ob æqualem Solis ad nostrum Verticem accessum Aerem semper æqualiter calefacerent, si is aliundè alterationem non susciperet, Haud secùs Terræ exhalationes, ex paludibus, & stagnis, seù nimis uliginoso solo eundem non rarò contaminant. In nostro verò Aerem à copiosis imbribus, & lutulenta Constitutione vitiatum fuisse existimandum est, sicuti etiam à Ventis Borealibus intempestivum redditum, qui cum Vernotempore, ac per totam ferè Æstatem nunquam siluissent, Solarium radiorum vim hebetando, Vaporum à leni calore elevatorum discussionem prohibuerint, & volatiles Spiritus, quos in suo ad nostrum Verticem accessù Sol quaquaversum diffundit, versùs Australem plagam retropulerint. Ex quo factum, ut iis in locis, ubi stativæ fuerant Aquæ, Aer circà Veris principium tepescens, multos vapores, & tetras exhalationes in sinù suo exceperit; Aer verò sic pollutus, ac partibus volatilibus, quæ à Sole promanant, ulteriùs destitutus, dum intrà Corpora eorum qui his in locis degebant admitteretur, totius massæ sanguineæ crasim, & cæterorum fluidorum systasim naturalem perturbarit.

XXVI. Reor itaque à naturali suæ dulcedinis, fluiditatis statù massam sanguineam desciviisse, & crassiorem consistentiam, quam par est, acquisiviisse; sicuti, & proportionem ablatam inter Bilem, & succum Pancreaticum, illa quidem languidiori, hoc fortiori reddito. E' Cælo potissimum Volatiles Spiritus in Terram defluere, è Terra verò ut potè succis mineralibus referta continuò acidas particulas sursùm efferri, ingeniosum est Clarissimi Sylvii excogitatum, sed rationibus, & experimentis confirmatum. Quarè cum in hujus Anni pluviosa, & frigida Constitutione Aer partium volatilium, & spirituosarum magna penuria laboraret, aliaque ex parte acidis particulis è terra lutulenta, ac veluti fermentata elevatis maximè abundaret, mirum non est, si postmodum intrà Vitæ hospitia exceptus talem diathesim induxerit, è qua tàm magna febrium propago emanarit. Acidam verò dyscrasiam potiùs, quam biliosam, & alchalinam in universum prævaluisse, duo potissimum evincunt, primum, quòd hoc Anno in tàm ampla Febrium segete nullam Synochum, nullam Febrem ardentem observare contigerit, alterum, quòd hujusmodi Febres, ut plurimum, veluti superiùs annotavimus,

potius famelicæ fuerint, quam siticulosæ.

Nec miretur quispiam, quòd Tertianæ febris naturam ex prædominio Acidæ Mineræ potius deducam, quam Alchalinæ, qualis censetur Biliosus humor; nàm ex quanam materia, quæso, in hac Constitutione tàm horrida, procellosa, ac media Æstate frigida, post usum ciborum pituitosi succi, ex quanam materia, inquam, tanta bilis copia gigni debuit quæ sufficeret ad procreandam tam numerosam Febrium sobolem, ac illam tandiù alendam? Nec desunt Professores celebertimi, qui ab hoc non multum dissentiunt, inter quos Ettmullerus, qui pro causa proxima Tertianæ febris intermittentis statuit fermentum salino acidum, in legitimis quidem magis volatile, & activum, minus autem volatile, & subjecto viscido irretitum in nothis.

XXVII. Præter Aeris malam Constitutionem, tamquam hujus Epidemici Affectus communissimam causam, aliæ quoq; nec parvi momenti in idem conspirarunt, scilicet ut humores ad acidam dyscrasiam disponerent; nimirùm prava alimenta ingesta, ut fructus horæi à rubigali lue vitiati, nimia Piscium ingurgitatio, edulij genus nostris Agricolis insolens, in quorum stomacho cibis fortioribus assueto facilè putrescebat, hoc est facilè acescebat, cum nullo evidentiori signo putrescentia se prodat, quam per acorem; his addi possunt Putreales aquæ ex nimia illuvione cœnosæ, & semiputridæ, ac denique Boreales Venti, qui Acidi nitrosi Promocondus appellantur. Ex his itaq; Communibus Causis, ceù Fontibus; harum febrium originem probabilius, quàm à quacumque alia deduxerim; neq; enim ad cœlestes influxus recurrèndum, quasi Astra maligniori lumine Rusticanam gentem potiùs, quam Vrbanam, veluti in nocentiorem adspicerent, cum præter id, improbabile sit, quòd cœlestes influxus tàm arcto spatio potuerint circumscribi, sicuti neq; subterraneæ exhalationes culpari poterant, cum Terræmotus nullus præcesserit, neq; in hac nostra magna Planitie Cispadana, & Transpadana extent Antra, & Terræ hiatus Charonei, è quibus pernicioſa effluvia possent erumpere, & Aerem inquinare.

XXVIII. Quod spectat ad Causam internam, quam Coniunctam appellant, hæc non nisi in crassam, & viscidam pituitam, cui acidum fermentum hæreret, referenda erat, vel stabulantem in stomacho, ut placet Ettmullero, vel ductus laterales Pancreatis obstruentem, ut statuit Sylvius, quæ materia in Venas transfusa, & partibus spirituosis sanguinis permixta febrilem effervescentiam excitaret; ut ut enim cruoris massa effœta sit, & vapida, semper tamen aliquid oleosi, & sulphurei continet, quod ad flammulam vitalem alendam sufficiat. Focus itaq; febrilis hospitabatur extrà Vasa sanguinea, quemadmodum infebribus omnibus periodicis, cum alioquin perdifficile sit Intermittentes febres ab ijs quæ verè Continuæ sunt distinguere, cujusmodi Febres Ignis nomine Divinus Præceptor insignire consuevit, ut ex variis historiis in libris Epidemiorum videre est. Non enim concipi potest, aiebat scientissimus

simus Carteſius, quænam poſſit eſſe Circuitus cauſa, niſi materia quædam, quæ maturatione indigeat, antequam maſſæ ſanguineæ miſceatur, quæ per venas ad Cor delata potis eſt tot excitare turbas, & febrilem tempeſtatem ciere, quæ non alio pacto ſedetur, quàm eadem hoſtili materia ſub forma ſudoris per corporis ambitum diſcusa, vel per Vrinarias vias ablegata.

XXIX. Rarum quidem eſſe, quòd Tertianæ febres Epidemice ex Aeris vitio obſerventur, ait Doctiſſimus Ettmullerus, ac revera Febres, quæ alicujus pravi Seminij in Aere latentis ſoboles ſunt, nullum certum ordinem ſervare ſolent; multòque ratiùs eſt, quòd ſint de genere Intermittentium: hoc Anno tamen hujuſmodi febrium genus in hiſce Regionibus populariter graſſatum fuiſſe, tàm Ruri, quàm in Oppidis (quamvis poſteà ob diuturnitatem in continuas, & lentas migrarent) ſat perſpectum eſt. Haud abſimilem Conſtitutionem, quæ in Anglia Anno 1658. ac magis per Rura, & Pagos, quàm per Oppida, & Urbes deſævijt, Doctiſſimus Vuillis in ſuo Tractatu de Febribus deſcribit; ſuæ tamen Febrilis Epidemiæ originem, & cauſam procatarcticam non Aeris vitium Vir ille Peritiſſimus refert, ſed potiùs in prægreſſam Conſtitutionem nimis æſtuoſam, & illi Climati inſolentem; Febrem Tertianam intermittentem Epidemiam obſervavit quoq; Celeberrimus Bartholinus Hafniæ, anno 1652. ſed & ipſe illius cauſam calidiſſimæ, & ficciſſimæ Æſtati, præter morem, & conſuetudinem illius Cœli adſcribit; hanc verò noſtram Ruralem Epidemiam lubet referre in Conſtitutionem præhumidam, ac frigidam, huic Cœlo inſolitam, ac ſimul in Aerem ob cœnoſam colluviem vitiatum. Si enim hujus Epidemici Affectus cauſa eſſet ex totius Anni intempeſtiva Conſtitutione, quæ frigida, & procelloſa toti penè Italiæ communis fuit, non ſatis conſtat, quare hic popularis morbus, in humilioribus tantum locis, ac ubi ſtagnarint aquæ, ſedem fixerit, & non ampliora ſpatia occuparit; cum tamen Incolæ cæterarum regionum, quæ ab hujuſmodi atmoſphœra remotiores erant, [ut totus tractus ſuprà Viam Æmiliam verſus Colles] nunquam aliàs à Febribus magis ſecuros ſe vixiſſe meminerint.

XXX. Qua de cauſa portò, à Conſtitutionibus tantæ ſiccitatis, quales, ut dixi, ad plures Annos experti fuimus, ad Conſtitutionem imbrium adeò feracem talis factus fuerit tranſitus, certè hic mihi *hæret aqua*, ut dici ſolet, & ad hanc Veritatem eruendam *Delio natatore* opus eſſet. Nullus profectò Aſtrologorum, qui ex imaginarijs Aſtrorum configurationibus futuros rerum eventus prædici poſſe exiſtimant, tàm magnam illuvionem prædixit, neque poſtquam facta eſt, rationem ullam attulit, cur ità fieri deberet. Sint utique Aſtrorum in hæc inferiora Influxus, quos velle negare magnæ dementiæ eſſet, at modus quo agant, id omninò indeprehenſibile eſt. Rectè quidem Ptolomæus in libro qui *Aliarba* inſcribitur, Stellarum effectus incertos eſſe, & varios pronunciavit, quoniam incertum eſt qua ratione materia ſubjecta influxum recipiat. Obſer-

vandas quidem magnas Temporum mutationes, Æquinoctia scilicet, & Solstitia, ut in illis *neque medicamenta exhibeamus, neque vramus, neque secemus* pluribus in locis monuit Hipp. sicuti etiam considerandos exortus Canis, Arcturi, & Pleiadum occasum, nam ut idem ait, *morbi his maximè diebus judicantur, alij perimunt, aut in speciem aliam transmutantur*; quare verò tàm magnæ alterationes, tum in magno tum in parvo Mundo dictis temporibus fiant, scrutari velle, id esset meræ divinare. Satis sit igitur quoad remnostram, quòd hoc Anno tam magna, & in solita aquarum inundatio morbosam hanc Constitutionem inuxerit, contrario prorsus modo, quo in Ægypto votiva Nili inundatio, miraculi ad instar, solet pestem abigere, quamvis Alpinus mutationem illam Aeris in salubriorem statum ad Nili incrementum subsequentem in Etesias videatur potiùs referre, quæ tunc temporis Sole signum Cancri subeunte, & septentrionali plaga fumigante, flare incipiant, & Campsinos Ventos pestis Vectores repellant. Quæcunque ea causa sit ob quam Nilus, Ægypti Pincerna, salubritatem invehat, certum est tamen, ad illius incrementum Morbos populariter grassantes decrescere, & in magna illa inundatione demergi, adeo verum est illud Celsi; *Differre pro natura locorum genera Medicinæ, & aliud opus esse Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Annus jam agitur centesimus, ex quo haud absimilis inundatio Cispadanam, & Transpadanam Regionem occupavit, undè posteà subsecuta est summa Annonæ caritas, tritico in lolium conversо, ut refert Paulus Grassus Corrigiensis in doctissimo suo libello de Lolio; Inchoarunt autem tunc temporis circà Maij principium pluviæ, quæ posteà per totam Æstatem obstinatissimè perdurarunt. Observantur itaque per intervalla quædam eædem Temporum Constitutiones recurrere, sivè in Astrorum vim nobis ignotam id referamus, sive in justam Dei vindictam, qui sicut olim Vniversali Diluvio totum Orbem punijt, ità particularibus eluuionibus quasdam particulares Regiones aliquando plectat.

XXXI. Rubigalem luem non exiguam operam ad Morbosam hanc Constitutionem contulisse superiùs dixi; at ne id graris, ac veluti Dictatoriè pronunciasse videat, libeat in disquirenda, & examinanda Rubiginis natura paululum immorari. De Rubigine multa quidem Veteres scripsere at de illa secundùm suæ Philosophiæ Systemata ratiocinati sunt; In sacris quoque Codicibus Rubiginis fit mentio, cum aliquando hac, veluti iræ suæ ministra, Deus populo suo fruges, & fructus omnes ademerit, ut illum ad bonam frugem perduceret, nonnulli verò ex Recentioribus de hac peste aliquid scripsere, ut Ruvellius, Levinius Lemnius, Ludovicus Vives, Langius, sed ea quæ à veteribus scripta fuerant recoxere. Vegetabilem itaque Familiam suis Morbis laborare, iisque diversi generis, multosque gravissimos Auctores de iis scripsisse, ut Varronem, Plinium, Columellam, aliosque jam satis perspectum est. Rubiginem verò, frugum omnium, & fructuum

com-

communem morbum, ut illam Theophraſtus appellat, adeò exhorruerunt antiqui, ut ad avertendam hunc peſtem ſibi Deum finxerint, quem Robigum, teſte Varrone, appellabant, unde Rubigalia feſta emanarunt, quæ à Numa Pompilio Regni ſui Anno XI., referente Plinio, inſtituta ſunt, & ad 7. Cal. Maii celebrabantur. Mactabant autem lactentem Catulum in hujuſmodi ſacrificio, undè Columella.

Hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis Catuli placatur, & extis,

Litabant autem lactentem Catulum, eòquòd à Rubigali Numine, mediante maligno Canis Syderis influxu, putarent hanc labem in terras immitti; quare cæca ſuperſtitione, ac non niſi habita ratione nominis, id agebatur ſacrificium, ut ingenuè Ovidius.

Pro Cane ſydereo Canis hic imponitur Aræ,
Et quare id fiat, nil niſi nomen habet.

XXXII. Rubigalia itaque ſacra, ſicut & Floralia, vt cuncta benè defloreſcerent, inſtituta ſunt, ac celebrari ſolita, ſub finem Aprilis, propterea, quod hujuſmodi tempore à Rubigine frugibus, & fructibus valdè metuerent, occidente tunc temporis Cane, Sydere per ſe vehementiſſimo, qui Occaſus ex Plinii obſervatione, tunc in 4 Cal. Maii incidebat. Obſervabant autem Veteres multa attentione Canis Occaſum, ubi nos vix Ortum, qui perſæpè credimus eodem tempore ubique inchoare dies Caniculares, veluti non rarò doctos alioquin, & celebres Profeſſores, ità quidem, ſed turpiter ſentientes, audidire contigit, cum tamen juxtà diverſam latitudinem, quam variæ regiones habent, varii ac diverſi ſint Aſtrorum Ortus, & Occaſus, quod non ignotum Galeno, qui tradidit, eodem quidem tempore omnibus in plagis fieri tum Aequinoctia, tum Solſtitia, Aſtrorum vero Ortus, & Occaſus communes eſſe iis ſolum qui ſub eodem vertice habitant.

XXXIII. Hanc peſtem Græci Ερυσιβην Latini Rubiginis nomine appellavere, ſive à rodendo, ut Varroni placet, ſeu quod rubro colore fruges inficiat; Vredinem quoque ſeu Carbuncularem morbum vocavit Plinius, quod fruges exurat, veluti hoc Anno contigit, cum fruges, & plantæ omnes carbuncularent, ut Pliniano vocabulo utamur. Hos equidem Rubiginis noxios effectus obſervare, & contemplari licuit; at quænam ſit hujus peſtis natura, & indoles, non tàm facilè eſt decernere. Sapere ignis naturam, ſeu acrimoniam lixivialem, & Alchalinam ex Sale acri, & volatili, proclive quidem eſſet aſſerere; at multa obſtant, ne in hanc ſententiam eam. Gigni Rubiginem ex Rore, ſed vitiato, ſerenis noctibus, vel in plenilunio, vel inter lunio, quibus temporibus Luna frigidius lumen ad nos reflectit [cum in Plenilunio, Aeſtino tempore à noſtro vertice multùm abſit, in Interlunio verò totum lumen, quod à Sole recipit eidem regerat) antiquorum fuit opinio; cui recentiorum quoque non pauci ſubſcripſere, inter quos Ludovicus Vives in doctiſſimis ſuis Commentariis in librum D. Auguſtini de Civitate Dei, ubi ſcripſit, *Rubiginem*

nem esse Rorem putrefactum, fruges tenues corrumpentem, & friantem. Generari utique Rubiginem ex Rore, serenis noctibus, (cum Ros non decidat nisi sereno Cœlo) & silente Luna, veritati valdè congruum videtur, nam re vera sub initium Junii propè Interlunium, signa Rubiginis observari cœpta in frugibus, & plantarum foliis, quæ parvis maculis nigricantibus distincta, puncticulari morbo laborare videbantur; argumentum evidens hujusmodi stygmata à Rogis guttulis, ubi diù hæserant, fuisse insita.

In Rore (quem Lunæ, & Aeris filium Alcmon dixit, & à raritate ita apellatum Isidorus tradidit, eò quod non sit crassus ut pluvia) multum liquoris volatilis Salini, ratione cujus abstergit, & alvum soluit, omnes docent Chimici, qui pro egregio menstruo ipsum commendant ad extrahendas omnium Vegetabilium Tincturas: ex eodem quoque tradunt elici spiritum qui ad metalla dissolvenda efficax sit, quo spiritu utebatur Cnosellius ad parandam Coralliorum Tincturam, ignita Corallia in Roris spiritum projiciendo. Vim hujus Salis sentiunt, qui manibus rorem tractant, aut nudis pedibus per campos, & prata rorulenta incedunt; nam manus, & pedes scabræ fiunt, idque ob salinas, & nitrosas particulas, quæ cutim arrodunt. Vi quoque pollere graciliora reddendi corpora tradit Plutarchus, ac propterea Mulieres habitiores illius usu nimiam polysarciam emendare. Sale sacchario pariter divitem esse Rorem ut multis morbis opituletur per analysim, & ignis examen se deprehendisse testatur Helmontius. Multa de Roris viribus scripsit in doctissimis suis Animadversionibus Excellentissimus D. Joseph Lanzonus, Medicus Ferrariensis, cui non parum debeo, quòd ea quæ in hac Constitutione ipse observavit, mihi per literas benignè communicarit.

XXXV. Hæ sunt nativæ dotes maturini Roris, ac præsertim Maialis, in salubri tamen Constitutione, ac solo minimè uliginoso, nec palustri; at si ex malis temporum Constitutionibus, & noxiis afflatibus, seu pravis è Terra exhalationibus Ros vitietur, in Rubiginem degenerat, malum, quo nullum noxius est, & cui, ut ait Plinius, *non comparantur grandines, neque procellæ, quæ nunquam Annonæ intulere caritatem.* Gigni Rubiginem itaque ex Rore existimo, dum multa nitrosa, & acida corpuscula è solo elata, & per aerem undequaque dispersa, salinis particulis, quibus naturaliter Ros abundat, sociantur, quæ simul in magno Aeris Receptaculo fermentata, & exaltata, modo nobis imperceptibili, in liquorem coeant, qui posteà sub forma Roris deciduus & plantis inhærens, easdem maculis diversi coloris fugillet, uti apud nos factum his duobus Annis cum in priori, Plantæ omnes, & fructus rubris veluti peticulis, hoc Anno verò nigris laborare viderentur. Præpollere atquæ in Rubigine acrimoniam acidam, & corrosivam, haud absimilem Aquis stygiis, & Spiritibus Nitri, & Vitrioli, longè verisimiliùs, quam Alchalinam ex sale Acri, & caustico, quando nulla causa animo fingi possit quæ

in

in tam remissis caloribus hujus Constitutionis ustionem, & acredinem accersere potuerit.

XXXVI. Neque huic meæ opinioni quicquam refragari S. Scripturæ auctoritatem crediderim, dum apud Amos Prophetam fit mentio Rubiginis his verbis. *Percussi vos in Vento vrente, & in Ærugine, multitudinem fructuum vestrorum, & vinearum vestrarum, Oliveta vestra, & ficeta comedit Eruca.* cum non magis Austrini flatus sua caliditate, quàm.

---Boreæ penetrabile frigus adurat.

XXXVII. Displicet quidem, quòd eo tempore quo sæviit Rubigalis lues, aliquo experimento non pertentarim, ut certiùs illius naturam explorarem; siquidem nimis serò animum subiit cogitatio de hac Rurali Epidemia, & Rubigali peste describenda. Non destiti tamen, quin postmodùm variis experimentis pervestigarim, nùm ea quæ mente excogitaram Veritati congruerent; expertus itaque sum variis liquoribus modò acidis, modò alchalicis, & lixivialibus, plantarum folia, flores, & fructus adspergendo, attentè observans, quis inde color emergeret; folia itaque recentia Fabarum, quæ apud nos circà finem Octobris seri solent, Spiritu Vitrioli irroravi, & non multò post staventes maculæ, ubi guttulæ liquoris hæserant, apparuere; placuit autem magis in Fabis experiri, tùm quià in hoc leguminis genere vim suam magis exercuit Rubigo, tùm quià Theophrastus testatur, *Fabam inter legumina magis ærugini sentire.* Fabarum itidem folia liquore alchalico, & urinoso, & ac lixivio accerrimo adsperfi, neque notam ullam alicujus coloris inuri deprehendi. In aliis quoque Plantis, ac variis Oleribus, ut foliis Lactucæ, Brassicæ idem pertentavi, & ab acidis Spiritibus seu Vitrioli, seu Nitri, flavas maculas prodire, nunquam tamen nigras, observare contigit. Rubiginis itaque Naturam in Acida potiùs acrimonia quam Alchalica lubet statuere. Congruunt autem huic meæ opinioni ea quæ in strage Animalium evenere; nàm, præter malam Aeris diathesim Brutis quoque noxiam, ob pascua rubiginosa Sanguine acidiori reddito, ac in motu suo præpedito, vel subitæ mortes integros greges Pecorum sustulere, vel obortæ sunt Variolæ, quas ex sanguinis stagnatione fieri, dum in orbem agitur, communis est recentiorum Opinio. Tubercula autem illa quæ in capite, collo, & cruribus pecudum visebantur, revera Variolas fuisse, licet profectò asserere, quandò nec figura, nec colore, nec liquore in illis contento, nec magnitudine, nec modo quo soluebantur, post suppurationem nigra crusta superstite, quicquam à Puerorum Variolis discrepabant. Nihilò seciùs eadem pascua infecta cæteris Animalibus cladem intulere. Sic Apes haud amplius ex florum Calycibus nectareum laticem, sed acidum stagma delibantes, partim extinctæ sunt, vel aliò suas Colonias trastulerunt. Pariter neque mirum, quod hoc Anno Cicadæ ut plurimum taciturnæ fuerint. cum, præter remissum Æstatis calorem, qui illas ad cantum nequaquam cieret, vel nutritium Rorem nactæ non

fuerint, [si tamen verum quòd Rore pascantur,] vel quòd majori ex parte perierint. A' Cicadarum obmutescentia malas Temporum Constitutiones prænunciari, scripsit Doctissimus Mercurialis, qui Anno 1577. observavit in Agro Patavino, aut nullas, aut rarissimas Cicadas cecinisse, undè posteà gravis subsecuta est Epidemia. Cicadas autem re ipsa Rore nutriri fabulosum non esse reor, etenim non in Arboribus pernoctare, sed super solum ipsum, & in aprico loco ad Rorem faciliùs excipiendum, manè autem ad Solis ortum super Arbores evolare ex Agricola quodam didici; à quo cum scisscitatus essem, quare in Villa quadam, quæ Roboretum dicitur, penes Gabellum flumen, tanta sit Æstate Cicadarum copia, ut illic hujusmodi Insecti genus suum habere videatur Emporium, id fieri dixit ille, quia solum illud arenosum sit; in quo faciliùs quam in solo argilloso parva foramina efficiant in quibus deponant Ova pro fœtura in secuturam Æstatem.

XXXVIII. Hæc omnia itaque Rubiginis naturam satis in propastulo statuere videntur, tuem mehercle, & Animalibus, & Plantis valde pernicioſam. Quare autem Solæ Nuces Rubiginis noxam non senserint, id fortasse in causa fuit, vel quòd hujusmodi fructus gemino operimento sit munitus, vel quòd Corticalis substantia multo Sale Volatili abundet, qui diversam indolem ab Acido possidet. Succum è viridi cortice Nucis Juglandis, tamquam remedium à se repertum, & magnæ virtutis ad faucium phlegmonas tollendas, multis laudibus extollit Galenus; putabat autem ille, talem effectum præstare hunc succum, eò quòd vi adstritoria polleret, & simul tennium esset partium, ex tinctura pene ineluibili, qua manus tractantis inficit, partium tenuitatem deducens, vim autem adstringendi à salubri effectu, quem observabat, dum inflammationi mederetur; pro rato enim, ac veluti lege habebatur, quòd in principio Phlegmonis utendum esset repellentibus, & adstringentibus, ne pars ob laxitatem fluentem humorem tàm facilè reciperet, quod etiamnum apud non paucos Professores frequenti in usu est, quod num rectè, an perperàm fiat, non est hujus loci disquirere. Hujus succi efficatiam ad inflammationes sanandas agnoscunt quoque Recentiores, vim autem adstrictoriam prorsùs negant, immò vim dissolventem ipsi adscribunt, inter quos Leonardus è Capua, qui Corticem Nucum viridium multo Sale volatili divitem esse ait, & qui potis sit grumos Sanguinis dissolvere, & illius acetositatem emandare, quo pacto non sanguinis fluxum in partem adstringendo prohibet, sed sanguinis refluxm per Venas ad Cor reserando promovet. Sicuti autem priscis ignoscendum, si ob ignoratum sanguinis circularem motum, non aptas interdum naturalium effectuum æ:iologias afferebant, ita nostro huic seculo gratulandum, de quo veriùs pronunciare libeat id quod de suo ævo scripsit Plinius, scilicet *Non minus ingentosam fuisse antiquitùs observationem, quàm nunc rationem.* Ex Nucum viridi Cortice parari Decoctum in Anglia exper-

expertæ virtutis ad luem Gallicam perdomandam, quam Recentiores omnes in Acidi prædominio ſtatuunt, nuper accepi à Cl. D. Nathan Lacy Medico Anglo, & inſigni Anatomico. Cum itaque; Nucum putamen multo Sale volatili abundet, mirum non eſt, ſi Rubigini obſtiterit, & incluſum nucleum à communi lue præſervarit. Atque hæc de Rubiginis natura, & indole.

XXXIX. Modò ſupereſt, ut Symptomatum, & quarundam obſervationum perquirantur cauſæ; Adnotatum, veſpertinis horis has Febres exacerbari conſueviſſe, unà cum Virium nocturna proſtratione, ut ægri morituri viderentur, manè verò oriente Sole, veluti redivivos tantum virium habuiſſe, ut è lectulis exurgentes deambularent. *Quale eſt veſperi exacerbari, tale ipſius morbi, & cujuſcunque conſtitutionis ad ſe mutuò* ajebat Hipp. Veſpertinæ itaque exacerbationes morbi naturam ſuperiùs deſcriptam, & cauſas morbificas ſatis indicabant. Virium autem dejectionem noctù factum, & matutinam earum veluti redintegrationem in Solis receſſum & acceſſum, & acidæ Dyſcraſiæ prædominium referendam putarim; Sole namque occumbente, & volatiles ſpiritus per Aerem diſperſos ſecum trahente; Spiritus Vitales Sanguinis ab Acido coagulante figebantur, unde Facultatum omnium torpor, qui porrò ab iiſdem Solaribus radiis matutinis diſcutiebatur, non ſecùs, ac quando à brumali frigore fluentium aquarum curſus noctù intercipitur, qui poſtea à Sole novo lumine Terras luſtrante, reſtituitur. In hac rerum Univerſitate nihil eſſe utilius Sale, & Sole ſcripſit Plinius; ſic Celſus Leucophlegmatia laborantes Soli ſubjici oportere aiebat, utendumque frictione manibus aqua madefactis, cui ſal, & nitrum, & olei paulum eſſet adiectum. Mirum itaque non erat ſi in caſu noſtro à blando Solis calore liquato veluti pituitæ gelù, Cruor ſolitum curſum per ſua Vaſa repeteret, & conſopitæ Facultates ad conſueta munia exercenda revocarentur.

XL. Præ cæteris notatù dignis obſervavimus inexpugnabilem harum febrium contumaciam, ut non ſolum omnem Medicorum induſtriam eluderent (cum neque Venæ-ſectionibus, neque Purgationibus, neque Cardiacis quicquam auſcultarent) ſed uſu remediorum magis exaſperarentur, quod factum exiſtimo ob malam Aeris diatheſim, quæ Morbum aleret; quarè licet etiam opportuna remedia quandoque adhiberentur, nihil remittebat morbus, immo ſæviebat magis, ac ſatiùs profectò fuiſſet in multis hanc Camarinam non movere; tanti eſt Oraculum illud Hippocratis, quòd initio hujus Diſſertationis attuli, nempè quòd *Hominis Natura interdum Vniverſi poteſtatem non ſuperat*, quæ Hippocratis verba ſi Medentes attentè perpenderent, tot Medicamentis ægros non fatigarent, in Epidemiis præſertim Affectibus, quorum vera Curatio non innoteſcit, niſi cum Buſta plena fuerint.

XXXXI. Venæ ſectio profectò in his Febribus non fuit ſaluberrimum remedium, nec quenquam novi, de quo dicî potuerit cum Galeno, quòd

illius Febris sanguinis missione jugulata fuerit, quin ubi pluriès celebrata est phlebotomia, magis attritæ sunt Vires, & Febres magis protractæ ægros vel ad Mortem, vel ad Cachexiam deduxere. Cur autem in his Febribus tàm improsperè cesserit Sanguinis detractio, obviam est arbitrari, Massam sanguineam sale volatili, & particulis Spirituosis ob malam aëris diathesim, & Dietæ errores effœtam, per Venæ sectionem pauperiorem redditam, unde major Acidi præpollentia, & Bilis depressio consequeretur, Febrisq; exinde protractior fieret. Venæ sectionem Febribus intermittentibus non esse per se aptum remedium, cum de foco febrili, qui extra Vasa sanguiflua larem habet, nihil detrahat, commune est recentiorum Assertum, sed solummodo per accidens convenire ajunt, quatenùs obviam iri possit multis symptomatibus, ac periculis, quæ in Corpore presertim plethorico nimiam efferuescentiam subsequi possent, scilicet inflammationes, & Vasorum disruptiones, qualis fuit casus à Ballonio memoratus, de quodam nobili Viro, cui Tertiana Febre laboranti ob neglectam sanguinis detractionem ruptæ sunt Venæ in quarto paroxysmo, & tanta foras sanguinis excretio est consecuta, ut eo ipso die illi obeundum fuerit. In hac verò nostra Rurali Epidemia sanguinis efferuescentia non adeò magna fuit, ut de ejusmodi periculo metuendum esset, immò potius lenta, ex Acidi prædominio, & propter bilem eneruatam, quæ in confluxu cum succo pancreatico, & cum lympha minus efferveseeret: propterea V. S. non adeò proficuum fuit remedium, ut in prægressis præcedentium Annorum Constitutionibus, quas valde siccas, & æstuosas esse diximus, quarè cum in ijs valdè turgeret bilis & sanguis facilè exardesceret, mirum non erat si tunc adeò conferret V. S. & à periculis præcaveret, quæ nimiam sanguinis efferveseentiam, & rarefactionem comitantur; assueti autem Professores Venam facilè tundere ubi constaret esse febrem, ac nullum alium scopum sibi præfigentes, quam solam caloris febrilis attemperationem, in hac Constitutione, à cæteris toto Cœlo diversa, repetita Venæ sectione utentes, ægros persæpè in extremam perniciem præcipitarunt. Nollem equidem quòd quis me inter hæmophobos recenseat, sed nec; inter hæmatochitas numerari velim. Est ubi liberaliter sanguinem demamus, est ubi parcè, est ubi nihil, licet sit eadem affectus species. In Srymargi famula usque ad animi defectum sanguinem detraxit Hipp. licet frigido Affectu laboraret; rationem autem addidit. *Oportet enim*, inquit ille, *devenire ad Occasionem, & Occasionis initium.* Causa morbi nimirum est attendenda, ex qua potissimæ desumuntur indicationes. *Similitudines parere errores etiam bonis Medicis; contrarium autem facere Causam*, monitum est eiusdem Hippocratis, nam re vera cognita causa, non tàm facilè à recto tramite, & legitima curatione deflectitur.

XXXXII. Quærit idem Ballonius, Practicus olim celeberrimus Parisiensis, cur phlebotomia febres quasdam miraculi ad instar tollat, alias potiùs exasperet; paucis quidem res-

respondet, at illius verba ponderanda sunt, non numeranda. *Febres* ait ille, *aliæ sunt Venosæ, aliæ Gastricæ, ideſt quædam phlogosim sequuntur potius Venosi generis, quam vitium humorum in præcordijs contentorum? quæ Venosi sunt generis hæ primo quoque tempore per phlebotomiam cessant, quæ alius sunt generis non facile phlebotomia solvuntur, contrà potiùs cathartico egent.* Tales erant Tertianæ istæ intermittentes hujus nostræ Constitutionis, erant enim potiùs Gastricæ, quàm Venosæ, ac propterea ad Venæ sectionem magis exacerbabantur, & contumaciores fiebant, magis autem prosperè cesserunt purgationes, & Vomitiones usu Emeticorum, quibus non rarò penitùs avulsus est febrilis fomes. Claudam hunc locum digna animadversione ejusdem Balloni in eos, qui ut nil non agant, ex quacunque re occasionem caprant mitendi sanguinis. *Nimsi induxerint in animum* (inquit ille) *Venam reserare, & id cunctanter faciunt, si guttula sanguinis è nare fluat, tunc quasi trophæum reportantes, clamani oblatam legitimæ phlebotomiæ occasionem; si luculenta sit hæmorrhagia audaciùs secant quia naturam copia gravari aiunt, si infrà modum sanguis fluat, compensandum isum defectum apertione Venæ contendunt.*

XXXXIII Non minus disquisitione dignum est cur in hac Constitutione tam sæpè contigerit, quod Tertiana simplex in duplicem migrarit ea ipsa die, qua secta est Vena, Id olim observarunt Amatus Lusitanus, & B. Castellus, nec quinquam scio, qui præter hos hujusmodi phænomeni, quod aliquando in praxi observatur, mentionem habeat; refert autem Amatus cuidam luveni 25. Annorum Tertiana febre laboranti, cum Venam die intermissionis secuisset, vesperi febrem ex simplici factam fuisse duplicem, hujusce rei rationem reddit his verbis. *Nec enim credere est, ob sanguinis extractionem, ex simplici duplicem factam fuisse, quum dubio procul nisi sanguis extractus esset, in Tertianam continuam futurus erat morbus*; hujusmodi excusationis genus plerique Medicorum nostris etiam temporibus in promptù habent, quotie scunq ex aliquo malè administrato remedio peiùs Aeger se habeat; statim enim obtrudunt, quòd multo deteriùs se haberet, nisi tali temedio usus fuisset; meliorem itaq; Aetiologiam, & æuo nostro accommodam perquiramus; puto ergo in illo casu (sicuti & in nostra Constitutione) culpandam potius Venæ sectionem, quam Febrem, quæ ex sui natura proclivis esset ut in Tertianam continuam migraret. Refert Amatus luvenem illum vigente Autumno ægrotasse, sanguinem in prima peluicula exceptum atrum fuisse, in secunda rubicundum sine ulla aquositate: rationi congruum est igitur in illo luvene ob prægressos æstatis calores, partes magis spirituosas, & volatiles sanguinis fuisse absumptas, ac posteà massam sanguineam Autumnali tempore in acidam dyscrasiam degenerasse, eo prorsus modo, quò Vina postquam per æstivos calores ebullierint, Autumno facilè acescunt (ut ex atro sanguine primæ peluiculæ, nàm san-

guis ſecundæ rubicundior erat quia, arterioſus) ſecta itaq; Vena, & Syſtaſi cruoris magis debilitata, ac depauperata, mirum non fuit ſi Acidum prævalens, ac veluti ſine Adverſario licentiùs inſultaret, ex quo Tertiana ſimplex in duplicem tranſierit. Convaluit autem Iuvenis ille poſt bonam purgationem ex pharmaco, nam Febris illa fortaſsè fuit potius *Gaſtrica*, *quam Venoſa*, In hac verò Conſtitutione non ab exhauſtu ſpirituum ob minium æſtum maſſam ſanguineam acorem contraxiſſe arbitror, ſed potiùs ob frigidam Anni Conſtitutionem, ac Diæteæ errores, obruta Bile, & concentratis partibus cruoris magis ſpirituoſis, Acidum Stomachi fermentum, & ſuccum Pancreaticum magis viguiſſe, & poſt celebratam phlebotomiam vim majorem acquiſiviſſe, unde Febris ſimplicis in duplicem Tertianam fieret converſio.

XXXXIV. Culpanda itaque potius in his caſibus eſt Venæ ſectio tamquàm non aptum remedium, quàm quicquam aliud, quod idem ſenſiſſe exiſtimo B. Caſtellum (ſi rectè memini, & in Adverſarijs meis benè adnotavi) in aureo ſuo libello de Abuſu Venæ ſectionis, quem libellum mihi olim Romæ oſtendi D. Antonius Maria Rubeus, Præceptor meus, Vir Doctiſſimus, & immenſæ Eruditionis, aderatq; Excellentiſſimus D. Hieronymus Braſavola nunc Romæ Profeſſor celeberrimus, & mihi conjunctiſſimus, cum tunc in Vrbe ageretur, quarè interdum contingat, quòd Tertianæ ſimplices, ſanguine die intermiſſionis detracto, duplices evadant. Opponet, ſcio, aliquis harum Febrium propenſionem ut in duplices tranſirent, cum ſpontè, ut ſuperius dictum, ſub initium Æſtatis Tertianæ omnes ſimplices duplices factæ fuerint; at regeram ego, nullas ferè duplices Tertianas toto Veris tempore viſas eſſe, tùm Ruri, tùm in hac Vrbe, niſi eas quas Venæ ſectio geminarit, quarè non video, quomodo ab hoc crimine Phlebotomia tamquam innocens poſſit abſolui.

XXXXV. Eandem ob cauſam, nihilò leciùs quam Venæ ſectio, noxius fuit in hac Conſtitutione Aquæ uſus; etenim in frigida, & humida tempeſtate, Bile valdè refracta, & Acido exuberante, quid opis expectandum erat in his Febribus ab aquæ potù? non niſi meherclè, ut Aqualiculo infracto, & diſtento, Cacochylia cumularetur, ſanguis pigriori lapsù per ſua Vaſa flueret, ac tandem Cachexiæ, & Hydropes ſuccederent. Novi Iuvenem in hac Civitate, qui in Hydropem aſcitem incidit, cum illi Tertiana Febre laboranti ſuaſiſſet Medicus, ut biberet quantum vellet, immo interdum coegiſſet. Succurrit mihi in hanc rem Terentianum illud, ubi Medicus in Scenam inducitur.

Quod iuſſi ei date bibere, & quantum imperavi date,
Mox huc revertar.

Multòque magis noxius fuit hoc Anno aquæ uſus, ac Ruri præſertim, quòd ob pluviarum aſſiduitatem, aquæ cœnoſæ, & graveolentes eſſent; in hac verò Vrbe non adeo gravem noxam intulit aquæ uſus; hæc enim Civitas puriſſimos habet Fontes, & admirandæ originis, quorum Fontium hiſtoriam brevi editurum me ſpero. Invaluit autem apud Noſtrates Opinio,

sio, quòd Venæ sectioni, & Aquæ potui, tamquàm duabus solidissimis Columnis, tota curandarum Febrium Moles innitatur. At nùm id rectè? Profectò in hac Constitutione neutrum ex usu fuit. Haud sum nescius scripsisse Hippocratem, *Aquam non præstare bonum alimentum igni*; at nomine ignis intellexit Hippocrates Febres continuas, & essentialiter tales, non verò intermittentes, summatim *Venosas*, *non Gastricas*. At forsam aliquando si otium suppetet, de Aquæ abusu in Febribus aliquid conscribam.

XLVI. Verum quali potu, inquiet aliquis, utendum erat in his Febribus? Ego certè Vini usum rarò, quòd sciam, interdixi, immò suasi, ut modico Vino uterentur, eoque non olygophoro, sed mediocriter generoso, multosque ab Orci faucibus hoc solum Cardiacum eripuit; Bilis enim erat potiùs acuenda, quam sufflaminanda; & partes sanguinis spirituosæ in motum ciendæ, quod præstare poterat Vini usus, & ea remedia quorum vis in Alchali volatili sita est, quod solo naturæ ductu in agro Mantuano fecere Agricolæ, qui suis febricitatibus Allia, & Cœpas cum salubri eventu præbuere. Morbos quosdam Cronicos, pravis eduliis [sed quæ verè in censu Medicamentorum, casu potiùs, quàm arte repertorum reponi debeant] aliquandò sanari compertum est; sic diuturnas Quartanas Allii usu cum multo meraco sanatas observarunt Antonius Benivenius, & Amatus Lusitanus. Vino autem generoso, potiùs quam tenui, utendum duxi, nihil metuens à febrili effervescentia; in hoc enim sæpiùs peccatur, quod rem agi sine periculo creditur, si Vinum tenue in diuturnis Febribus, & chronicis morbis permittatur; at hujusmodi Vina ut plurimum acidiuscula sunt, & acorem sanguinis exaltando, morbi causam deteriorem efficiunt; quem errorem notavit olim Crato, qui in Podagra sicuti Vinum meracum, sed in modica quantitate commendat, ità Vina tenuia improbat, quæ Venas multa serositate impleant, quod idem sentit VVillis; sicut enim à Vini spiritu dulcificantur Spiritus salis, ac nitri ita quoque à Vini generosioris temperato usu Sanguis ad acorem vergens dulcescit. Variantibus itaque Temporum Constitutionibus varianda est methodus, & ut ait Sulmonensis Poeta,

Nam quoniam variant morbi, variabimus artes,
Mille mali species, mille salutis erunt.

XLVII. Sic neque Peruviani Corticis usus hoc Anno, ut superiùs adnotavimus, ad modùm salubris fuit, immò in extremum Vitæ discrimen Ægros non rarò deduxit. Id ego in non paucis observavi, sed præcipuè in nobili Virgine, quæ cum ad 40. dies duplici Tertiana conflictata fuisset, & post solita remedia administrata, ex meo consilio, assentiente quoque Excellentissimo D. Antonio Abbate Serenissimi Ducis Nostri Archiatro, Chinam Chinam sub forma boli assumpsisset, cum in Vino infusam respueret, post modùm stupida, & comatosa evasit, cum pulsù adeò exili, ut vix perciperetur, ac trium dierum spatio in tali statu perstitit, donec

donec soliti paroxismi redeuntes stuporem discussserint. Insalubrem autem fuisse hujus remedii usum crediderim, eò quià, cum massa Sanguinea multis cruditatibus scateret, ac crassiorem haberet consistentiam (ut ex sanguine per Venam sectam educto satis patebat) ideòque segnis esset ad motum, quotidiana illa febrilis effervescentia esset loco remedii, qua cessante, fieret quædam veluti in Vasis stagnatio, & congelatio, undè functionum Animalium torpor, & Vitalium quoque interceptio; adeò verum est illud Celsi, quòd febrem lentam interdùm augere oporteat, *fortasse enim*, ait ille, *curationi opportunior fiet.*

Scio equidem hujusmodi doctrinam non solum plerisque Medicorum, sed etiam aliis, qui Artem Medicam non profitentur, esse suspectam, ut ipsi Senecæ, qui beneficium sanationis levioris morbi factæ à graviori morbo exprobat his verbis. *Multi quos auxerant morbos, & irritaverant, ut majori gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna ægrorum vexatione vicerunt.* In hac tamen Constitutione experientia ipsa satis evicit, febrilem effervescentiam stimulandam potiùs fuisse, quam frænandam, & usum calidorum magis profuisse, quam frigidorum; sicuti in historia Polycratis, vice versa, frigida magis, quam calida juvisse scripsit Hippocrates, innuens hoc dicto Divinus Præceptor, non tanti faciendum præconceptum de natura morbi judicium, ut illud ipsimet Experientiæ in contrarium reclamanti velimus præferre. Observatum est tamen fœliciori eventu exhibitam Chinam Chinam Agrestibus, quam Oppidanis, & Urbium Incolis; Gens enim rusticana ubi tantillum à morbi fasce levata est, illicò laboribus, & exercitiis se dedit, quarè non erat metuendum, ut tam pernicioſi effectus in iis consequerentur, quales in Urbanis observabantur. Sic Doctissimus Ettmullerus tradidit, non tàm facilè pati recidivas post assumptum hoc febrifugum homines exercitiis, ac laboribus deditos, sicuti desidiosos, & otio innutritos. De hac nostra itaque Constitutione libet proferre id quod olim de quadam simili scripsit Hippocrates, ingenua certè confessione, more tamen magnorum Virorum, & magnam rerum fiduciam habentium. *Nihil memorabile proderat, non Ventris turbatio, non Venæ-sectio, neque quæcumque alia tentavi.*

XLVIII. Nullas Febres Synochas, vel Ardentes hoc Anno, quod sciam, observatas diximus, sicuti paucas Quartanas: de prioribus quidem non est quòd miremur, nam partibus spirituosis, & ad conflagrationem aptis non adeò turgebat massa Sanguinea, immò crassis, & frigidis succis abundabat: sic Vina tenuia, & acidiuscula non tàm facilè fervorem concipiunt, veluti Vina generosa, ubi Æstiuum calorem senserint; magis quidem mirum est, quod in tanta Febricitantium frequentia tam pauci visi sint Quartanarii, idque magis; si verum esset quod nonnulli asserunt, non nisi ex majori visciditate materiæ differre Quartanas à Tertianis. Consuetam itaque Febris Quartanæ geneſim animadvertens, & hujusmodi

di Febrem, tanquam fructum Autumno matureſcentem, conſiderans, cujus uberior eſt proventus, cum Æſtas magis feruida ac torrida præceſſerit, propterea rationi congruum eſt, quòd in hac Conſtitutione frigida, & humida, in qua non multa fieret partium ſeroſarum per Cutis poros difflatio, ſuccum Pancreaticum ad eum fixitatis gradum, qui ad quartanarium circuitum requiritur, euehi non potuiſſe, ſeu quidquam aliud defuiſſe, quod humana imbecillitas aſſequi nequit, cum nihil ſit quod ipſos Medicinæ Proceres magis tranſverſos agat, quàm perveſtigatio cauſæ, cur ſtatis horis recurrant febriles paroxyſmi, ac tàm exactè, ut ipſa Automata aliquando ſuperent.

XXXXIX Verminationem in his Febribus ſatis familiarem, & præſertim in Ruſticana gente ſuperiùs recenſuimus, cuius rei cauſam fuiſſe reor, tum prava Alimenta putrefactioni obnoxia, qualia fuere Piſces, & fructus horæi; tum Ventriculi fermentum ex mala conſtitutione vitiatum, & improportionatum ad cibum rectè ſubigendum; quarè Vermium ſeminibus, ſeu ut lubet Ovulis, quæ in alimentis ipſis laterent, integris manentibus, & à tenui calore fotis, mirum non fuit, ſi facilè in magna copia prodierit Verminoſa ſoboles. Uſum Chinæ Chinæ valdè proficuum ad necandos Vermes expertus ſum, quod præſtare ob inſignem amarorem quem poſſidet hic Cortex, non abs re crediderim, ſi tamen tutior eſt Praxis, quæ Verminoſos Affectus curat per aloetica potiùs quam per ſaccharata, & mellita. Haud sum neſcius apud Noſtrates quoque facta fuiſſe experimenta, & obſervatum, quod Lumbrici in aqua ubi diſſolutum fuerit Mel, vel Saccharum, citiſſimè moriantur, in amariſsimis verò liquoribus ad integros dies vixerint; aſt ab ijs quæ extrinſecùs apparent medicamentorum vires metiri velle, non adeò tutum exiſtimo, quin errandi periculum ſubſit. Suſpicari enim licet, quòd medicamenta propinata, quæcumque ea ſint, iis quibus armantur viribus citò ſpolientur; dum primò cum ſtomachico fermento, cuius vim tranſmutativam nemo non novit, mox in Inteſtinis cum Bile, qui humor ſuapte natura ferox eſt, & cum ſucco Pancreatico ſpiculis armato congredi debent; quod ſi ulteriùs pervadant, cum lympha quoq; in communi Receptaculo ijſdem ſit concertandum. Sic Crocus Martis, qui aperitivus dicitur, ut notat Iunchen, niſi acidum ſuperfluum reperiat in Ventriculo à quo ſoluatur, Adſtringens evadit. Id ipsum quoq; teſtatur Chirurgia Infuſoria, qua conſtat, quod liquor purgans in Venas Canis infuſus magnam excitat purgationem, nullam verò, vel paucam ſi per os idem liquor, vel in majori doſi, injiciatur, idq; ob Acidi copiam quo Caninus ſtomachus abundat, quod Acidum vim cathartica, & emeticam potenter infringit. Hanc ob cauſam Venena quædam, ut ait Celſus, non guſtu, ſed vulnere nocent, & Pſylli è Serpentum morſibus venenum innoxiè exugebant. Quot verò, & quantas ſubeant mutationes medicamenta per os aſſumpta, dum varias corporis regiones præterlabuntur, ingenioſiſſimè explicat Bellinus, ut nihil præſtantiùs, Re-

or itaq; ex medicamento assumpto, & succis quibus commiscetur, gigni novum concretum, è quo illæ operationes, quæ postea consequuntur, promanant, & quæ solius medicamenti efficaciæ solent adscribi.

L. Postquam hujusmodi Febres miseros ægrotantes diù fatigassent, diximus nonnullis apparuisse Parotides, quibus licet suppuratis, eadem tamen pervicacia Febres perstabant. Id equidem magnam humorum cruditatem in toto Venoso genere significabat, sed hanc non esse potissimam harum Febrium causam, & fomitem satis demonstrabant, qui Fomes, in Ventriculo, & Pancreate præcipuè sedem fixerat. In nonnullis pariter post multos Febriles paroxysmos supervenerunt Diarrheæ, ac Dysenteriæ, irritata ad expulsionem Natura, tum à copia, tum à pravitate succorum; neque enim hæsitationi locus, quin etiam aliquando malignum quid subesset in his Febribus, quamuis intermitterent; plures tamen sustulit Diarrhæa, quam Dysenteria. eò quòd forsan in ijs qui Diarrhæa laborarent communicata esset labes massæ sanguineæ, quæ serum acre per glandulas intestinales excerneret, in ijs verò qui Dysenteria vexarentur, mali fomes esset extrà Venas, viscida nempe, & acida pituita Intestina abradente, & excoriante. Frequentes porrò fuere Recidivæ non solum ob diætæ errata, sed ob communem causam, Aerem nempè vitiatum, qui febrile Miasma ad aliquod tempus consopitum in novos motus, & exorbitantias cieret; eandem quoq; ob causam adeò contumaces fuerunt hæ Febres cum nihil sufficeret ad abstergendam labem illam, quam Aer continuò inspiratus ferè ineluibilem redderet; adeò gravis est Morbus, quem Cœlum fecerit. Sic pacari non visa est affectio, nisi cum sub Anni finem humidæ, & nebulosæ tempestati sicca, & serena successit: quare sicuti ex Hippocrate. *Quicunque Morbi Æstate augescunt, Hyeme desinere solent*, idque non nisi ob naturalem Temporum mutationem, ita in hoc Epidemico Affectu optimi remedij loco esse cœpit Aeris in vitalem temperiem restitutio.

LI. Præ multitudine ægrotantium tàm exgenere Agresti, quàm Vrbano paucos interijsse superiùs monuimus, quod sanè præter opinionem Medentium contigit, qui majorem stragem pertimescebant. Duas potissimùm ob causas in Epidemijs Affectibus pereunt homines, vel ob humorum διάχυσιν vel στάσιν ut ipsis vocibus Hippocraticis utar, id est vel ob Massæ Sanguineæ diffusionem à Sale acri, & Alchalico factam, vel ob eiusdem concretionem, ab Acido exuperante, frequentiora tamen funera sanguinis διάχυσις, quam στάσις solet inferre: propterea, grassante pestilentia, ut plurimùm Acida primas tenent: Cum ergo in hac nostra Constitutione Acidum quidem præpolleret, sed non earum esset virium, reluctante præsertim Febrili efferveścentia, ut potis esset lethalem stagnationem inducere, ac fluxum, & refluxum Sanguinis prohibere, hinc est quòd, licèt hominum myriades eodem tempore decumberent, pauci in Libitinæ censum venerint, Sic mirum non est, quòd Fœminæ, & Pueri ob molliorem habitum, & vitam minùs

nùs actuosam, hujus Epidemiæ vim magis sensérit, ac multò magis lactentes Pueri, in quorum venis, ob lac vitiatum, & ad coagulationem aptum, faciliùs sanguinis stasio succederet, sic narrat Hippocrates in quadam Constitutione, *ex laborantibus mortuos esse maximè Pueros, Adolescentes, vigentes ætate, glabros, subalbidos, & qui in socordia vixerint.* Fiebant autem Pueri Ictérici ob Hepar obstructum à viscida pituita redundante, ac à febrili calore in motum concita, quæ in Hepatis substantia defixa, Bilis secretionem prohiberet, cujus signum erat, quòd in omnibus tensum, ac durum Hepar persentiretur; sero autem acri, & acido in Cerebri membranas transfuso, convulsi morièbantur, morbo alioquin Pueris familiari, sed huic Constitutioni magis proprio, ut potè valdè aptæ ad acorem massæ sanguineæ conciliandum.

LII. Si verò quærat aliquis, cur hæc mala Constitutio Agricolas magis, quam Opidanos, & Urbium Incolas vexarit, videtur satisfieri posse dicendo, potissimam causam fuisse Aerem à fœdis exhalationibus vitiatum ob nimiam illuvionem, quæ campos, & Agricolarum domos inundarit, non sic Urbes, & Oppida in editioribus locis posita; huic causæ addi poterit Victus pravus, & insalubris, ac præsertim nimia Piscium ingurgitatio, alimenti genus Colonis nostris insuetum, & quod in illorum stomacho facilè putresceret. Scio equidem à non vulgaribus Medicis Pisces ægris quoque exhiberi solitos, tamquam laudabile alimentum, ac multò magis sanis corporibus, verum, ut ait doctissimus Plempius, illorum usus *Athletis non convenit, non castra sequentibus*, non Agricolis addam ego, quibus utilior est caro bubula, & suilla. Id ipsum testatur Galenus, qui Piscium usum in hominibus otiosis; Senibus, & ægrotis commendat, non sic verò in iis qui corpus exercent; his addendum, quod sicuti Pisces, qui in rapidissimis fluviis capiuntur, ex Athenæi sententia, omnium sunt optimi, ità hi essent omnium pessimi, quòd in aquis stagnantibus fieret illorum captura.

LIII. His quòque causis accenseri possunt labores, & exercitia sub assiduis imbribus, unde pororum Cutis constrictio, sudoris parcitas, ob frigidam, & humidam Anni intemperiem, cum aliàs per Æstatem sub assiduis laboribus copiosissimè sudare consuevissent, quas causas in Oppidanis, & Civibus, qui meliori victu utuntur, nec Aeris injuriis sunt ità expositi, non tàm facile quis reperiat. Sedes prætereà hujus Ruralis Epidemiæ à Civitatibus, & Oppidis majoribus circumscribi videbatur; quare Mutina, & Regium, eò quòd essent veluti in circumferentia, & Appennino proximiores, minus hanc labem sensere, magis autem Ferraria, & Oppida Mantuanæ Ditionis, Pado proximiora, ubi major fuit infantilis clades, quemadmodum à variis Professoribus, ac aliis per literas accepi. Magna verò hæc Planities his locis circumscripta, & tota Colonis oppleta; in cujus sinu ad longum tempus stagnarant aquæ, hujus Epidemii Affectus Sedes, ac Domicilium fuit.

 LIV. Cir-

LIV. Circà cæterorum Affectuum examen, qui has Febres commitati sunt, quales fuerunt Apoplexiæ, Epilepsiæ Catharri præfocativi, Cachexiæ, & Hydropes, non multùm immorabor; ejusdem enim Constitutionis soboles fuerunt, & Acidi prædominium significabant, vel sanguinem, & reliqua fluida coagulantis, vel neruosum Systema occupantis; hæc omnia itaque verissimum esse Divini Senis Oraculum comprobarunt, quòd. *Morbi in pluviarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ alvi profluvia, putredidines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ.*

LV. Ut autem circà res venturas Conjectoris quoque partes agamus, supereſt videndum, nùm sperare liceat, postquam pacata est non parum hæc Affectio, an in totum ea desitura sit an potiùs hæc eadem, vel deterior exsuscitari possit. Sperare licet utique, malam hanc Constitutionem emendandam, cum postremi hi duo Menses cum perpetua ferè serenitate, & Aetis tranquillo statu Annum jam clauserint, nam ut ait Montanus, *Tempora consequentia secundum naturam existentia corrigunt vitia præcedentium præter naturam existentium*; at metus subest, ne ob aliquam Annonæ caritatem infœlices Coloni, qui ad sedandam latrantis stomachi rabiem atro pane, & confusaneo uti cogentur;

(*Nam tener, & niveus, mollique siligine factus;*
Servatur Dominis;)

Metus inquam subest, ne proximo Vere, & Æstate novis calamitatibus vexèntur. Sic in Aeno Civitate Thraciæ, ex Hippocrate, *usu leguminum continenter utentes Fœminæ, & Viri, crurum impotentes fiebant*, quam historiam citat Galenus, aitque sæpè evenire, ut ob caritatem Annonæ exitiales morbi oriantur. Vos Λιμός, quæ famem significat, non nisi per solam diphtongum discrepat ab ea quæ pernicioſam Epidemiam denotat, unde efluxit dictum illud Ex Λιμυ Λοιμος. Quamvis enim Edulia mali succi videantur aliquando sat benè concoqui, attamen ut egregiè monet Galenus, *Nobis non advertentibus, pravus succus ex ipsis post longum tempus in Venis colligitur, qui posteà exiguam ad putredinem occasionem nactus febres malignas accendit.* Quodcunque malum avertat Divina Clementia, & priorem salubritatem huic Cœlo restituat.

Talis fuit Anni M. DC. XC. apud nos Constitutio, atque hæc indoles Epidemii Affectus, qui Colonos nostros, & Vrbanos quoque afflixit, divinarint jam Astrologi pro suo lubitu, & ex syderalibus schematismis Anni, qui modò successit, præsagia deduxerint, quòd ego ejusdem, postquam cursum suum absolverit, si fata dabunt, medicam historiam conscribam.

222.

BERNARDINI RAMAZZINI

Dissertatio Secunda.

De CONSTITUTIONE Anni 1691.

RUralem Epidemiam, quæ præcedenti Anno Mutinensis Agri, & proximarum Regionum Colonos graviter afflixit, Urbana Epidemia hoc Anno excepit, quæ nihil urbanitatis, imò insolentiæ plurimum in infœlicem plebeculam potissimùm exercuit. Instituto itaque meo inhærens prægressam Constitutionem, qualiscunque ea fuerit, in fine cujuslibet Anni describendi, eò libentiùs id exequar, quòd hæc Constitutio ab ea, quam superiori Anno experti fuimus, toto Cœlo differens satis uberem materiam suggerat mentem exercendi, quando in re medica nil foret utiliùs, quam succedentes sibi ad invicem Constitutiones conferre, ut recta medendi methodus institui posset, quoties eadem tempora, ac iidem morbi recurrerent. Quæ si attentiùs à Professoribus observarentur, non esset forsan, quòd Medicina comparata desideraretur, sicuti Anatomiam comparatam desiderari aiebat Sapientissimus Verulamius, quæ si haberetur, ut ille ait, & Individuorum interiores Structuræ ad invicem componerentur, non tam pro morborum causis culparentur humores, quam mechanicum Viscerum artificium, quod cum ut plurimùm inemendabile sit, omnem medicam opem, & magnos Promissores sæpissimè eludit.

II. Superioris Anni Constitutio, ut in mea Dissertatione super illam edita, ob assiduos, & copiosos imbres impensè humida, & lutulenta in universum extitit, unde gravis Epidemia unà cum Annonæ Caritate effluxit; hujus Anni verò Constitutio ex opposito maximè sicca, & pulverulenta, primò quidem ob Aquilonares Ventos, postmodùm verò ob continuum, & flagrantem æstum meritò audiit. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ antecedentem Annum clausit, statum satis placidum, ac serenum, ut diximus, sortita est, ita pars altera, quæ huic Anno fores aperuit, eandem serenitatem, ac tranquillitatem secum invexit, donec Januario mense ad finem vergente, flantibus Ventis Septentrionalibus, frigora adeò intensa fieri cœpta, ut illicò conglaciatis fluminibus cuncta præ nimio gelu horrescerent. Cum autem nullæ prorsus nives decidissent, hyemem non solùm algidissimam, sed siccissimam exegimus, ità ut in tota Cispadana, & Transpadana Regione pulverulentæ essent Viæ, non secùs ac Augusto mense, cum insana Canicula campos torret, quod apud nos prorsus insolens est, ex quo factum, ut Boreæ penetrabile frigus sata consueto nivali vellere destituta mirum in modum exureret.

III. Morbi qui hisce temporibus vagabantur erant Apoplexiæ, Pleuritides, Peripneumoniæ, Catarrhi suffocativi, Anginæ, Erisipelata; præ cæteris tamen affectibus, morbi pectoris grassabantur magis, ac busta implebant. Sanguis qui secta

Vena educebatur multum pituitæ, & polypoſæ concretionis præferebat. In noſtro hoc Noſocomio varijs Cadaveribus diſſectis, præcipuè in Cachecticis, ac demortuis ex morbo pectoris reperti ſunt Polypi, non ſolùm intra Cordis ſinus, ſed etiam intra ipſam Aortam. Remedia quæ magis ex vſu erant, & quibus promptiùs morbus auſcultaret, ea fuere, quæ vi pollerent craſim Sanguinis compactam reſerandi, & fluxibiliorem reddendi, ut Spiritus Salis Armoniaci, Sal volatile Cornu Cervi, Sperma Ceti, & ſimilia, Non deerant tamen qui cum alioquin ſcirent, quòd Sulphur Balſamum Pulmonum paſſim audiat, in hujuſmodi Affectibus ſpiritum Sulphuris exhiberent cum ſuis aquis Pectoralibus; at num rectè & ex arte id agerent, ipſi viderint; indubium tamen eſt, quòd partes integrales Concreti longè diverſas poſſident qualitates ac ipſum Concretum, ſicuti vero veriùs, Spiritum Sulphuris alterius eſſe indolis ac ipſum Sulphur. Repetita ſanguinis miſſio non adeò fœlicem ſortiebatur euentum, ut aliàs. In hac tam rigida, ac horrida Conſtitutione magis exercebatur Plebs Vrbana, quàm Agreſtis, ac Senes valdè periclitabantur, quare Medicis ſæpenumerò nil tale cogitantibus Morbus plus habens in receſſu quàm in fronte facilè imponebat; nam ex improviſo, cum priùs ſatis commodè cœnaſſent, tanquam confecto Silicernio, paulò poſt occumbebant, ac citiùs quibus detractus fuiſſet ſanguis.

IV. Horum Affectuum tam multiplex, ac diſcolor Sylua ab eadem prorſus radice ſuccreuerat, ac propterea eodem modo auerrũncanda: omnium itaque unam, ac eandem eſſe Theoriam, ac Praxim dictabat ratio; veram autem, ac potiſſimam cauſam fas erat referre in prauam diatheſim quam ſanguis haberet ad concreſcendum. Cum enim ex præcedentis Anni frigida, & lutulenta Conſtitutione, nec non ex pravo victu ob rei Annonariæ anguſtiam, talis eſſet in univerſum maſſæ ſanguineæ diſpoſitio, mirum non fuit, ſi ſuccedente poſteà hyeme tam rigida, ac ſummè Aquilonari; maiorem promptitudinem ad grumeſcendum adſciuerit, vnde pullularint morbi, qui ex ſanguinis ſtagnatione varijs in partibus, ob retardatum illius circularem motum, geneſim ſuam deduxerint.

V. Apoplexias autem, Pleuritides, Peripneumonias, Catarrhos ſuffocativos, Eriſipelata, ac reliquos memoratos Affectus à ſanguinis ſtagnatione, ob prædictam ad concreſcendum diſpoſitionem generari, vnanimis eſt Recentiorum omnium conſenſus, quidquid circa horum Affectuum Theoriam in contrarium ſenſerint antiquiores Medici, qui in huiuſmodi Affectibus partem aliquam Mittentem robuſtam, & aliam Recipientem imbecilliorem imaginabantur. Duplicem Fluxionum cauſam commentus eſt Galenus, unam in qua Pars ipſa humorem ad ſe trahet, aliam in qua humor à parte robuſtiori ad debiliorem tranſmitteretur. Hujuſmodi doctrinam primus forſan cœpit convellere Helmontius; nullam enim in fluxionibus partem Mandantem, Dirigentem, nec Sagittarium, aut Scopum agnoſcit hic Auctor; qui tamen exemplo ſpinæ digito infixæ, &

in-

indignantis Archei, non satis exposuit ob ignoratum Sanguinis circulum, quomodo fiant humorum decubitus, quod solùm accidit eò quia præpedito, & intercepto Sanguinis per Venas refluxu, vel propter fibrarum crispaturam (ut in vehementi dolore) vel propter massæ sanguineæ nimis crassam ac densam texturam, humores circa Vasorum extremitates, vel in carnium porositatibus detineantur; quare si congruè loqui velimus, Detentiones potiùs, quàm Fluxiones sunt appellandæ.

VI. Neque interdum exiguus labor mihi impendendus fuit, ut aliquibus à præjudicijs occupatis persuaderem erroneum prorsùs esse comminisci, quòd cum pars aliqua inflammatur, ac in tumorem assurgit, tunc humores majori impetu ad eam partem ferantur, quàm ad alias; si vera est, non commentitia lex Circularis motus sanguinis, qua stante, stant ac stabunt perpetuò tot clarissima Recentiorum excogitata, quot in dies intercidunt Antiquiorum placita; nam revera si mentis aciem intendamus, pigriori lapsu sanguis mouetur ad partem quæ inflammatione tentatur, quàm ad alias vbi expeditæ sunt Viæ, ac nullum repagulum, quod sanguinis cursum remoretur. Quidam autem res in cute solùm, non intùs reputantes, cum vident partem brevi temporis intervallo in tumorem attolli, ut in Phlegmone, putant sanguinem pleno fluento eò confluere, quod sanè locum habet cum Vas aliquod sanguiferum disruptum est, & in aliquam cavitatem sanguis decidit, vel extra Corpus effunditur, non ita verò in Phlegmonum, & aliorum tumorum generatione, qui non aliam ob causam fiunt, quàm quòd præpeditò circulari sanguinis motu, plus fit quod Arteriæ ad partem deferant, quàm quòd Venæ referant, sive id fiat ob lutulentam sanguinis crasim, sive ob fibrarum motricium crispaturam ex vi dolorificæ passionis, ut in vulneribus, ac Nervorum punctu-ris. Huic autem Veritati fortasse manus darent, si cum brachio vinculum injcitur ad celebrandam phlebotomiam, veram causam perpenderent, quare infra nexum tumeant Venæ una cum mole carnea, quod non fit, quia tunc temporis sanguis eò rapidiùs moveatur, (multo enim velociùs ante eò propellebatur vbi nullus erat obex, ac minor resistentia superanda) sed quià ibi detinetur ob interceptum ejusdem per Venas ad Cor refluxum.

VII. Haud absimilis quoque est Catharri generatio de cuius natura, ac ortu inter Medicos non satis convenit. Popularis, ac vetus opinio est, Caput Catarrhi Fontem, ac Scaturiginem esse, unde frequens proluvium in fauces, & pectus, ac etiam vsque ad extremos artus. Opinionem hanc de Catarrhi ortu, ac descensu, ex quo Ethymon desumpsit (cum non nisi descensum, ac defluxum hæc vox sonet, vnde voces κάταρρους & ἀναρρους à Galeno usurpatæ, ut humorum descensum, vel ascensum innueret, hanc inquam opinionem eliminarunt è Scholis recentiores omnes Anatomici ut VVillisius, Richardus Louuer, Stenon, Rolfincius, Etmullerus, Blancardus, ac

inter

inter Italos noſtros Doctiſſimus Bellinus. Hi omnes ad Anatomicum Tribunal, omnibus indicijs, quibus Caput hujus ctiminis Auctor inſimulatur, diligenti examine perpenſis, nullaq; apparente via per quam Caput ſordes ſuas in fauces, ac Thoracem expuat, ipſum plenis ſuffragijs abſolvunt. Non deſunt tamen adhuc qui

Obſtipo capite, & figentes lumine terram,

Antiquorum placitum veluti mordicùs tueri, nec deſinant in morbis pectoris Caput non ſolum pharmacis, ſed ferro, & igne tamquam reum plectere. Per quos porrò ductùs Cerebrum ſuperfluitates ſuas quibus procul dubio, difflunt, poſſi excernere, inter quærenda eſſe ait Celeberrimus Stenon, niſi tamen per obſervatos à Blancardò ductus in iugulares Venas fiat huiuſmodi excretio.

VIII. Catarrhi Fontem non veriti ſunt alij aſtruere eſſe ipſum Vitæ Fontem, Cor ſcilicet, quod per arterijarum ductus circumquaque Catarrhi materiam deferat; hinc Rheumatiſmi & tumores, & quidquid nomine fluxionum venit; quod Aſſertum eſt Rolfincij cui conſentiunt Schneiderus, Vuedelius, & alij, qui Catarrhum à maſſæ ſanguineæ ſero prodire varijs obſervationibus teſtantur. Sat celebre eſt experimentum Richardi Louver de Cane, cui cum arctè Venas Iugulares vinxiſſet, partes omnes ſupra ligaturam tumefieri, nec non copioſas lacrimas ex oculis, & plurimam ſalivam ex ore profluere obſervavit, quo tanden tanquam ex Angina ſuffocato ac diſſecto, nullæ partes ſanguine perfuſæ repertæ ſunt, ſed ſolùm muſculi omnes, & glandulæ ſero limpido diſtentæ apparuere. Ab hac opinione non multum diſſentientes alij Glandulas Catarrhi Fontes ſtatuunt, ut Stenon, Etmullerus, & alij; ſi enim Glandularum ſtructuram accurratiùs perpendamus, conſtabit eas eſſe faſciculum Arteriarum, Venarum, Neruorum, & Vaſorum excretoriorum, ideòque in illarum ſinum deponi ſerum ab Arterijs, & ſuperflui aliquid à Neruis, quæ opinio valdè probabilis eſt, & uſibus Glandulis à Natura deſtinatis magis congrua.

IX. Hanc tamen doctrinam de Catarrhi origine ex ſanguinis latice in Glandularum ſubſtantiam rejecto ex Helmontio habemus, qui primus forſan Caput inſons à Catarrhi infamia vindicavit, ob quam tam ſæpè inurebatur. Hic enim Auctor licet motum ſanguinis circularem ignoraret, mente tamen concepit, id quod credebatur è Cerebro depluere nil aliud eſſe quàm laticem ſeroſum huc, & illuc delatum *à Spiritu impetum faciente, ac initio Vitali*, ut ipſe ait, nimirum è Corde, tanquam primo Impulſore, quin & ad Glandulas ipſas ablegari, quas non ut Vaſorum Pulvinaria eſſent, à Natura conſtructas fuiſſe aſtruit, ſed ad emunctionem laticis è maſſa Cruoris; Ac re vera hic latex ſeroſus Helmontij, præter alios uſus hunc habet potiſſimum, quod ſanguini ſocius, ac totum corpus pervadens ad variarum partium culinas everrendas inſerviat, & ſales diſſolutos combibendos, ut exinde per Glandulas excretrices extrudatur, & ſic tota cruoris maſſa de-

233.

defæcatior evadat. In hunc finem in palato, lingua, faucibus, & naribus copiosas Glandulas Natura construxit, ut sanguis arterioſus, qui per Carotides ad Cerebrum deferri debet pro neruoſi ſucci, & Spirituum Animalium elaboratione, ſincerior reddatur, mucoſa parte per has Glandulas repurgata in ſtatu etiam naturali, quando alia ex parte conſtat eos qui ſunt emunctæ naris, nec multum Deſputores, lubricæ ſanitatis eſſe, ut referunt de Franciſco Galliarum Rege, qui cum eſſet ἀμυξωδὴς; aurium ulceri obnoxius fuit dum vixit.

X. Atque hæc quidem quotidiana pernares, & ex faucibus muci excretio ijs etiam qui ſatis commoda Valetudine fruuntur familiaris eſſe ſolet; cæterùm ubi Corpus cacochymum ſit, ac ſeroſus latex luxuriet, qui ſuopte genio promptus eſt ad concreſcendum, mirum non eſt ſi accedente Boreali Conſtitutione, qualis fuit de qua hic ſermo, tunc temporis graſſentur populariter Tuſſes, Rheumatiſmi, & quodcunque aliud morbi genus, quod in fluxionum cenſu reponitur, detenta in Glandulis vitiata, ac ſuper excedente lympha, non ex Naturæ providentia, quæ ſe hoc faſce levare ſatagens noxium humorem ad extrema detrudat, ſed ex mechanico partium artificio, ac particulari humorum textura, juxta varias Aeris alterationes, ea lege; ut decubitus ibi fiant, ubi maior eſt diſpoſitio ut humores detineantur. Neque id fieri in noſtris Corporibus magis miremur, quàm in Automate alioquin benè conſtructo, quod interdum ad quaſdam Aeris alterationes à ſolitò ſuo munere aberrat, & ab ignaro popello tamquam inſanum ridetur. Mira eſt autem, ac penè diuina vis Ventorum in Aere alterando; talem enim affectionem Aer poſſidet, qualem Ventus qui perflat, ac talis eſt Sanguinis diſpoſitio, qualis eſt Aer quem inſpiramus. Sic ut refert Vitruvius, apud Mitylenem (quæ Vrbs in Lesbo erat quidem maganificenter extructa, ſed non prudenter poſita,) cum flabat Auſter homines ægrotabant, quando Corus tuſſiebant, cum Septentrio, reſtituebantur in ſalutem. M. Varro quoque cum Romana Claſſis Corcyræ eſſet ac tota penè ægrotaret, *immiſſo feneſtris novis Aquilone, & obſtructis peſtilentibus, ſuos incolumes reduxit,*

XII. At quorſum tot ſpeculationes, inquiet aliquis? Vt juxta veram horum Affectuum Theoriam congrua medendi methodus inſtituatur, regeram ego; Vbi enim ingruunt hi morbi qui non è capite decidui, ſed ab humorum ſtagnatione pendent, illicò ad vehementia Cathartica, Inuſtiones Phænigmos, Cucurbitulas, ad Narcotica quoque, ac mille alia remedia ad materiam fluentem revellendam, intercipiendam, derivandam, ſuſpendendam quoque; ut putant, Ceratis capitalibus, confugiunt; Interim neglecta manet vera morbi cauſa, ad quam oppugnandam ſeriò, ac omnibus nervis eſſet incumbendum, ut poſtquam ſufficiens evacuatio eſt facta, uſu alterantium, ac naturalem ſanguinis texturam reſtituentium, fluidæ ſubſtantiæ æquabili tenore perſuos ductus cnrſum repeterent. Quot verò modis per Venæ ſectionem peccatur? Jam Phlebotomus veluti

gladius Delphicus passim tàm in magnis, quàm in levibus morbis stringitur ad innocentes Victimas sæpiùs mactandas, quam graves effectus ingulandos.

XIII. Postquam Mundo innotuit circularis sanguinis motus, Scopi equidem quos in morbis, qui ab humorum fluxione pendere supponuntur, sibi proposuerant Medici, non tanti sunt ponderis ut creditur. Certè Intercipientia locum nullum habent, quomodo enim quis intercipiat materiam ad partem per Arteriam fluentem nisi Arteriam ipsam vinciat? neque enim jure postliminii, aut redhibitionis actione redire potest humor unde est egressus nisi per circulum. Revulsio verò per V. S. de Throno suo jam decidit; imò si strictè loquamur, ferè nulla est, qui enim fiat, ut humor per Arteriam fluens per eandem possit revelli; Profectò si qua fit per V. S. Revulsio, per id solum tempus fit quo Vena est aperta, tunc enim Sanguis per Venam sectam, ac pariter per proximam Arteriam quæilli humorem suggerit, majori velocitate movetur quàm per alia Vasa, illa verò clausa, cessat hæc in velocitate inæqualitas, ut ingeniosissimè ad demonstrationem usque explicat Bellinus. Non ibo tamen inficias, quin diminuta sanguinis copia minor humoris portio ad partem laborantem deferatur, & minus sit sanguinis stagnantis incrementum. Quanti autem sit facienda per V.S. Revulsio, & quàm facilè quibusdam imponat, qui hoc nomine insciliæ suæ velum pretendunt, explicat egregiè Andreas Cnoffellius in quadam sua Consultatione pro Io. Casimiro Poloniæ Rege, cui ob immodicum hæmorrhoidalis sanguinis fluxum laboranti cum magni nominis Medici frequentem sanguinis missionem è brachio suaderent ad revellendum sanguinem fluentem, ac ipse acriter renueret; hæc scripsit verba, quæ ut potè elegantissima, & magni ponderis hic libuit apponere. *Et quomodo sanguini ad peremptoriam medicæ Revulsionis citationem, dicam, & locum, scribere possumus, qui privilegio speciali vitalitatis in circulum, & in se ipsum rediens cum spiritu suo hospite nullius loci, & temporis leges respicit, neque locum standi ullum in universo corporis foro agnoscit?*

XIV. Revellanda itaque esset ex quorundam animis, quibus altè insedit hæc de vi Revulsionis per V. S. opinio, cum revera non nisi ad demendam plenitudinem conferat Venæ sectio. Condonandum quidem aliquid Æmilio Parisano, & Primirosio, qui non aliam ob causam, ut ait Leonardus è Capua, in Harvæum Stylum acuerunt; nisi quia stante Sanguinis Circuitu viderent Revulsionem, per tot sæcula adeò celebre præsidium, ferè penitus corruere, non ità verò nostrorum temporum Professoribus in tam clara luce cæcutientibus. Multum profecto *Hippocrates* Revulsioni in fluxionibus detulit, ut passim in illius Operibus videre est; locus tamen insignis apud eundem extat qui Revulsioni videtur parùm favere. Ad sistendum immodicum mensium fluxum jubet ille ut vincula injiciantur supra genua; verum quidem est, quòd præcipit quoque ut eodem tempore vinciantur brachia; nodum hunc solve-

re

re annisi sunt Rorarius, & Fonseca, sed non planè satisfaciunt; meum sanè non est hujusmodi scrupos dissolvere, meliori enim vindice dignus est hic nodus, proferam tamen quod sentio. Quidquid sit de efficacia hujus remedii, & num eventui respondeat, videtur *Hippocrates* mente attigisse motum sanguinis perennem per suos ductus, multis enim in locis mentionem habet de sanguinis stasi, & interceptione Venarum, quam φλεβῶν ἀποκλεισιν. appellat; ut ergo fluxum catameniorum cohiberet, sanguinis stationem, seu saltem remoram aliquam humoribus impetrandam curabat, tam in partibus supra, quam infra Cor, vinculis ad brachia, & femora injectis, nihil veritus quòd ligaturæ supra genua ad Uterum quicquam traherent. Ac re vera quid magis ex improviso hæmorragias sistit, quàm superveniens animi deliquium cui necessariò consectaria est Cordis à motu feriatio, ac eodem tempore sanguinis stasis?

XV. Sic autem ratiocinari nos cogit Divinum prorsus Inventum Circularis motus sanguinis, quod unicum φαινόμενον in numeras discussit errorum tenebras, effecitque vt humani Corporis, cæterorumque Animantium, quibus præcordia finxit Divinus Opifex, vera, ac genuina Oeconomia innotuerit. Cor enim nectaris vivifici, quo Corpus universum sustentatur, Promus, & Condus est habens ad latera Arterias, & Venas administras; Arteriæ è sinixtro penu alimoniam depromunt, ac partibus omnibus, vel remotissimis dispensant. Venæ assidentes quod à nutritione reliquum fuit suis radicibus, tanquam manibus, recolligunt, & ad dexterum Cordis Condum comportant. Iisdem Venis medio in itinere succenturiant Venæ lacteæ, quæ novum commeatum sanguini sub forma candidi laticis refundunt, qui postea in Pulmonibus admirando artificio purpurascit. Hæc est Vitalis Facultatis vera, & naturalis Oeconomia, cui non parvas suppetias fert Animalis Potestas, quæ pro beneficio purioris sanguinis ad Cerebrum delati uberem spirituum influxum per nervos Cordi suppeditat ad illius motum perennandum. Sic binæ istæ Potentiæ, licet sedibus, & regimine distinctæ, tanquam fœderatæ Provinciæ, sibi invicem collata beneficia rependunt. Sicuti autem in Civitate benè constituta, quo usque legibus suus vigor perstat, summa tranquillitate degitur, iis autem pessundatis, turbarum plena sunt omnia, ita in humano corpore Circularis motus sanguinis lege servata, sarta tecta Valetudo est, ea verò infracta, susque deque aguntur omnia, ac intestinæ seditiones subsequuntur.

XVI. Quamvis autem Lex ista, quam primus tulit Harvæus, vel cujus prima fundamenta jecere Itali nostri, ut Andreas Cæsalpinus, Realdus Columbus Cremonensis, pro rata, imò sacra habeatur, non defuit tamen qui nuper legem hanc abrogare contenderit; is fuit Homobonus Piso Medicus Cremonensis, qui edito libello sub titulo *Vltionis Antiquitatis* Circularem sanguinis motum tanquam Recentiorum Commentum traduxit. Hic mihi non vacat ejusdem rationes, ac fundamenta

expendere, solùm hoc innuam, quòd illius primum argumentum ab hujus legis inobservantia petitum (eò quodam Medicorum quotidiana praxis, præcipuè circa usum V. S. suppositæ doctrinæ de sanguinis circuitu quicquam non respondeat) Professoribus incuriam exprobrat, quod equidem verum est, ac maximè dolendum, cùm innumeri penè sint, qui passim crepent huc circularem sanguinis motum, sed post modum, vel ob inscitiam, vel oscitantiam, non benè pensitatis iis, quæ ex tali principio consequuntur, operibus tollant quod magnifico verborum apparatu statuerant. Verùm cum huic malo medelam aliquam apponere sit necesse, Professor in hac Civitate mihi jamdudum conjunctissimus Opus jam molitur, cui hunc vult esse titulum. *Rationarium Medicum Sæculare, quo summatim, ac veluti facta supputatione apparet quid lucri ex celebrioribus Inventis Anatomicis hujus Sæculi Arti Medicæ, tàm quo ad Theoriam, quàm quoad Praxim accesserit.* Habent Mercatores sua Rationaria, sicuti & diligentes Oeconomi, habent & Principes, ut olim Augustus, qui diuturnæ valetudinis tædio Rationarium Imperii Senatui tradidit; non absre forsan erit si Medica Respublica Rationarium suum habeat, quod monstret quantum Medicinæ pomeria ampliarit hoc nostrum fortunatissimum Sæculum, & quod simul pro saniori medendi methodo inserviat. Hujus operis editionem usque ad finem hujus Sæculi animus illi esset differre, spe forsan quòd novo àliquo Invento Sæculum hoc coronetur, cum adhuc vivant multi egregii Viri novarum rerum Repertores, inter quos Celeberrimus Malpighius, qui Romæ nunc degit ad Pontificiæ Valetudinis custodiam; verùm ego non desino Collegam hunc meum urgere, ut ad meditata seriò incumbat, ac utinam eo usque illi fata Vitæ lineam protendant, ut Opus hujusmodi ad umbilicum deducat. Verùm è Diverticulis in viam.

XVII. In iis ergo Affectibus, qui ab humorum fluxione fieri supponuntur, iterata V. S. ad tot scopos implendos totum corpus depeculatur, & morbi causam per sæpè deteriorem efficit. Ubi enim Vasorum plenitudini quæ vires premit factum fuerit satis, seu ad humorum Orgasmum sufflaminandum si ad sit, sanguinis sufficiens copia detracta fuerit, satiùs profectò esset iis hærere remediis quæ sanguini debitam crasin restituere nata sint. Certè in hac hyemali Constitutione Catarrhis obnoxia repetita V. S. non adeò salubriter cessit; Multos Pleuriticos certò scio inopinato periisse, postquam bis, vel ter secta fuisset Vena. Præ cæteris pius Sacerdos firmi alioquin habitus ex Pleuritide laborans, postquàm tertia vice detractus est sanguis, eadem die interiit. Non solùm autem turpis est calamitas, ægrum epoto medicamento occidere, ut aiebat *Hippocrates*, sed etiam si detracto sanguine paulò post intereat. Senioribus verò in hac tam rigida tempestate periculosum fuit Sanguinem etiam semel detrahere. Nobilis mulier nonagenaria, ex Pleuritide spuria decumbens, cùm instaret ut sibi tunderetur Vena, ac ego renuerem, alter Medicus accersitus

fitus illi morem gessit, & citissimè eam sustulit.

XVIII. Ut constet quali cautione in Senum regimine sit procedendum quotiescumque ab aliquo Rheumatico Affectu premantur, in Boreali præsertim Constitutione, insignem oppidò, ac notatu dignam *Hippocratis* historiam hic lubet apponere. *Halicarnassensis qui in domo Xantippi diversabatur aurem hyeme dolebat, & caput non mediocriter; erat autem Annorum circiter* 50. *Vena secta est juxta Mneximachum, læsum est caput evacuatum, ac perfrigeratum, non enim facta est suppuratio. Phreniticus factus est, & mortuus.* Tot circunstantias hic apposuit *Divinus Præceptor*, ut credi possit historiam hanc plus continere in recessu, quàm in fronte; rarò fit, nec scio quòd alibi in ullo ægrotante annorum numerum definierit *Hippocrates* considerandæ igitur erant ætas ad senectutem vergens, Anni tempus hyemale, humor peccans crassus nempe, ac frigidus, ætati ac tempori congruens, qui obstructionem faceret, ac tensionem in parte, atque hinc dolor; ex alieno præscripto (mentionem enim facit curantis Medici, quod illi non adeò familiare) missus est sanguis, at quonam eventu? perfrigeratum est cerebrum, subsequente caloris nativi necrosi, ac prohibita est suppuratio; neque enim tanquam parergon, ut ait Vallesius, adiecit *Hippocrates* illa verba, *non facta est suppuratio* pernicioſum enim effectum ex intempestiva V. S. sequutum innuere voluit, prohibitam scilicet humoris maturitatem. Lethargicum autem potiùs, quàm verè Phreniticum factum fuisse interpretatur Vallesius, cùm in libris Epidemiorum quoscumque; delirantes Phreniticos Senex Cous appellare consueverit.

XIX. Sæpiùs quoq; mihi advertere obtigit, quòd in hac Rheumatica Constitutione, si febre supervenientе missus fuerit sanguis, deterior factus fuerit affectus, ac etiam quandoque cum funesto eventu. Ut plurimùm ubi Catarrhi urgent, vel in pectore, vel quacumque alia parte, si febris superaccesserit, multis ex Professoribus solenne est ad Phlebotomiam, tanquam ad sacram Anchoram, confugere. An tùm Navis securior? Petiti Naute ventis etiam adversis aliquandò uruntur ut Portum fortiter occupent: Febris autem non tam horrendum est Monstrum, quod etiam à perito Artifice sub jugum mitti nequeat, nec sine aliquo emolumento. Est ubi Febris sanguinis missionem hortetur, est etiam ubi dehortetur; sed opus est Diorismo. Si nimis densam compagem sanguis adierit, & ad stasim aptus vel in pectore, vel in capite restagnet, si febris postmodùm accendatur, vel parcè, vel nullo modo sanguis mittendus; sæpè etenim Naturæ ipsi manu gladium abripimus quo morbum se sola potuisset conficere; si verò contrariam diathesim sanguis habeat, & ob orgasmum aliquem ad διάχυσιν, seu diffusionem promptior sit, febris superaccedens V. S. hortatur. Locus est insignis apud *Hippocratem* quem hic referre non abs re fuerit. Quicumque *derepente obmutescunt, si sine febre fuerint, ipsis Venam secato.* Solenne est *Hippocrati* in libris Epidemio-

rum illud verbum adjicere ἀνώγειν magni enim ponderis ad rectam curationem est hæc consideratio, non Affectus sit cum febre, vel sine febre; non solum enim à febris præsentia, sed etiam ab ejusdem carentia desumendæ sunt Indicationes, ut in hoc loco *Hippocrates*, qui tamen interpretandus, vbi crassi humores Naturam onerent, ac periculum sit ne calor innatus suffocetur. Videant ergo quantum à Via quam trivit *Hippocrates* deflectant qui à Febre alicui Affectui superveniente illicò oblatum sibi scopum tundendæ Venæ ad ravim usque conclamant.

XX. Præ oculis itaque semper habenda Anni Conditio; etenim sicuti in maxima frugum abundantia, *Annus est, non Terra quæ fructificat*, ut ait Theophrastus, ita in quibusdam temporibus non particularis Corporum dispositio, sed Anni Constitutio ea est quæ morbos progerminat; attentè id circò observandum quam Diathèsim sanguis asciscat, sive id in sensibiles qualitates, sivè in insolita effluvia è Terra expirantia referre placeat, & quænam remedia prosperum sortiantur eventum; sæpé etenim fit, quemadmodum scitè advertit Tho: Sydenham, Morborum Epidemicorum accuratissimus Scriptor, ut qua methodo quis morborum quasdam species fœliciter curaverit, vertente Anno, eadem methodo deteriores reddat, quare idem Auctor ingenuè fatetur, se numquam satis caviſſe, ne qui primi se illius curæ commisissent, vita periclitarentur, donec multiplici observatione, ac perspecto morbi genio, ad veram Curationem recto pede procederet. Sic Phlebotomia, quæ aliàs in memoratis Affectibus salubris esse consueverat, in hac Constitutione non insignem operam præstitit, quod procul dubio referendum erat in prægressam antecedentis Anni Constitutionem frigidam, ac nimbosam, & subsequentem hyemem nimis horridam, ob quam adeò crassam compagem sanguis contraxerat, ut si plus æquo detrahetur sanguis, & calor innatus labefactaretur, humores ad motum ineptiores redderentur, ac faciliùs concrescerent. Talem autem fuisse sanguinis texturam ejusdem sanguinis conditio multam pultem in superficie præ se ferentis, nec non multi Polypi in dissectis Cadaveribus, ac denatis ex Catarrho intra cordis sinus, & ipsa Vasa sanguifera reperti satis demonstrarunt.

XXII. Frequens autem hisce temporibus in demortuis ex repentino casu Polyporum observatio, si non aliud, id salem præstat, quòd vera quorundam Affectuum causa innotescat, & culpa vacare credatur Medicus, si monstret quam mala Bestia cubet in Præcordijs. Id præterea consequimur, ne diversa morborum nomina nobis imponant; Syncope enim Cardiaca, Catarrhus suffocativus, & Apoplexiæ species quædam non aliam persæpe agnoscunt causam, quàm polyposas concretiones in Corde, vel in Vasis sangui feris stabulantes. P. Salius particulare caput de Syncope Cardiaca instituit, aitq; illam fieri ex sanguine in Venis, & Arteriis coalescente, sic casum refert Puellæ subita morte extinctæ, cujus Cadavere dissecto ex Arteria magna sanguis concretus eductus est, non

aliter

aliter quàm gladius è vagina extrahi solet. Refert quoq; Riverius Puerum 5. annos natum ex catarrho decumbentem, postmodum lypothymia correptum subitò interijsse; aperto verò Cadavere, in sinixtra Cordis auricula materiam crassam, & compactam repertam fuisse, quæ, ut ipse ait, laridum coctum referret, cui Polypi nomen non indidit hic Auctor, cum nondum in Microcosmico Erythræo Polypos expiscata esset Anatomicorum solertia. Nuper apud nos Vir sexagenarius, præpinguis habitus, subita morte oppetijt, dissecto Cadavere ad explorandam mortis causam, ex Pericardio ferè duæ libræ concreti sanguinis extractæ sunt, ac in Trunco Arteriæ magnæ ascendentis inuentus Polypus lacertulæ longitudinem & magnitudinem referens. Intercepto itaque ob hujusmodi extranea Corpora sanguinis in orbem itu, ac reditu, & mutuo inter Cor, & Cerebrum interrupto commercio, non suggerente Corde sanguinem Cerebro per Arterias pro spirituum Animalium generatione, nec Cerebro Cordi spiritus Animales ad perrennandum illius motum (quando Cordia motu nullæ sunt feriæ) necesse est, ut subitus subsequatur interitus. Casus autem hujusmodi vel à Syncope cardiaca, vel à Catarrho suffocativo, vel etiam ab Apoplexia fieri dicamus, parùm refert. Binas Apoplexiæ species statuit Heurnius, unam quam parvam appellat, ac fieri ob φλεβῶν ἀποκλεισιν ideſt, ob prohibitum sanguinis in Cerebrum influxum, alteram magnam ob interceptum spirituum Animalium è Cerebro efluxum. Tres verò Apoplexiæ species ex *Hippocratis* doctrina tradit Martianus, quas tamen in essentia convenire, & à sanguinis κράσεως pendere autumat, quæ quidem sanguinis statio à Polyposo crassamento induci potest, cujus generatio, ut ut non sit momentanea accedente tamen aliqua causa quæ sanguinem in motum rapidiorem cieat, & præexistente prava totius massæ sanguineæ dispositione ad grumescendum, mirum non est si sanguinis stagnationes ex improviso contingant, ac interrupto spirituum vitalium radio, qui à Corde jugiter influunt, Cerebrum, Lunare Sydus Microcosmi, Eclypsim patiatur. De hac Apolexiæ specie, in quâ morbi causa est extra Cerebrum, pluribus in locis agens *Divinus Præceptor*, in libro de Morbis hæc habet ipsa verba, quæ ut pote notatu digna, & sanguinis circuitum adumbrantia ex nativo fonte huc transferre placuit αἱ φλέβες ἐπὴν ἐς ἑωυτὰς ἐρύσωσι φλέγμα, ἀνάγκη ὑπο ψυχρότητος τοῦ φλέγματος, τὸ αἷμα ἐς ἄνω μᾶλλον νωῦ . . . . . μὴ κινουμένου δὲ τοῦ αἵματος ἔχ οἷόν τε μὴ ἔχει, καὶ τὸ σῶμα ἀτρεμίζειν, καὶ νεκρώδεες. ideſt; *postquam Venæ pituitam in se ipsas traxerint, necesse est præ pituitæ frigiditate sanguinem tunc magis sisti . . . . dum autem sanguis non movetur, fieri non potest ut non etiam corpus quiescat, ac torpeat.*

XXII. In Apolexia, ac presertim ubi in Paralysim degenerat, sæpiùs observavi, modò loquelam amitti voce superstite, modo utrumque, quod quidem observatione dignum, tum ad prognosim, tum ad curationem; non enim idem sunt destitui loquela, ac voce distitui. αὐδὴ loquelam significat, φωνὴ vocem, quæ duo diversis

diversis organis perficiuntur, sermonis enim Lingua est dædala, vocis autem Larynx, & Trachea. Observatio Doctissimi VVillisii est, ad gravis vocis efformationem truncum asperæ arteriæ deprimi, ad vocem autem acutam effomandam sursum attolli, quem motum alternum præstari ait à ramulo nervi recurrentis cartilagineos annulos deorsum trahente, & à nervo altero à plexu paris vagi eosdem sursum attollente; sic exolutis nervis ad linguam pertingentibus ἀναυδία subsequitur, ἀφωνία verò si exoluantur qui ad Laryngem, & Tracheam dimittuntur; poterit ergo aliquis esse ἄναυδος, & non ἄφωνος, ut muti, ac infantes recens nati, qui sonos edunt licet non articulatos, non tamen è converso potest esse quis ἄφωνος, & non ἄναυδος. Quare *Hippocrates* in historia Pythionis, qui postea die 10. mortuus est, scripsit hæc verba. *Circa vesperam omnia exacerbata sunt*, ἄναυδος, ἄφωνος Loquela destitui malum quidem signum est, pernicioſius verò etiam voce privari, idcirco *Divinus Præceptor* ut pessimum Pythionis statum indicaret has binas voces apposuit. Æquè verò tam Aphonia, quàm Anaudia fieri possunt tum ob exolutionem, tum ob convulsionem; procul dubio in Pythione aphonia convulsiva erat, nam die 6. dolores vehementes ipsum tenebant; in hoc itaque distinguuntur, quod Aphonia quæ intensione consistit, fatalis est ad crudelissimam mortem, quæ verò in exolutione, moriendi sensum adimit, ut ait Doctissimus Duretus. Cum itaque tam ob nervorum, & musculorum vocalium tensionem, quam ob laxitatem, fieri possit aphonia, quotiescumque illa appareat, diligenter advertendum num convulsoria sit, vel exolutoria, ut apta remedia præscribantur, Τάσις enim, & λύσις contrarii sunt Affectus. Sæpè autem fit, ut si in maligna febre aphonia superveniat, ad aliquam excusationem apud vulgus aucupandam soleant nonnulli magna utique confidentia pronunciare, ægrum apoplectico insultu correptum fuisse, cum tamen aphonia illa convulsiva sit; perrarò enim in acuta febre aphonia apopletica succedit, quod tamen aliquandò observatur, & qualem casum nuper habui præ manibus. Vir enim robusti alioquin, habitus post 12. paroxismum Tertianæ febris factus est ἄναυδος, καὶ ἄφωνος, resoluto eodem tempore brachio, & crure dextro; ac jam vocem ex integro recuperavit, sed nondum perfectum sermonem. Narrat Foreſtus Textorem quendam ob leve vulnus in extremitate pollicis in dextra manu obmutuisse, quem veluti linguæ paralysi affectum à se curatum ait, ego autem pace hujus Celeberrimi Viri, crediderim obmutescentiam illam ortam fuisse potiùs ex convulsione linguæ, nam æger ille, & nutu, & scripto, ut idem Auctor refert, indicabat sibi linguam tanquam filo constringi.

XXIII. Atque hi quidem vagabantur affectus ob superiùs memoratas causas, quibus addendum, quòd cum Anni prava Constitutione conspiraverat rei Annonariæ penuria, quæ sola potis est crassis humoribus corpora infarcire, ob prava alimenta, ac præcipuè ob usum leguminum, quæ

241.

quæ ſupte natura ægrè coquuntur, unde Cacochymia; propterea urgente frugum inopia, cautè urſurpanda magna remedia, præſertim in Popularibus, quod in Praxi diligenter obſervandum. Sicuti enim ex *Hippocrate* difficulter ferunt purgationes qui pravo utuntur cibo, eò quòd illorum Corpora, ut Galenus interpretatur, citò exolvantur, vel ob Syncopem Stomachicam, in quam facilè incidunt Cacochymici ubi purgantur, ut Heurnius, haud ſecùs per V. S. quoque in ſummum diſcrimen adducuntur, uti frequenti obſervatione mihi compertum. In quibuſdam Oppidis hujus Ditionis, ac præcipuè Caſtrovitri, & Scandiani, idem accidiſſe accepi, quod apud Ænum Civitatem Thraciæ ob Annonæ caritatem eveniſſe ſcripſit *Hippocrates*, ut multi ob uſum leguminum, ac Erui præſertim, in Crurum exolutionem inciderint. In hujuſmodi ergo Calamitatibus cautum eſſe oportet Medicum, nec adeò liberalem in profundendo humano ſanguine, uti quibuſdam aliis temporibus. Ad has itaque Circumſtantias, & præcipuè ad Anni Conſtitutionem, tanquam ad Verſoriam, mentis acies potiùs convertenda, quàm ad decerpendum ex libris, generales morborum Curationes, ne vetus Parœmia obtrudatur, *Nauta ex libro.*

XXIV. Quare autem Plebs Urbana in hac Conſtitutione prædictis Affectibus magis obnoxia fuerit, quàm Agreſtis, id forſan factum crediderim, quòd Ruſticana gens vitam actuoſiorem degens, ſanguinem magis fluxilem haberet, ac minùs aptum ad ſtagnationem, ſeù quòd in Rurali Epidemia in altera mea Diſſertatione deſcripta, febres diuturnæ, quæ agreſtem populum exercuerent, vicem Criſeωs ſuppleverint, ſanguinis fæculentias ſenſim repurgando, ac ad meliorem craſim totam maſſam humoralem perducendo.

XXV. Circà Æquinoctium cœpit frigus mitеſcere, ac tam ſubita facta eſt permutatio ab intenſo frigore ad immoderatum æſtum, ut ab Æquinoctio uſque ad Martii finem calor haud multum diſtaret ab æſtivo, Solo in occaſu flammeo apparente, non ſecùs ac Auguſto menſe; ſubſecuta quidem poſtmodum Aprilis menſe aliqua caloris remiſſio, ſed firma ſemper; & conſtans perſtitit ſiccitas, ſereno, ac præſudo Cœlo; cùm itaque nulli prorsùs imbres per totum Aprilis menſem decidiſſent, non lenis timor omnes corripuit de Anno parum frugifero; non modici tamen ſolaminis erant Plantæ omnes fructiferæ floribus paſſim albeſcentes, quæ fructus tum præcoces, tum horæos abundè pollicebantur, uti re vera contigit, hoc Anno laboranti Cereri ſuccenturiante Pomona. His addebatur quòd calor non proportionatè ad Solis acceſſum augeſcens ſiccitatem in dies auctiorem reddebat, quare toto Vernali tempore Terra non minùs arida, ac dehiſcens viſebatur, quàm cum *findit Canis æſtifer arva.* Perſeverante pariter Majo menſe hac arida Conſtitutione, niſi identidem, ac ſporadicè modicis imbribus delapſis, magna herbarum inopia hoc Anno laboratum eſt, fabis quoque ac omnibus ferè leguminibus ob humidi

defectum arefactis, exigua quoque ſpe ſuperſtite, quòd eandem ob cauſam triticea meſſis ad bonam frugem perduci poſſet.

XXVI. In hac Vernali tempeſtate, ac præcipuè in prima Veris parte, ijdem pectoris morbi, non adeò tamen graves, ut hyeme, perſeverarunt. Sub finem autem Veris Tertianæ febres, tamquam ſpicilegium prægreſſæ meſſis, caput denuò extulerunt. Nunquam apud nos Annus Scabioſior viſus eſt, omnibus ferè Vrbanis, ac Ruricolis quoque, fœda ſcabie laborantibus, quæ neque ad iteratas purgationes, neque ad æpetitas Phlebotomias quicquam mitteſcebat; Sanguis qui ſecta vena educebatur multum ſeri flavi præferebat, ac Vrinæ valdè coloratæ apparebant. Haud ſecùs quàm Anno elapſo magna fuit Animalium ſtrages, ac Pecudum præcipuè, ita ut Ovillus grex totus penè deletus fuerit.

XXVII. Quoniam nullus Morbus adeò popularis aſt ac Scabies (ſi tamen illam in Morborum Claſſe licet reponere, quando Hippocrates ſcabiem turpitudinem potiùs quàm morbum appellat, & Plato malum vocat mixtum ex dolore, & voluptate, ac propterea græcè dicitur πάθος γλυκύπικρος) quoniam inquam, nullus affectus adeò familiaris eſt, & qui medicos conatus magis eludat, ut hinc anſam captarit Helmontius vulgarem Medicorum praxim traducendi ſub titulo *Scabiei, & Vlceris Scholarum*, perſtricemus paululùm, ſi licet, hoc Vlcus. Ingenuo pudore profectò fateri licet, nihil ferè laudis Medicinæ Profeſſoribus ex Scabiei curatione accedere, imò non rarò ijs palmam præripi à ſuperveniente Vetula, quæ ſolo linimento interdum præſtat, quod magna remediorum ſupellectile præſtitiſſe non potuerunt qui morbos Herculeos ſe perdomuiſſe deprædicant, quin interdum, ut ait Poeta.

Inque ipſos ſæva medentes
Erumpit clades, obſuntque Auctoribus Artes.

Quam labem omni ſtudio, ac juxta omnes Politicæ regulas a ſe debet arcere ex Galeni conſilio quiſquis Medicus, nam Scabies, ut idem ait, cum deformes reddat quoſcumque tenet, multò magis Medicum Clinicum deformem, & horrendum efficit, cui hac fœditate laboranti obtrudi poſſit dictum illud Poetæ Tragœdi, quod affert Plutarchus.

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι ῥυών,

ideſt *Alijs medens, at ipſe ulceribus ſcatens.*

XXVIII Scabiei curationem ſolis topicis eſſe perficiendam, ablegatis omnibus internis remedijs, quæ Corpora in caſſum fatigant, vult Helmontius; obſervans enim quàm facili negotio Corpus exactè ſanum ex ſolo contactu alicujus Scabioſi inficipoſſit, credidit Scabiem pendere à pravo Cutis fermento, quod ejuſdem alimentum corrumpat, nequaquam verò ab interno Viſcerum vitio, quare ſolis topicis ſuadet abigendam; aſt hujuſmodi opus periculoſæ plenum aleæ meritò cenſetur. Ballonij itaque celeberrimi Practici conſilio hærere placet, qui cum diorismo procedens explicat ex mente Hippocratis quando Scabies ſit morbus, & quando abſceſſus, hoc eſt rectam ſemitam indigitat, qua Medicus certo pede ad

Sca-

213.

Scabiei curationem procedat; lubet autem hic ipsum Hippocratis locum afferre. *Impetigines, & lepræ, & vitiligines albæ quibus quidem Juvenibus horum factum est, aut paulatim conspectum multo tempore augescit, his non putare oportet abscessum esse, eam papularum eruptionem, sed morbum; quibus verò horum aliquid est factum multum, & derepente, hoc sanè fuerit abscessus.* Hunc locum pariter observans doctissimus Mercurialis, *Quid sit*, ait, *abscessum esse, & non morbum, atque è converso, non omnes intelligunt.* Scabies itaque, alijque cutanei affectus in morborum classe sunt recesendi quando paulatim fiunt; quando verò confertim, ac præcipuè post gravem aliquam ægritudinem, non morbi nomine, sed Ἀποσάσεως insigniri debent. est ergo in Scabie, ubi liceat solis topicis imcumbere, ait Ballonius, cum nimirum Scabies est solius Cutis morbus, est etiam ubi necesse sit internis partibus prospicere usu purgantium, & alterantium, ac nefas sit solis topicis Scabiem exterminare velle, hoc est cum Scabies est alterius morbi soboles, ut in Cachexia.

XXIX. Chronicorum affectuum eam esse naturam, ut qui *hyeme angescunt æstate desinere soleant, qui vero æstate hyeme finire debeant*, scripsit Hippocrates. Hanc autem esse Scabiei indolem, ut hyeme luxuriet, ac magis sæviat, æstate verò euanescat, ver saltèm mitescat, jam norunt omnes. Quando igitur Scabiosus aliquis curandus suscipitur, liberè protestandum esset, non institui curationem nisi ut faciliùs æstivo tempore tam fœdus morbus extirpetur, atque hanc esse hujus pestis naturam, apud nos saltem (de lepra non loquor morbo Ægyptijs endemio, ut refert P. Alpinus, ob aquam cœnosam, & salitos pisces, quorum usus apud illos valdè familiaris est) ut æstivi caloris beneficio faciliùs, quam cichoraceis abigatur; satis abundè testante experientia, quòd nulla prævia purgatione, vel Phlebotomia, ulloque alio remedio, quotquot agrestes per hyemem scabie laborarint, superveniente æstate, non secùs ac Angues, psoræ exuvias deponant, ac illis niteat *assiduo curata cuticula Sole.* Verum hujusmodi protestatio ad avertendam calumniam quandoque non satis est. Laborabat olim F. Petrarca sicca scabie, ut ipse refert, ac postquam à medicamentorum diuturno usu se frustra exhaustum videret, Medicos, quibus ex sua natura infensus erat, objurgare cœpit, ac ijs respondentibus, expectandam esse Æstatem, ira percitus eosdem dimisit his verbis. *Ego autem neque Medicis credo, neque ab Æstate severo quicquam, sed ab illo de quo scriptum est. Æstatem, & Ver tu plasmasti.* Psoræ itaque potissimum remedium ab æstivo calore pendet, qui potis est novam crasim in massam sanguineam inuehere, ac illam particulis spirituosis saturare, quo pacto Acidum illud luxurians, quod cutem exarabat, infringitur. Purgationes itaque ut ut repetitæ, iteratæ V. S. illitiones, Balnea, & omnis Medicus apparatus persæpe præstare nequeunt quod solus Aer æstivus. Cùm hoc Vere cuidam Docto Amico meo levem

purgationem ad sanandam Scabiem, qua vexabatur, præscripsissem, nec ideò melius haberet, ac illo urgente quid agendum supereſſet, per locum remedij loco dictum illud Satyrici adduxisem.

Durate, atque expectate Cicadas,

ille ad me conversus, & Tu quoque, inquit, ad græcas Calendas honorarium expecta.

XXX. Utriusque casus duo habemus natatu digna exempla apud *Hippocratem* in libris Epidemiorum, quæ hic lubet afferre. *Latæ pustulæ non valde pruriginosæ, quales Simon habebat hyeme, qui ubi ad ignem inungeretur, aut calida lavaretur, opem sentiebat. Vomitus non proderat.* Manifestum specimen hic habemus Scabiei cum morbus est; nam ex facta inunctione, vel in ipsa hyeme, opem sentiebat; si enim Scabies illa fuisset abscessus, ac alterius morbi productum, non solum ex intempestiva unctione nil opis sensisset, sed gravem noxam expertus fuisset. Observanda quoque illa verba. *Vomitus non proderat*; signum euidens, Corpus illud fuisse sanum, ac totum vitium in externis corporis partibus extitisse. Corpora sana difficulter ferre purgationes effatum est ejusdem *Hippocratis*, qui pariter ubi fauces ægrotant, aut tubercula in corpore nascuntur, præcipit ut dejectiones inspiciantur, quæ si sint similes sanis, ait tutum esse corpus alere, sin minùs purgationem instituendam; fieri enim potest, ac sæpenumerò contingit, ut Corpore sano intus existente tubercula in cute progerminent.

XXXI. Exemplum aliud Scabiei, prout Abscessus dici meretur sequens est. *Homo quidam Athenis prurigine toto corpore vexabatur, & Cutis crassa erat & velut lepræ aspectu; huic nemo opitulari potuit; transgressus ad Melum, ubi sunt calidæ Balneæ, à pruritu quidem, & Cutis crassitudine liberatus est, sed hydropicus factus mortuus est.* In hoc casu certè affectio illa pruriginosa abscessus erat, ac fructus morbosæ radicis in Visceribus implantatæ; vel immoderatè, ut putat Vallesius in Commento, aquis illis thermalibus usus fuerit homo ille, ut suffocato innato culore cessarit illa peccantium humorum excretio ad cutem ablegari solita, vel, ut verisimiliùs interpretatur Martianus noster, aquæ illæ sulphuratæ essent, ac propterea, ut idem ait, *densata à balneo cute humores pruritum excitantes ad Hepar retrocedentes scyrrhum induxerint*, ex quo factus fuerit hydropicus, satis sit quòd illi magis consultum fuisset, prospexisse ad id quod latebat intus, quàm quod in cute apparebat.

XXXII. Ut ad rem nostram hactenus dicta applicemus, populatis hæc Scabies in Classe abscessuum profectò erat collocanda, ut pote productum præcedentis Constitutionis nimis pluviosæ, nec non & pravi victus ob Annonæ caritatem; sic refert *Galenus* sua ætate cùm plurimas Romano imperio subditas gentes vexaret fames, ac frugibus omnibus in Urbem asportatis, Agrestes, quibus relicta fuerant solùm ὀστεια καὶ χεδροπα, ac etiam in exigua copia, ut fruticum germinibus, & bulbis vesci cogerentur, omnes sub Veris finem

à va-

à variis cutaneis affectibus conflictatos fuisse, quorum alii Erisipelas referrent, alii herpetem, & alii psoram, impetiginem, & lepram. In hac itaque nostra populari Scabie solis topicis fidere tutum negotium non erat, & quotquot sive sponte, sive alieno consilio Scabiem Vnguentis antipsoricis abigere tentarunt, id suo periculo sunt experti. Rem oppidò notatu dignam hac occasione mihi observare obtigit. Novi multos, qui tædio hujus fœdi morbi Unguentis Scabiem exterminare etiam in ipso Vere tentarunt, sed postmodum Scabie retropulsa febre, correptos Urinas nigras, & fuliginosas illicò reddidisse; cùm autem usu remediorum humores ad cutem propellentium reproduceretur Scabies, Vrinæ sanis similes reddebantur; denuò autem retrocedente Scabie, vel rursus erumpente, hæc reciproca in Urinis apparebat mutatio; quamvis autem hujusmodi Urinæ cum parva febre, quæ malignitatis speciem aliquam præferret, me suspectum non parum haberent, sollicitus tamen circa Scabiei reproductionem semper bonam spem alvi, & quotquot habui præ manibus vidi tandem à morbo superstites. Animo autem versans quare ad Scabiei retrocessionem Urinæ redderentur fuliginosæ, id fieri posse credidi, quòd Acidum in Cute luxurians, & Psoram efficiens, ob factas illitiones haud amplius expirans, à Venis resorptum, & cum Alchali sanguineo permixtum serum sanguinis atredine infuscarit, non secus ac quando limpida Vitrioli solutione cum infusione gallæ permixta, atramentum conficitur. Pro regeneranda vero Scabie non semel, nec sine prospero eventu usus sum remedio à Zacuto Lusitano proposito, & ab Etmullero, commendato jubendo, ut æger, cui retrocessisset Scabies, decumberet in linteis ab aliquo Scabioso infectis. Remedia porrò quæ magis ex usu fuere, si non ad Scabiem extirpandam, saltem ad eam moderandam, ut superveniente æstate faciliùs aboleri posset, fuere præsertim ea quæ ex Viperis parantur, quibus multos vidi fœliciter sanatos. Ubi liceat igitur internis remediis uti ad Scabiem radicitùs extirpandam, nihil profectò consultiùs quàm ad diaphoretica confugere, non secùs ac fit in lue gallica; sicuti enim inter hos duos Affectus magna est cognatio, ita eadem ferè methodo curandi. Sic Heurnius ad Psoram debellandam, purgatis prius noxiis humoribus, ligni indici, ac Salsæ decoctum valdè commendat; ait enim quòd hoc remedio facile expirat concepta in habitu Corporis contaminatio.

XXXIII. Horrent nonnulli in Scabie, aliisque cutaneis affectibus, cane pejus & angue Viperina remedia, veriti ne excedens caliditas & ustionis nota Hepati, & toti massæ sanguineæ imprimatur; ast ego magis horreo nimium refrigerantium usum, nec quemquam novi, qui exhaustis integris Ptisanariis, seu post diuturnum Seri, & Cichoraceorum usum à Scabie, ut ut sicca, & arente, liber evaserit; scio equidem penè assiduas esse Scabiosorum querelas de nimio calore tum interna tum externa perurente, at iis præbendæ non sunt aures; graviter quoque Pueri, quibus Perniones ob violentum frigus obortí

sunt, de nimio calore in pedibus conqueruntur, nec sine ratione, ob subsequutam aliquam inflammationem, an ideò in Pernionibus applicanda refrigerantia? Cordati Medici ergo erit morbi causam animosè aggredi, sanguinis vitiosam crasim emendando, remediis potissimùm quæ illius acorem temperent, qualia sunt ex Viperis parata, quæ Sale volatili abundant. Quidquid sit de Viperæ temperie, de quo consulatur Io. Baptista Spontonus in sua Echidnologia, experientia satis planum facit nihil esse ad psoram, ac lepram quoque perdomandam efficaciùs, quàm Viperina medicamenta (quando tamen id agere liceat, nec satius sit hunc hostem inquilinum alere) nec adeò nos sollicitos esse debere neplùs æquo incalescant Viscera, dummodò tam fædi morbi seminium penitus restinguatur. At nunquam cessaret scalpendi libido, tam ferax est observationum hæc materia, nisi ad alia festinaret Calamus.

XXXIV. Exacto Vere Æstas successit adeò fervens, ut numquam huic similis visa fuerit, idque; præsertim Canicularibus diebus, quo tempore præter modum Aer excanduit caliditatis excessu supra reliquos Annos, ut Thermometri loquebantur, ad multos gradus ascendente. In hisce ardoribus identidem cecidere pluviæ, sed nihilò seciùs remittebatur æstus, qui constans perstitit per totum fere Septembris Mensem; hac Æstate nullatenus spiraruut Etesiæ, unde à continua æstu nullum levamen, hanc ob causam multa Animalia, ac præsertim Canes, agebantur in rabiem. Nunquam aliàs cecidere crebriora fulmina, à quorum uno ictus est Agricola, indumentis omnibus perustis, præter lora coriacea; is ad nonnullos dies attonitus jacuit, sed postea sine ullo remedio in se rediit, & adhuc superstes est: hisce temporibus febrium Cohors derepente incubuit, ac passim per vulgus grassabatur, ut integræ familiæ eodem tempore febricitarent, densiorque erat ægrotantium numerus ea in parte Civitatis, ubi magis patulæ sunt viæ, ac humiliora tecta. Quotquot milites in Arce reperti sunt, simul ex febre decumbebant, ut rusticanam militiam accersere oportuerit ad illius custodiam. In Septo Hebreorum, ubi Vici angusti, ac Ædes altissimæ, caliganteque fenestræ, nulli ferè hoc saltem tempore ægrotarunt, cùm tamen cæteris Annis primi sint Recutiti, qui æstivarum ægritudinum impetum sustineant. Ruricolæ licet diurnis laboribus ad Solis radios ferè in sudores solverentur, cùm tamen subdiò suis in plaustris per noctem somnum captare soleant, immunes ut plurimùm degebant; sola itaque Plebs Urbana, & omnes quibus, & domus, & res angusta domi esset, exercebantur; salubris tamen erat morbus, nam febres istæ Tertianæ Intermittentes erant, ac ut plurimùm exquisitæ, & quæ die septima, ac etiam citiùs, post unam vel alteram phlebotomiam per sudores judicarentur. Nullus Annus Medicis quæstuosior, & glorioſior unquam fuit, cum ægri omnes fermè incolumes evaderent; medicum fastum tamen parumper temperavit Autumnus θανασιμος nam protractiores erant febres, & aliquan-

247.

quando in malignas degenerabant. Remedia cordatis Medicis erant Venæ sectio, & frigidæ usus; hæc enim utramque paginam, ut dici solet, implebant; qui verò parua attollentes, ut plura viderentur præstitisse, vel ut Seplasiarios benevolos haberent, Cardiacis calidioribus usi sunt, tanquam camino oleum addentes, ægros in extremam perniciem præcipitarunt. Limonum succus, spiritus Vitrioli, Sulphuris, & similia erant egregia Cardiaca; diversis itaq; artibus, ac diverso telorum genere, cum hoc febrili exercitu congrediendum fuit; Anno superiori hostis irritandus erat ad pugnam, hoc verò illius impetus parumper sustinendus, & acutis telis frangendus, qualia sunt Acida omnia. Sanguis qui secta Vena educebatur spumeus erat, & croceus, Vrinæ similiter multa bile saturatæ. Multis ex febricitantibus papulæ apparebant in cute, ac præsertim Pueris, quales efflorescentiæ Variolarum erant veluti Prodromi. Variolæ quidem per æstatem paucos sustulerunt, ast autumno, & in prima parte hyemis paucis pepercerunt, ac minùs ijs quibus detractus fuisset sanguis. Multis Tertianæ febres in Quartanas migrabant; sicuti autem præcedenti Anno Peruviani Corticis usus in Quartanis, ac diuturnis febribus improsperé cessit, ità hoc Anno saluberrimus fuit, & ij qui passi sunt recidivas, febres mitiores postmodum experti sunt, ac antequam Hyems accederet perfectè convaluerunt. Vbi primùm æstus cæpit mitescere, quod circa Æquinoctium contigit, visa est pacari febrilis tempestas, quæ sensim in summam tranquillitatem cessit, adeò ut duobus postremis decedentis Anni Mensibus in Foro Medico penè continuæ essent feriæ.

XXXV. Hujus febrilis tempestatis causam saltem occasionalem in immodicum Aeris æstum referre placuit, qui potis fuerit Bili nimiam acrimoniam adsciscere, ut cum succo pancreatico, minùs aptè quàm par est, ebulliret, & in massa sanguinea febrilem effervescentiam cieret. Neque mirum sit quòd exiguo tempore adeò permutata fuerit sanguinis, & omnium fluidorum crasis; magna est enim vis caloris, quidquid Helmontius dixerit, Calorem Qualitatem Rerollæam appellans. Multa quæ suaprè natura dulcia sunt ad ignem amarescere, alia verò magis dulcescere quotidiè observamus; sic ut ait Gal. Lac. coctione eam dulcedinem acquirit, quam Mel deperdit. Vinum quoque per totam hyemem, ac etiam Vernum tempus, nativam dulcedinem servans ubi Æstatem senserit austerum fit, nisi in Hypogæis, & frigidioribus locis asservetur, Calor itaque ac frigus, sive sint causæ immediatæ, sive excitantes, & occasionales, subitas mutationes, in nostris Corporibus parere possunt & humorum texturam, citiùs quàm quis putet, invertere. Narrationem oppido curiosam apud Lucianum habemus de febre quadam Tragœda (sic enim illam appellare liceat) quæ Abderitas temporis ferè momento invasit. Egerat Archelaus Poeta Tragicus media Æstate, multoque æstu, apud Abderitas, Euripidis Andromedam, ex quo factum ut multi ex Theatro febricitantes exierint, ac universi postmodum febre gravissima correpti fuerint,

rint, quæ die septima plurimo sudore erumpente, nec non sanguine è naribus profluente, soluebatur, superstite tamen ridicula quadam mentis perturbatione, nam ut refert Auctor, *omnes quasi ad Tragœdias agendas impellebantur, & Iambica personabant, multumque vociferabantur, maximè autem Euripidis Andromedam canticis referebant, plenaque adeo Civitas erat pallidis, ac macilentis illis Tragœdis septimanis.* Haud aliter apud nos immodicus æstus Plebem Vrbanam inter angustias suarum ædicularum concluſam in febres agebat, adspectu quidem terribiles, nec sine mentis emotione, sed quæ postea die septima, oborto sudore post celebratam liberali manu phlebotomiam soluerentur. Hac de causa eos qui circa Urbis pomœria lares habebant, seu ubi magis patula, & ampla sunt Viarum strata; ut in ea parte quæ *Herculea Additio* appellatur, facilius febres adoriebantur; ubi verò Vrbs magis conferta est, & Vici anguſti, & anfractuoſi, minùs à febribus populares exercebantur. Neque fortuitò Urbium Conditores, anguſtas, & anfractuoſas vias esse voluisse censendum est, ut in ijs Vrbibus, quæ adhuc aliquid antiquitatis, retinent, qualis est Mutina, ut nempe magis salubritati, quàm pulchritudini consulerent. Sic Nero postquam flammis Romam absumpsit, intentus postmodum illius reparationi, dimensis viarum ordinibus, ac latis spatijs, splendidiorem quidem Vrbem pro Imperij majestate, sed minùs salubrem reddidit, nam, ut ait Tacitus, compertum est *veterem illam formam salubritatis magis conduxisse, quoniam anguſtiæ itinerum, & altitudo tectorum non perinde Solis vapore perrumperentur.* Hanc ob causam opulentiores Cives, qui in amplis Conclavibus à tecto remorioribus degebant, sicuti etiam populus Apella, vim febrilis hujus tempestatis minùs sensere. Magni profectò momenti est ad præservationem à morbis æstivis in amplo, ac frigido Conclavi degere, ac somnum capere, ut à diurno calore attritæ vires per nocturnum somnum reparentur. *Somnum in frigore cooperto* commendat *Hippocrates*, quem locum in altera mea Dissertatione exposui; si ergo vel in ipsa hyeme præstat quiescere in loco ubi sit aura frigidior, idq, in gratiam Respirationis, dummodò totum Corpus stragulis sit coopertum ne à frigore carnes pungente interturbetur sopor, multò magis æstate præstabit in frigido Conclavi somno indulgere.

XXXVI. Hic autem immoderatus Aeris feruor si febrem hanc popularem excitavit, viam qnoque aperuit ut citiùs reseratis poris, per sudorem febrilis materia evanesceret, idq; beneficij sequutum, ut exterminata radicitus Scabie, Plebs nitidior, ac vegetior apparuerit. Ac profectò gravis hæc morborum Tempestas omninò desijsset, ni Variolæ, quò magis ambientis calor tepescebat, eò ferociùs sævijssent, cùm non solum puellarem ætatem deleterent, sed etiam grandævos, ac præcipuè Utero grentes, quotquot hoc morbo laborarent. De Variolarum natura, & causis, cum tot extent doctissimorum hominum scripta,

ta, nil addam, nisi quòd in hac Varioloſa Conſtitutione, quæ circa Autumni finem vim ſuam magis exercuit, facilius evaſerint ii quibus nec detractus fuit ſanguinis, nec ullum adminiſtratum remedium, toto curationis negotio Naturæ commiſſo. Neque mirum quòd V. S. noxia fuerit; ſi enim ex Hippocrate *Autumno pauciſſimus ſanguis fit in homine* ob prægreſſam Æſtatem, quæ Corpora exhaurit, id certè apud nos hoc Anno locum habuit, quare Virtus jam debilis ab exhauſtu ob præcedentem æſtivum fervorem, ſecta Vena illicò labaſcere videbatur, ac fieri minùs apta ut noxium humorem ad Cutim protruderet.

XXXVII. Sicuti in ſuperioris Anni Conſtitutione noxius fuit Chinæ Chinæ uſus, ut adnotatum, ita in hac ab illa toto Cœlo diverſa, valdè ſalubris compertus eſt; & multi quidem Quartanarii hoc autumno per Vrbem vagari viſebantur, ſed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integrè ſunt reſtituti, vel ſi nonnulli recidivas paſſi ſunt, paulò poſt convaluere; hinc practicam Cautionem, ulteriori tamen obſervatione confirmandam, elicio, ſecuriorem eſſe Chinæ Chinæ uſum, quando humores fræno potiùs egeant, quàm ſtimulo. Anno elapſo ob frigidam, & humidam Conſtitutionem tota humoralis maſſa, ut pote craſſa, ac ſegniùs fluens ſtimulanda erat, ac ad motum cienda, hac Æſtate vero, ad orgaſmum prona, ac neſciens ſtare loco, erat potiùs ſufflaminanda, quod mirè præſtabat Peruvianus Cortex, humorum impetum compeſcendo. Eandem ob cauſam aquæ uſus in altera Conſtitutione adeò noxius in hac ſaluberrimus fuit, ſicuti pariter Acida omnia, quæ celebrioribus Cardiacis palmam præripuere, ut quæ partium Alchalinarum vim frangerent. Hermeticorum enim effatum eſt, Alchalia per Acida, & Acida per Alchalia emendari.

Atque hæc pauca de hujus Anni Conſtitutione, tumultuariè fateor, ac inter armorum ſtrepitus, viſum eſt conſcribere, hyemantibus apud nos Germanorum copiis, quæ hac Æſtate in Pedemontana Regione adverſus Gallos militarunt; cæterùm, urgente adhuc rei Annonariæ anguſtia, vereri licet, ne venturo quoque Anno popularium morborum nova ſeges ſuccreſcat, quod omen deſpuo.

BERNARDINI RAMAZZINI

Diſſertatio Tertia.

De CONSTITUTIONE Annorum 1692. 1693. 1694.

INtermiſſam varias quidem ob cauſas, ſed potiſſimùm ob parùm proſperam Valetudinem, Operis incœpti texturam reſumens, Morbos qui hiſce tribus Annis apud Noſtrates populariter vagati ſunt, nec non rariora quædam quæ peculiari obſervatione digna credidi, compendioſè refe-

ram, haud dubiâ spe quòd apud cordatiores Medicos veniam sim impetraturus si minùs aptè quàm par est res exponatur, modò fideliter (quod in historicâ narratione potissimùm expetitur) id fiat, quod me præstiturum sanctè polliceor. Horum verò trium Annorum Constitutiones non sejunctim, ut priores duas, exponere, sed unico fasce simul complecti libuit, ne eadem chordà, cum risu oberrans res easdem reperere deberem, quandò unica & eadem ferè morbosa Tragœdia totum hoc triennale spatium absumpsit, nec exodium obtinuit, donec Cœli temperies in statum Cœlo diversum permutata novos morbos in Scenam produxerit.

II. Ut ergo à Constitutione Anni 1692. extraordinaria, Hyems satis regularis fuit, ac legitima, nec quid insolens habuit quod nostro huic Climati non congrueret; primò quidem Boreales Venti ad aliquot dies satis validè perflarunt, Terrâ nondum nivali vellere adopertâ, unde metus erat ne Sata exurerentur, sed Ventis postmodùm silentibus, ac modicis nivibus delapsis, Hyems propriam temperiem, & eas conditiones obtinuit, quas in libro de Aere, Aq. & Loc. *num.* 25. recensuit Hippocrates, nimirùm ut sit *moderata, neque valdè clemens, neque frigiditate excedat.* Morbi itaque hyemales observati sunt, ut Tusses, Pleuritides, Erisipelata, Apoplexiæ, ac in iis præcipuè qui præcedenti Anno à gravi aliquo Morbo conflictati fuerant; major tamen pars eorum qui ægrotarunt evasit, demptis paucis quibusdam è Senioribus, & Silicernio jam proximis. Nihil itaque hyemali tempore observare licuit quod τὸν ἐπιδήμιον redoloret.

III. Neque verò à sibi debitâ temperie multum descivit Vernale tempus; satis enim moderatæ fuerunt pluviæ, ac interpolatæ, quales Agricolarum votis responderent, sicuti Æstas quæ successit non admodùm fervida, ut præcedenti Anno, neque nimis sicca extitit, sed pluviis identidem labentibus, ac Etesiis suo tempore flantibus, talis fuit qualis nostro Cœlo congrueret; quarè messem si non planè frugiferam, qualem publica necessitas optabat, non improbam tamen exhibuit. Haud secùs Autumnus stadium suum regulariter percurrens, cum primâ parte hyemis non admodum rigidâ, Annum clausit. Sic totum Annum satis placidum, ac Austrinum quoad primam Qualitatum temperiem exegimus.

IV. Non eâ verò moderatione sequens Annus processit, illum enim totu intemperatum, ac prorsus ex legem experti fuimus, Hyemem totam cum perpetuâ Cœli serenitate, & mitissimis frigoribus transegimus sine pluviis, ac sine nivibus, neque solùm in hac planitie nostrâ, ubi sedet Mutina, sed neq; in editissimis Appennini jugis, quæ aliàs per totam hyemem, & vernum quoque tempus albescunt, Mari supero, & infero canum verticem ostentantes; sic neque Gabellus, & Scultena (inter quæ flumina Urbs hæc posita est) glaciem, ut cæteris Annis, sensere, quod multum contulit ad Annonæ caritatem levandam, cum totâ hyeme per hæc flumina Frumentatores è proximis regionibus commeatus ad nos abundè conveherent, ad plebem nostram,

ſtram, & Germanos Milites alendos qui hoc Anno quoque apud nos hybernarunt. Sic Veris ſpeciem Hyems tota Auſtrina exhibuit, cui poſtmodum Ver ſucceſsit hyemis naturam, veluti mutatis vicibus, referens; ab Æquinoctio verno etenim usque ferè ad Solſtitium perpetua ferè fuerunt frigora cum Ventis Aquilonaribus, ac perennes fuere pluviæ, eæque adeò ingentes, ut paſsim flumina ruptis aggeribus campos inundarint.

V. Jam nefaſtum Annum, & inſalubrem nemo non prævidebat, tum ob pluviarum vim magnam, quæ morborum ſunt ſeminarium, tum ob apparentia in Mororum foliis ſigna Rubiginis quæ ſterilitatis prodroma eſt, ut Annis ſuperioribus ſummâ totius Ciſpadanæ, & Tranſpadanæ regionis calamitate experti fuimus. Eodem modo ſubſequuta Æſtas usque ad Caniculares dies Veris ſpeciem exhibuit, quo tempore ſatis curioſum fuit, apud nos ſaltem, Luſcinias audire pro Cicadis arbuſta rumpentes. Sic ventum eſt ad Æſtatem cum mitiſſimâ Aeris temperie, nobis tamen impropriam, pluviis identidem magno impetu delabentibus; hinc ob ſolum valdè uliginoſum, & ſatis blandam caloris temperiem ad tantam altitudinem, ac denſitatem omne frugum genus excrevit, ut metus Anni parùm frugiferi ex omnium animis ferè exciderit; at improviſa Rubigo, cujus non obſcura indicia, ut dixi, apparuerant, ſpem omnium repente eluſit; illicò enim frumenta, fabæ, & quæcumq; leguminum genera ſydereo afflatu veluti percuſſa exaruere. Inopinus itaque caſus cum Agricolas, tum Urbanos quoque perculit; ſummam enim frugum penuriam non ante viſam impendere præſentiebant omnes, quandò ex præcedentium Annorum ſterelitate exhauſta eſſent tum publica tum privata horrea, nec aliundè commeatus, ut ex Mantuano, & Ferrarienſi agro, poſſent ſuppetere, cum eadem Rubigalis contagio totam Ciſpadanam, ac Tranſpadanam Regionem pervaſiſſet.

VI. At non ſolùm Cereales opes abſumpſit hæc peſtis, ſed omne etiam ſubſidium, quod Pomifer Autumnus ſolet ſuggerere, eodem tempore ſuſtulit; ſolum enim acerbis adhuc fructibus paſſim reſperſum ſpectabatur, quin & Plantæ ipſæ honore frondium orbatæ mediâ æſtate viſebantur. Uvarum quoque proventus, qui ab initio aureus ſperabatur, ob eandem cauſam non niſi parciſſimus prævidebatur. Mœrore itaque cuncta plena erant, dum Agricolæ in aeris non tererent niſi leves culmos, ſtipulaſque volantes, quare ſine Cereris, & Bachi muneribus in omnium præcordiis frigebat ſanguis. Harum calamitatum cauſa potiſsima frigida, & pluvioſa Conſtitutio paſſim culpabatur, quoties enim in hiſce Regionibus Æſtas ſicca, & fervens præceſſit, numquam frumenti inopiâ laboratum eſt, ut apud nos Oraculi loco Virgilianum *Geo.* 1. illud coli poſſit,

Magnaque cum magno veniet tritura calore.

VII. Autumnus porrò Æſtatis vicem ſupplens ſummis fervoribus & obſtinatiſsimâ ſiccitate totam humiditatem quam Terra poſt tam ingentes pluvias ad ſatietatem hauſerat, abſumpſit, nec calor remiſit niſi circa

primam partem adventantis hyemis, quæ & ipsa leges suas nullatenus servans, verùm satis placida, & mitis decedenti Anno Vale dixit. Sic in hujus Anni 1693. Constitutione nulla ex illius partibus legitimam, ac propriam temperiem servavit, sed unâ alterius vices subeunte, omnes extemporaneæ fuerunt.

VIII. Sicuti autem prima pars hyemis, quæ præcedentem Annum clausit satis placida, ut modò dixi, extitit, ità pars altera quæ An. 1694. fores aperuit, asperrimâ, ac rigidissimâ facie apparuit, per totum enim ferè Januarii mensem flarunt Boreales Venti cum perpetuâ Cœli serenitate, ut squalidum, ac pulverulentum solum undequaque viseretur, non secùs ac æstivis mensibus, quod apud nos prorsus insolens est, sic totam hyemem serenam sine aquæ guttulâ è Cœlo deciduâ tradiximus; apparente autem Verno Æquinoctio Cœlum Votis communibus respondit largis imbribus effusis, qui usque ad Aprilis initium perdurarunt, quibus postea, flante Austro, ingens caliditas successit, ut die quintâ Aprilis in meo Thermometro liquor 70. gradum pertigerit, quò interdum neque Junio mense devenire consuevit. Reliquum porrò Veris, ac totam Æstatem cum pertinacissimâ siccitate, & immoderato calore transegimus, Autumno quoque eundem tenorem, quod siccitatem spectat, servante: quare Annum signare licuit præ cæteris valdè siccum, & squalidum, Colonis tamen non prorsus ingratum, cum frugum, & Vini proventum non improbandum suppeditarit.

IX. Fusiùs forsan quàm res ipsa videatur exigere horùm trium Annorum Constitutiones me prosecutum fuisse putabit aliquis, cum in cujuscumque; Anni Constitutionibus singillatim nihil eorum, quæ ad rem medicam spectant, & quod meum institutum est, attigerim, quasi πάρεργον ἔργῳ præmiserim; verum id consultò egisse me fateor, siquidem, cum ex superiùs memoratis pateat quàm dissimilis, & discolor fuerit harum trium Constitutionum facies, & aliâ ex parte cum eadem prorsus Epidemia per totum hoc tempus, plus minus, grassata fuerit, satis liquere potest quàm parum firmo talo stet illorum Opinio qui ex manifestis Aeris Qualitatibus, Caloris scilicet, Frigoris &c. putant satis explicari posse Epidemicorum Affectuum genesim, ac indolem, ut etiam ex prægressis Constitutionibus prænuntiari possint ægritudines, quæ populariter vagari debeant.

X. Egit id equidem Divinus Præceptor, ut ex Sectione tertiâ Aphorismorum, *Aph.* 11. & libro de Aere, Aq. & Locis satis liquet, nam ex prægressâ Hyeme siccâ, & Aquilonia, & Vere pluvioso, & Australi pronunciavit *necessum esse*, ut Æstate acutæ febres fierent, lippitudines, & Intestinorum difficultates; sicuti ex hyeme Australi pluviosè (& serena) Vere autem sicco, & Aquilonio, Mulieres gravidas abortivos fœtus edituras, cæteros verò Mortales difficultatibus Intestinorum, & siccis lippitudinibus obnoxios fore: Verùm Galenus, 3. *de diff. Resp.* c. 1. licèt Hippocraticæ doctrinæ ità, addictus ut Hippocratis libris etiam spuriis usurum se scripserit, asserere non est veri-

veritus in citati Aphorismi commento Hippocratem usum potius fuisse rationali methodo quàm observatione, & experientiâ. Huic Galeni interpretationi nullatenus assentiens doctissimus Mercurialis ait nil tale de Sapientissimo Viro, qualis fuit Hippocrates, credendum, qui non tam audacter pronunciasset *necessum esse*, ut positâ tali Constitutione temporum tales ægritudines emergere debeant, nisi ratione, & multiplici experientiâ fuisset abundè instructus. Celeberrimus Lucas Tozzius in nuperis suis Commentariis in Hippocratis Aphorismos asserit observationibus potiùs, & iteratis experimentis quàm confictis argumentis, Hippocratem ità pronunciasse, nullâ ratione apparente quæ suadeat isthæc eventura; ingenuè enim fatetur Vir egregius sibi observatum quòd post hybernam tempestatem siccam, & Ver pluviosum subsequutæ non fuerint acutæ ægritudines.

XI. Quot porrò disceptationes inter ipsos Medicinæ Proceres pro genuinâ Apho. 13. tertiæ sect. *Si verò hyems Australina, & pluviosa, & serena fuerit &c.* (cum tot sint interpretationes quot interpretes) jam satis constat: Manardus enim *l.* 9. *Ep.* 1. vocem illam εὐδία volebat expungendam, tamquam supposititiam cum intelligi nequeat quomodò vox illas εὐδία, quæ Serenitatem ex illius interpretatione significat, aliis cohæreat quæ hyemem pluviosam, & Australem repræsentant; Leonicenus verò in omnibus antiquis Codicibus vocem illam reperiri ait, ac pro placiditate, & clementiâ interpretatur. Hinc inter illos celeberrimos Viros pro simplici voculâ talia orta sunt dissidia, adeò ut, referente Brasavolâ in citati Aphorismi commento, *Seniores illi alioqui reverendi apud multos pro re tam levi præliantes in derisum venerint, cum à rationibus ad jurgia devenerint.*

XII. Abundet quisquis in suo sensu ut lubet, & ex Anni temporum in manifestis qualitatibus exorbitantiis tamquam ex fonte morbosas Constitutiones derivet, ego sanè ex quo ad Epidemicorum Affectuum naturam contemplandam animum adverti, his quæ tam confidenter, & magnificè proferuntur experientiam respondere non video, & quod me angit, in hac Provinciâ quotannis Hospitem me agnosco; licet enim videam quò passim itur, non satis tamen video quà sit eundum nisi postquam à viâ longè aberraverim. Profectò si rem accuratiùs perpendamus, quilibet Annus semper Affectus aliquos secum infert, qui τὸν ἐπιδήμιον sapiunt, nec tales putantur, quia aliquandò leves sunt, licet propterea epidemicam naturam non exuant; demiror autem non parùm, quomodò insurgente aliquâ populari tempestate Medentum plerique nullatenus Affectus ingenium perpendentes, nec quâ methodo Natura ipsum sponte expugnet, illicò totis viribus, & vulgari Methodo ob analogiam quam habeat ad congenerem morbum, ad illius oppugnationem insurgant, & remediorum multitudine indiscretâ, & frequenti visitatione muneri suo satisfactum existiment. Mundus autem, qui vult decipi intempestivam hujusmodi sollicitudinem magis commendat, quàm prudentem cunctatio-

nem, magnisque muneribus, & encomiis eos cumulat, qui, ut ait. Sidoniùs *parùm docti, satis seduli, multos ægros officiosissimè occidunt.*

XIII. Affectus ergo Epidemicus, qui tribus hisce Annis in suis Constitutionibus inter se tam dissimilibus cùm Urbem, tum Villas, & vicina Oppida multis funeribus incestavit, fuit Febris Purpurata, seu Petechialis, ut appellant, quæ aliquandò quidem post multam stragem editam visa est velle receptui canere, sed postmodùm auctis veluti viribus violentior irruebat, ac populariter grassabatur. Circa Æquinoctium Vernale Anni 1692; hæc Febris primò caput extulit, ac sub initium levi quadam velitatione discurrens, mox per totum Veris tempus, & partem Æstatis usque ad Canis exortum sub peticulari larvâ sævitiem suam exercuit. Vbi ergo Æstas incanduit, Febris hæc Purpuram deposuit, nec illam resumpsit donec calor æstivus cœperit remittere, circà nimirum Arcturi exortum, quem morem Annis quoque sequentibus ritè servavit, vestem quidem, sed mores, ac genium haud quaquam mutans, Febres enim quæ in summo æstu sine Peticulis visebantur haud secus malignæ erant indolis, quam Vibices post mortem apparentes satis demonstrabant.

XIV. Observatione verò dignum fuit quòd post plenilunium, ac multò magis silente Lunâ ferociebat hæc Febris, quæ postea ad novum ejusdem lumen mitescebat, nec mea tantum, sed aliorum quoque Professorum constans fuit Observatio, quod non parùm contulit ad hujus Febris Prognosim, & Curationem; num verò super Epidemicos Affectus peculiare jus aliquod habeat Lunare Sydus, ut illius mutationibus, & variis phasibus auscultent, non indignum est observatione.

XV. Admirandum certè fuit id quod die 21. Jan. 1693. contigit; facta enim per noctem Lunari Eclypsi major pars ægrotantium obiit, ac eâdem penè horâ, quâ nimirum Luna laborabat; quin & nonnulli repentinâ morte occubuere, unde per totam sequentem diem magno strepitu, ut hic vetus consuetudo obtinuit, personantibus Campanis, non levis horror omnes perculit. Tunc mecum ipse novitatem hanc perpendens admirari cœpi quomodò Hippocrates tam diligens rerum omnium ac præsertim cœlestium Observator, quin in libro de Aere, Aqu. & Loc. *num.* 30, periculosissima ambo Solstitia pronunciavit, maximè verò æstivum, sicuti & utrunque Æquinoctium, edicto veluti cavens ne hujusmodi temporibus medicamenta exhibeamus, neque curemus, neque secemus, sicuti Astrorum ortus, & occasus, ut Canis, Plejadum, Arcturi observandos esse præcepit, ut ex pluribus locis illius Operum *De Med. Purg. num.* 5. 1. *in* 6. *Epid. de Diæt. num.* 2. 4. *Epid. num.* 11. videre est, & Cometis à se observati mentionem facit, quem subsecutus est Terræmotus, Luminarium porrò defectus alto silentio transegerit. Quin & Practici ferè omnes Solis, vel Lunæ defectus non plutis faciunt, quàm eorundem Syderum oppositiones, & ordinarias coitiones. Unus, quòd sciam, Gulielmus Ballonius lib. pri-

primo suorum Epidemiorum insignem casum refert; ait enim Parisiis accidisse, quòd dum plures Medici apud illustrem Mulierem ægrotantem consulturi simul convenissent, ac tunc temporis Solis defectus contigisset, illique ad contemplandum Solis defectum in Vase aquâ pleno, ut solet fieri, sublimiorem Ædium partem conscendissent, illicò ad ægram decumbentem revocati fuerint, quæ dum Solis defectus perduravit animam agere visa est, neque è gravi periculo evasit, nisi post quam Sol in apertum erupit, claràque in luce refulsit.

XVI. Alterationem in Aere oppidò insignem in Solis defectu observare mihi licuit Anno 1694. die 27. Junii, ut in Ephemeridibus meis Barometricis eodem Anno editis annotavi; nam in ipso Solaris Eclypsis tempore Mercurius ad duas lineas in meo Barometro se extulit, hoc est Aer temporis ferè momento gravior est redditus, ac idoneus propterea ad subitas in Microcosmo alterationes producendas; quare si ex Divini Præceptoris sententiâ ad Æquinoctia, & Solstitia advertere oportet, ne quid magnum in illis circa ægros moliamur, non incongruum quoque erit, si Medentes Clinici ad Luminarium defectus, oculos non solùm, sed mentis aciem intendant. Nollem tamen quis crederet velle me quòd rerum agendarum scopi ex corporum Cœlestium vario situ, & configuratione desumi debeant, nam ubi morbi sævities urget, Lotium potius quàm Astra contemplari necessum est, ut ajebat Manardus, & opportuna remedia vel reclamente Cœlo, sunt adhibenda, quandò *omnis dilatio est Animæ periculum*; in morbis tamen popularibus, qui non ratò à causis superioribus natales suos deducunt; & in quorum curatione non tam facilis, ac certa methodus habetur, non prorsus alienum est talia respicere, nam ubi agitur de humano corio, *Nihil temerè, nihil negligere*, ex Divini Præceptoris 2. *in* 6. *Epid.* Oraculo.

XVII. Verùm è diverticulis in viam; Symptomata quæ Febrem hanc malignam comitabantur, antequam Peticulæ apparerent, erant ingens totius Dorsi lassitudo, Capitis dolor, Aurium surditas, Faucium ardor, Mentis stupiditas, Præcordiorum anxietas, & totius corporis segnities; Dorsi verò; & regionis lumbaris lassitudo adeò certum erat Febris peticularis signum, ut ratò falleret: quin sub initium hujus pravæ Constitutionis, antequam Febres istæ palàm grassarentur, Mulieres quæ ad morborum Symptomata aliquandò attentiores sunt quàm Medentes ipsi, ex hujusmodi suorum ægrorum querelâ Febris naturam prænunciabant, & Medicos monebant, cauto opus esse, nec temerè celebrandam phlebotomiam, quarum dictis, ac præsagitionibus cum per sæpe Medentes non auscultarent, apparentibus posteà maculis, multa probra ab iisdem cum Artis dedecore perferre cogebantur. Si verò faucium ardor cum genarum rubore accessisset hostem detectum clamabant, nec amplius hesitandum de febris naturâ, jam in faucibus prodentibus se Peticulis. Profectò in hac malignarum

rum Febrium pertinaci Constitutione quæ per triennium sæviit, Medicis non minus cum Mulierculis, quàm cum Febre luctandum fuit, adeò ut (quod fateri non pudet) necesse fuerit, sicuti inferiùs exponam, illarum consiliis, & monitis morem gerere, non tam ad illarum importunitatem declinandam, quàm quòd re vera Experientiæ rerum magistræ esset obsecundandum.

XVIII. Pulsus parvi erant, & valdè compressi, unà cum magnâ virium prostratione primis etiam diebus quæ morbo augescente languidiores fiebant, adeò ut ægrotantes veluti Statuæ in Lectulis decumbentes jacerent, integro ferè carnium, & totius corporis habitu, quodque admiratione dignum fuit, quotquot hujus Febris violentiæ succumbebant, pleni, ac succulenti veluti pingues Mortis Victimæ Libitinariis tradebantur; fortiores autem, ac robustiores cùm Fœminas, tum Viros adortæ sunt hæ Febres, non ità verò Seniores, nec eos qui vitam degebant valetudinariam. Urinæ verò vel in ipso hujus Febris principio perturbatæ, plus minùs, apparebant, prout major, vel minor morbi esset sævities, nec nisi in fine morbi in iis qui evasere ad naturalem statum redibant

XIX. Peticlæ verò, ut plurimum quartâ die, & septimâ erumpebant, & ii quibus primis diebus apparuere, omnes ferè sublati sunt, primùm autem in Collo, Dorso, & Pectore visendas se præbebant; observatumque neminem evasisse, nisi tandem ad extremos pedum ungues maculæ illæ se expandissent, in superioribus partibus paulatim evanescendo, quibus autem Pectoris, & Dorsi fines non transilierunt Peticulæ, mortem obtigisse: variæ autem, ac diversicolores erant, prout varii, ac diversi erant ægrotantium habitus; aliæ erant rubræ, aliæ pallidæ, aliæ fusci coloris, aliæ parvæ, aliæ latæ, aliæ in summo, aliæ in profundo, & quas nonnisi oculis transversa tuentibus liceret inspicere, quod genus Petilarum fuit valdè ominosum.

XX. Faucium inflammationem comitem hæ Febres ut plurimùm sibi junxere, quæ inflammatio in Morbi vigore in crustam albam, & ulcerosam degenerebat, quod non minus negotium Medicis faciessebat, quàm Febris ipsa, cum ægri ob id omnem cùm cibum, tum medicamentum aversarentur, & multi, qui cæteroquin pacatâ aliorum Symptomatum tempestate evasuri credebantur, in ipso veluti Portu naufragium perpessi fuerint. Sitis porrò in his Febribus non adeò ingens erat, ut in aliis acutis Febribus assolet, nec multæ querelæ exaudiebantur, sivè non sitirent, sivè mens obcurè ægrotaret.

XXI. Quicunque ex hac febrili incursione Fati ope, vel Medici evasere, nulli excretioni vel per sudorem, vel per Urinam, vel alias vias, per quas Natura crises suas moliri solet, salutem acceptam referre poterant, sed solùm Peticularum suo loco, & tempore apparitioni, & earundem per totum corpus expansioni, lentæque evanescentiæ, salutis beneficium debebant: quin iis quibus alvi fluxus supervenere funestum fuit; Alvi fluxus autem Anno præcipuè 1693. hisce Febribus Peticularibus per Autum-

cumanum supervenere; quo tempore Dysenteriæ graves Hebræos potissimùm exercuerunt; culpabantur Fructus horæi, quibus Gens Recutita nunquam satis impletur, sed aliæ causæ altiores subesse poterant.

XXII. Satis frequens fuit in his Febribus Singultus, quamvis parvæ Febres viderentur, Symptoma quidem non minùs molestum, quàm ferale, & funestum; quotquot enim in hac febre Singultuosi comperti sunt, omnes in Libitinæ censum devenere. Vix obtinui, ut Singultuosi Cadaver dissecaretur, aç Ventriculus nigris notis sparsim compunctus repertus est. Verminatio quoque multa passim extitit, & ii quibus ab inititio Vermes per Os prodiere, omnes ferè extincti sunt.

XXIII. Nonnullis supressa est Urina, vacuâ prorsus existente Vesicâ, præcipuè verò id observatum in iis quibus pulsus erant parvi, ac penè obliterati, ut contigit in Juvene quodam Hebræo, qui cum asphyxiâ, ac totus gelidus vixit ad quatuor dies, nec Urinæ quicquam reddidit; antequam autem infelix iste obiret, quamvis toto corpore perfrigefactus [nullibi Arteriis micantibus) adeò robustus erat, & ad motum expeditus, ut etiam ipsâ die, qua è vivorum statione decessit, à lectulo surrexerit, & suas Vestes induerit.

XXIV. Non pauci post exantlatum Morbum veternosi fiebant, ac stupidi, rerumque peractarum prorsùs immemores, nec nisi post multos dies sibi reddebantur; idem infortunium iis obtigit qui in his Febribus gravem surditatem perpessi fuerant. Mercator quidam cum ex Peticulari Febre præter omnium opinionem convaluisset, surdus omninò ad 40. dies perstitit, ac postmodùm paulatim ex asse restitutus est.

XXV. Frequentiora in Urbe quàm in proximis Agris fuere funera, ac feliciùs plebs Ruralis sine ullo ut plurimùm remedii genere vim morbi eludebat, sivè quòd in Aere salubri degerent, sivè quòd Medicis carerent; non semel idcircò mentem subiit Virgilianum illud, *l. 2. Geo.*

O' fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas.

Ac utinam Medentes, cum aliquis popularis morbus debacchatur, curiosiùs scrutarentur à rusticana gente, quæ magis fidit Parocho, quàm Medico, quali methodo Natura usa fuerit in sanandis morbis eorum qui evaserint; sic enim Naturam tanquam optimum Ducem sequentes, minùs à recto tramite aberrarent, ac tutiori methodo ad curandos ægros sibi commissos procederent. Cum autèm in his casibus sibi quisque pro ingenii suo modulo Regulam confingat, secundum quam Opus suum moliatur, & in communi morbo tot, ac tam diversa remediorum genera in usum revocentur, meritò cùm Celso *l. 7. in Proem.* cum quis convaluit, *dubitare potest secunda Valetudo Medicinæ, an corporis beneficio contigerit.* Indubium tamen est, quòd in communi morbo, sicuti communis est causa, ità communia, & eadem ferè deberent esse præsidia. Quotquot autem ex Viris Agrestibus, quos è Peticulari Febre evasisse novi, & interrogare potui, non alio modo convaluisse referebant, quàm maculam

larum circà septimam diem per totum corpus, & usque ad extremos artus expansione, & earundem lentâ evanescentiâ sine ullâ sensibili humorum excretione.

XXVI. Quo tempore in hac Urbe, & in totâ campestri regione quæ circumjacet, ferociebat hæc Febris, in vicinis Collibus, ut in Saxolensi, & Scandianensi ditione, nulli ferè ægrotantes visebantur, neque eò pervasit maculosa hæc Febris, quæ tantùm in editioribus locis, & in ipsis Appennini jugis (veluti saltu quodam exiliens) vim suam pariter ac in nostrâ planitie exercuit.

XXVII. Sanguis porrò qui sectâ Venâ, vel Cucurbitulis sacrificatis, sivè Venis sedalibus apertis, educebatur in universum satis laudabiles notas præferabat, quantum oculorum acie licebat assequi, satis enim floridus, ac rubicundus apparebat, multoque magis qui à Naturâ per narium hæmorrhagiam profundebatur, neque in ullo ægrotante cujuscunque temperamenti sanguinem extractum videre datum est, qui glutinis speciem aliquod præferret.

XXVIII. Profectò mihi fateri necesse est in hac Peticularium Febrium Constitutione, adeò improsperè Venæ sectionem cessisse, ut omnes ægri exhorrescerent quotiès sanguinis missio per Venæ Sectionem proponeretur, eam verò fuisse popularem confidentiam in usu Cucurbitularum scarificatarum, ut ægros interdùm decipere oportuerit, quotiès urgeret necessitas sanguinem ex Vasis majoribus ob plethoricam dispositionem educendi, sinendo ut ægris Cucurbitulæ Dorso, & Scapulis applicarentur modicum sanguinem extrahendo, deindè paucas post horas sanguine ex Venâ largiori manu educto; Ea enim hæserat opinio, nec solùm apud Vulgus imperitum, sed etiam apud Sapientiores, quòd ubi præmissæ fuissent Cucurbitulæ scarificatæ, nullus amplius esset timor de Peticularum retrocessione, quamvis post modùm non semel ex Venâ mitteretur sanguis; sic curiosum erat Chirurgos passim videre cum Sacculis Cucurbitularum plenis per Urbem cursitantes; dum inconsultis Medicis Plebeculæ hoc remedii genus administrarent. Suspectam itaque, ne dicam infamem, ut Scopulos Acroceraunia, Venæ sectionem in hisce Febribus fuisse fateri lubet, sicuti ex adverso gloriosam Cucurbitularum tum scarificatarum, tum siccarum appositionem, sivè id fieret ob confirmatam in omnium animis opinionem de hujus remedii efficaciâ, sivè quòd re vera in illo aliquid abditum esset quod Medicos lateret.

XXIX. Reliqua porrò remedia quibus hujus Febris oppugnatio tentabatur eò collimabant, ut humorum motum ad Corporis ambitum promoverent, qualia sunt quæ Sale volatili abundant; sic nullum non ex Diaphoreticis in usum revocatum, nihilò feliciùs tamen prodibant maculæ, ni forsan hoc pacto, Oleum Camino addendo, ut dici solet, febrilis incandescentia augebatur [quæ sibi relicta humorum fugam maturasset] & distrahebatur Natura, quæ non tam properè depingebat in cute quòd intus moliebatur. Ego meherclè parùm profici observans, per Alcha-

Alchalica ad Acida confugi, monente Hippocrate, *De loc. in homnum.* 20. quòd *si quis non profuerit ad contraria se convertat*, nec improsperum succesſum ex illorum usu adverti, sufflaminato aliquantisper humorum Orgasmo. Non ausim tamen asserere, vi hujus, vel illius remedii evasisse, vel periisse quemquam, cum Andabatarum ritu necesse fuerit cum hac Febre dimicare, neque magis felices in suis Curationibus fuisse Medicos Seniores, & longo usu expertos, quàm Juniores, ac è Scholis nuper egressos, cum in tenebris tam videant Cœci, quàm Oculati.

XXX. Ad sollicitandam Peticularum eruptionem passim frictiones humidæ ex Unctione Aetii ex usu erant, sicuti & Vesicantia Brachiis, & Cruribus appositа; sed hæc magis Medicorum existimationi apud Vulgus, ne quid inausum, aut intentatum fuisset, conducere visa sunt, quàm ægrotantium saluti, quibus acuebatur Febris, nec propterea facilior contingebat Peticularum eruptio, nisi forsan ob id retardabantur, factâ serosæ materiæ per vias Urinæ profusione. Sic in hac febrili incursione omnibus remediis tum internis, tum externis parùm proficientibus satius erat lentè festinare, & humorum matureſcentiam opperiri, spretis querelis adstantium, qui urgebant, velis, & remis, ut dici solet, ingruenti tempestati occurrendum & prolatando magnas corrumpi opportunitates, quibus adversis clamoribus Medentes non ausi obsistere, intempestiva, & incerta remedia præscribendo, sibi è manibus victoriam eripi viderunt, non secùs ac Pompeius M. qui cum tergiversando hostem commeatuum inopiâ laborantem facilè vinci posse cognosceret, militibus tamen, & sociis moram increpantibus, prælium miserabili eventu commisit, oblitus solitum *se laudare eos Medicos, qui nihil unquam ægroti cupiditatibus quicquam indulsissent.*

XXXI. Cum primùm grassari cœpit Peticularis hæc Febris, nec dum suspicio esset de populari Affectu (Febribus diversæ indolis intercurrentibus) purgationes, ut hic fieri assolet, in morborum principio, per medicamenta Minorativa dicta instituebantur, sed paulò post prodentibus se Peticulis, sudabant Medico tacitâ præcordia culpâ, ob metum ne hujusmodi purgatio Exanthematum eruptioni impedimento foret, humoribus ad interna retractis, Peticulis tamen postmodùm feliciter erumpentibus, & stadium suum absolventibus, Professores qui attentiùs res observabant, experientiâ edocti à blandâ purgatione non abhorrebant; Ego sanè ubi tempestivè accersitus fui, & Stomachum impuritatibus oneratum esse conjectavi, quamvis certus de Peticulari Febre, levem purgationem præscripsi, neque non solum ullam noxam exinde proficisci, sed faciliùs Exanthemata apparere observavi. Similem casum refert Ballonius, qui *l.* 1. *& 2. Epid.* ingenuè fatetur, in Febribus, quas de genere Peticularium non putarat, Medicamentum purgans, & Venæsectionem præscripsisse, & innocuum utrumque remedium reperisse. Id est quod monebat Di-

vinus Præceptor, *l.* 1. *de Morb. num.* 1. *&* 7. obſervandum eſſe *quæ bona per fortuitum ſucceſſum Medici ægrotos curantes faciunt.*

XXXII. Ad oppugnandam verò tam infenſi hoſtis pervicaciam in ſubſidium quoque accitus eſt Peruvianus Cortex, qui cæteris remediis ſuccenturiaret; præcipuus autem illius uſus fuit in iis qui evaſerant ex morbo non benè, ut par fuiſſet, judicato per debitam ſuo loco, & tempore peticularum eruptionem, & evaneſcentiam, iis enim diuturnis Febribus vexatis Febrifugum iſtud exhibebatur, cujus uſus non multum contulit ægris ſubinde in ſtupiditatem, & ſoporem delapſis.

XXXIII. Dyſenteriis porrò, quas Anno 1693. per Autumnum Peticulari Febri ſuperveniſſe ſuperiùs dixi, egregiè contuliſſe Opiatorum uſum obſervavi; nec forſan ulla eſt Affectio in quâ ſecuriùs, & liberaliori doſi exhiberi poſſit hoc remedii genus quàm in hujuſmodi morbo, fractis licet, ac penè attritis viribus. Cuidam acerrimâ Dyſenteriâ laboranti pluries exhibui Laudanum Opiatum ad 3. & 4. grana, ſed parvo levamine; vixerat hic ad plures dies omninò gelidus, ac ſine pulſu, vires tamen non erant adeò languidæ, ut huc, & illuc ſe jactare non poſſet; verebar ne largiori doſi exhibitum Laudanum, reliquum flammæ Vitalis quæ ſupererat, reſtingueret; Laudanum rurſus ad grana 5. exhibui, ex quo æger placidè dormivit, & excalefactus eſt, quod non tam doloris, qui Dyſenterias commitatur, ſedatione factum crediderim, quàm propter virtutem Opii Diaphoreticam. Cum ſatis obvium eſſet in hac Conſtitutione (ac præſertim graſſantibus Dyſenteriis, & Verminosâ Affectione) hujuſmodi in toto Corpore perfrigerationem, unà cum Pulſus abolitione, obſervare, non ſemel ſubiit admiratio quarè in Ventriculi, & Inteſtinorum Affectibus, tam frequens ſi talis perfrigeratio, ac Pulſus obſcuratio, non ità verò in morbis Pectoris ut in Pleuritide, cum tamen hæ partes, & ipſæ membranoſæ ſint, & Cordi proximiores, ni forſan id fiat quòd numeroſior nervorum ſoboles in Inteſtinis, & Ventriculo implantetur quàm in Pleurâ, & Pulmonum membranâ, & ob doloris ſenſum acutiorem, tracto in conſenſum Cerebro, Spirituum Animalium ad Cor influxus intercipiatur, unde poſteà ſilente Pulſu totum Corpus perfrigeretur.

XXXIV. Talis fuit hujus Purpuratæ Febris Indoles, ac talia Symptomata, quæ multam habent convenientiam cum iis, quæ apud Fracaſtorium *De morb. Contag. l.* 2. *c.* 6. leguntur deſcripta, qui Auctor caput particulare inſtituens de Lenticulari Febre, quæ Anno 1528. in Italiâ primùm graſſata eſt, mentionem expreſſam habet de laſſitudine, & fractione, ut ipſe ait, in toto corpore, ſenſuum hebetudine, oculorum rubore, pulſu humili, Urinæ ſuppreſſione (quod peſſimum ſignum fuiſſe ait) macularum circà quartam, & ſeptimam eruptione, ſiti pancâ, ac ferè nullâ; hocque præcipuè annotat, Senes paucisſimos Febre hac laboraſſe, ſed Pueros multos, ac Juvenes robuſtos. Mihi ſanè dum caput

illud

illud perlegerem non parvæ admirationi fuit, quòd Febris Lenticularis à Fracastorio descriptæ, & Petechialis nostræ (ut communi utar vocabulo) tam similis fuerit facies, ac ingenium, ut hanc esse veluti sobolem alterius, vel priorem illam redivivam caput extulisse arbitrari quodammodò liceat. Advertens tamen Febrem illam easdem penè Regiones, & Populos eodem ferè victu utentes infestasse, multaque alia perpendens, quæ refert Vir ille doctissimus, circà illius Febris causas, ut Padi, & Atheſis inundationes, fructus, & olera à rubigine exusta, mirari desii; si enim major diligentia in conscribendis Morborum Annalibus à Medicis adhiberetur, iisdem temporum vicissitudinibus recurrentibus, eosdem penè morbos recurrere, & Naturam eundem morem in illis abigendis servare facili negotio observaremus; nam sicut in Politicis, ut ait Tacitus, *potiùs alii homines, quàm alii mores*, ità in re medica potiùs aliud hominum, quàm aliud morborum genus.

XXXV. Sicuti autem magnæ tunc temporis fuerunt inter Medicos Disceptationes circà causas illius Febris, & rectum curationis modum, ut penè ludibrio haberentur, veluti ipse Fracastorius refert, cum non solùm circà præsidia Chirurgica, & Pharmaceutica administranda, sed etiam circà victus regimen dissiderent, ut apud eundem Auctorem, non sine risu primò, sed postea non sine commiseratione legi potest; sic pariter inter Nostrates Professores non minores fuerunt controversiæ, publicis ob id disputationibus habitis, & quòd magis dolendum est inter celebertimos nostri ævi Scriptores magnæ sunt dissensiones circà Febris Purpuratæ causam, & genuinum curationis modum, ex quo satis constat quàm parùm post tot glorioſa Inventa à Fracastorii ævo usque ad nostra tempora Ars Medica profecerit, cum nondum quicquam certi constet de Malignarum causis, & illarum rationali curatione.

XXXVI. Verùm his omissis, quæ Medicæ Artis infirmitatem satis in propatulo ponunt, experiamur num detur conjectare saltem, si non statuere, quæ fuerint hujus Febris germanæ Causæ, & qualis esset in febrientium Corporibus sanguinis, & aliorum liquidorum status, & conditio, quod ex habitis observationibus, & morborum eventu elici posse arbitror, quidquid Poeta dixerit, successus improsperos iis ominando, qui ab eventu facta notanda putant. Etenim cum in re Medicâ à juvantibus, & nocentibus securius quàm aliundè potiores petantur Indicationes, Eventum & Experientiam, tanquam Optimos Duces, sequi oportet, siquidem illorum vestigiis inhærendo, tutiori, & compendioſiori viâ Veritatem attingimus.

Quid norunt homines, nisi
quantum lumina possunt
Tendere?

XXXVII. Cum ergo isthæc Maligna Febris promiscuè cujuscumque sortis homines adorta fuerit, tam egenos, quàm divites, otioſos pariter, ac negotioſos, & in omnibus idem penè Dramma luserit, communem fuisse illius causam, procul dubio statuendum est, eamque ex aliqua ex sex rebus non naturalibus licet

deducere. Alimenta quæ Terra ſuggerit, ut Cereales fruges, Olera, Plantarum fructus, Carnes Animalium (cum ex Herbis, & Terræ fructibus alantur) à rubiginoſa lue vitiari potuiſſe, & hoc pacto in maſſam ſanguineam pravos ſuccos invehere, ut exindè malignis Febribus primus fomes ſuccreverit, non prorſus à ratione alienum videtur; at cum in Conſtitutione An 1690., undè labor hic meus Exordium ſumpſit, ſæviſſima Rubigo fruges omnes, & fructus peſtifero afflatu abſumpſerit, neque per totum Annum illum, ne unam quidem malignam Febrem, ſivè Peticularem, ſivè ſine Peticulis, mihi ſaltem, obſervare licuerit, ſed tantum Ruralis Epidemia Tertianarum Febrium Intermittentium per totam Eſtenſem Ditionem, & proximas Regiones oberrarit, ac talis, ut nullus ex Ruricolis penè fuerit qui Tertianæ Febri Intermittenti non litarit, ego non ſatis video quomodò corrupta Alimenta à rubigali peſte pro potiſſimâ cauſâ culpari debeant; neque pariter caritatem Annonæ, quæ ad multos Annos Regiones iſtas exerceret, incuſare licet; quamvis enim ex Hippocrate 4. *in* 2. *Epid.* in Anno ob eſum leguminum Crura, & Genua multis vitiata fuerint, penes nos tamen tam qui pane optimo, quàm qui confuſaneo veſcebantur eàdem peticulari Febre cum iiſdem Symptomatibus premebantur.

XXXVIII. Multò minùs Aquas (quarum uſus tam neceſſarius eſt ad hominum Vitam ſuſtentandam) cauſari licet: quamvis enim aliquandò Aquæ corruptæ, & vitiatæ populares morbos invexerint, hoc tamen de Aquis noſtris ſuſpiciari nequaquam licet; Regiones enim iſtæ Aquis ſalubribus abundant, ac præſertim Urbs iſta, quæ Divino munere non aliis dato, Fontes habet, qui putiſſimam aquam, non temporariam, ſed perennem æquo ſemper tenore profundunt, ut in Tractatu meo de admirandâ Fontium Mutinenſium Scaturigine ſatis expoſui.

XXXIX. Cum ergo inter ſex res non naturales nullam aliam communiorem cauſam reperire ſit præter Aerem, quo nihil communiùs, & æquè neceſſarium (cum unum, & eundem locum incolentibus diverſa eſſe poſſint Ciborum, & potionum genera) Aer verò ejuſdem ferè ſit naturæ, ad occultam aliquam Aeris labem, & inquinamentum recurrendum eſt, quòd in maſſam ſanguineam tales invexerit diſpoſitiones, ut ad excitandam hanc malignam Febrem ſatis virium habuerint. Quænam verò, & quales eſſent hujuſmodi Aeris diſpoſitiones non adeò obvium eſt exponere; profectò in ſolas Qualitates elementares pravam illius diateſim referre non adeò tantum eſt, nec animus Veritatis avidus tàm facilè acquieſcit, multòque minùs cum per totum hoc triennium, ut ſuperiùs annotavi, tam diſſimiles fuerint cujusque Anni Conſtitutiones, ac nihilò ſeciùs Purpurata Febris eodem ferè tenore tyrannidem ſuam exercuerit. Pro re indubiâ tamen habendum, Aerem hunc quem inſpiramus, ac totam Atmoſphæram varias, ac diverſi generis particulas, tum ex ſuperioribus, tum inferioribus Corporibus in ſinum ſuum ſuſcipere, Cœlum nempè, ſeu Aſtra,

ut Solem, Lunam, & reliqua Sydera, lumine suo potissimùm, quod inficiari non possumus, in Aere profundere, & ejaculari, ut ex Solarium macularum evanescentiâ licet conjicere, ac Globum Terraqueum eodem modo in ejusdem gremium omnigenas substantias eructare, non tam vi Solaris luminis quod illum plus minus modò in hac, modò in illa parte calefacit, quàm vi caloris centralis, & Ignium quos ipsa Terra intrâ sua Viscera recondit, ex quo conjicere est [quamvis oculorum acie id percipi nequeat] nihil esse in hac rerum Universitate quod sit magis hererogeneum, utpotè particeps terrestrium impuritatum, & cœlestium effluviorum, quàm Aereus Oceanus.

XL. Hinc ergò expiscari licet hujus nostræ Epidemiæ causam, ex Aere nimirùm ab heterogeneis, ac omnigenis particulis hinc inde, ac præcipuè ab Australi plagâ susceptis vitiato, cum hisce Annis Austrini flatus dominatum obtinuerint, silentibus ut plurimùm Borealibus Ventis, qui nubila detegerunt, & Aeris impuritates eò repellunt, unde decesserant, ad Australes scilicèt plagas, ex quibus omne malum ad nos profectum suspiciari fas est. Quòd verò in hac Tragœdiâ præcipui Actores fuerint Australes flatus hinc conjectare licet, quòd dum in hac Urbe, & in campestri regione grasseretur hæc Febris, Villæ, & Oppida ad Collium radices posita satis salubriter degerent, ac veluti in portu aliorum spectarent naufragium, utpotè ab Appennini jugis protecta ne ab Austrinis flatibus adeò infestarentur, non ità verò loca in sublimiori parte Appennini sita, sicut & Urbs nostra cum totâ planitie iisdem flatibus magis exposita.

XLI. Quàm malè autem apud nos, ac ferè ubique Auster audire soleat, nemo non novit, cum non solùm Medici, sed Populares quoque, tanquam morborum pestilentium Parentem Austrum deprædicent. Quid verò secum ad nos comportet Ventus iste, num gravis sit, ac noxius ob nimiam humiditatem, unde nomen sumpsit (Auster enim Νότος græcè dicitur) an quia Lybiæ deserta venenatis animalibus infecta transgrediens, ut putat Langius *l.* 1. *Ep.* 19. collectum virus ad nos deferat, non tam facile est decernere, id certum tamen, ac ipsis sensibus obvium, nihil magis, ac temporis penè momento Aeris statum immutare posse, quàm flantem Austrum, ut Aer ex ponderoso levior reddatur, ac ob id forsan nobis infensus, & vitalibus muniis minùs idoneus, veluti sat manifestis notis testatur Barometer, nam, ut in Ephemeridibus meis Barometricis hoc Anno 1694. editis annotavi, quoties ex Australi plagâ flant Venti, illicò Mercurius è sua sublimitate ad infimam usque stationem decidit, quâ minor in Barometro non observatur. Cur autem Austrina Constitutio Aerem leviorem efficiat, dum cuncta tunc temporis nimiâ humiditate diffluunt, quæsita quidem mihi est ratio, num verò reperta fuerit, ut verum fatear, mihi hæret aqua, ut dici consuevit.

XLII. Austrinam ergo Constitutionem Aerem vitiantem, magis quàm

quàm quodcumque aliud culpare licet, ità tamen ut à causis procatarcticis hujus peticularis Febris non excludam Alimenta à Rubigali lue vitiata, tanquam communem causam cuicunque hominum generi, illegitimas Anni temporum vicissitudines, ac intemperantias, pluviarum multitudines, verbo, complurium causarum Syndromem, unde humoralis massa à naturali sua temperie degenerans talem dispositionem nacta fuerit, ut hæc maligna Febris emerserit, quæ eò usque perdurarit, donec Aere in contrarium statum migrante, Sanguis, ac Spiritus crasim priori contrariam adsciverint.

XLIII. Qualis porrò grassante hac Febre fuerit Sanguinis, & aliorum liquidorum status, num ad fluorem, vel ad concretionem potius vergerent, mihi quidem non satis constare visum est. Reverâ, si tum recentiorum, tum antiquorum Medicorum Oracula consulamus, tam varia, ac disidentia inter se responsa pro statuenda genuinâ, ac verâ Febrium malignarum causâ referentur, ut quilibet ex librorum lectione animo potiùs distractus, quàm instructus abscedat. Hic mihi non vacat, nec multum refert, longâ nomenclaturâ nostri ævi Scriptores in binas Acies divisos, tanquam ex adverso dimicantes recensere, quorum alii proximam, & immeditatam malignitatis causam in sanguinis promptitudine, ob Acidi præpollentiam, & Gorgonios Spiritus, ut ajunt, ad concrescendum constituunt, alii in sanguine nimis dissoluto, & ad fluorem evecto ob Sal Volatile, & Alchali acerrimum illi permixtum, adeò ut in hoc bivio, in quam partem quis se dedat magnos habiturus sit Patronos, quibus causam suam tueatur si non ex voto res successerit. Sic in re tanti momenti qualis est maligni morbi cognitio, tam parum inter ipsos Medicinæ Antesignanos convenit, ut post tot glorioſa Anatomica, & Chymica Inventa adhuc nesciatur quid sit sentiendum, nec quà sit eundum.

XLIV. Despicatui tamen nequaquam duxerim notionem illam malignitatis, quam experimenta ex Medicinâ Infusoriâ desumpta nobis suggerunt; siquidem acidis liquoribus in Venas Animalium vivorum injectis, & iisdem Animalibus post mortem dissectis, sanguis in Venis, & in ipso Corde concretus, & grumefactus, sat manifestè conspicitur, sicuti liquoribus lixivialibus, & Alchalicis similiter infusis sanguis sine fibris, ac totus dissolutus observatur, adeò, ut ex hujusmodi observatione omnia Venena tam externa, quàm intus genita ad alterutram ex his Classibus satis commodè referri possint. Debebus hoc sanè Medicorum nostræ ætatis solertiæ, qui huiusmodi experimentis, & sensuum ministerio, lucem aliquam mentibus nostris affundunt, quomodo scilicet, & quibus spiculis armentur in nostris corporibus humores alibiles cum venenatam naturam accersunt, & malignas Febres accendunt, ut potis sint modò sanguinem coagulare, modò fundere, atque dissolvere, quod non parvi momenti est, ut in morbis malignis (acri judicio re prius pensitatâ) recta Curatio instituì possit, nec indiscriminatim Alexipharmaca exhibeantur. Alchalicis stimulis Equum currentem in-

interdum incitando, cum Acidorum fæno opus esset.

XLV. Quamvis autem Venenorum naturam, tum eorum quæ propinantur, seu ab Animalibus per morsum, vel alio modo inferuntur, tum illorum quæ in Corporibus nostris progigni solent, & malignos morbos excitant, revera feliciùs explicent recentiores Medici, quam priores qui ad publicum occultarum Qualitatum Asylum provocabant, ac meliori methodo credantur curari maligni morbi quàm olim, corrigendo nimirum per Acida enormitates ab Alchali productas, & per Alchalica quæ ab Acido ortum duxerint, id tamen antiquiores Medicos, non prorsus latuisse censendum est. Ab hisce duabus oppositis in sanguine dispositionibus, nimiâ scilicet laxitate, & adstrictione Morbos omnes deduci, opinio fuit Asclepiadis, ut pluribus in locis refert Galenus, 2. *de Elem.* c. 3. quod idem sensisse visus est Vegetius in Arte Veterinariâ l. 1 c. 28. pro medelâ sanguinis nimis adstricti Venæ sectionem commendans. Extat apud Hippocratem 7. *Epid. n.* 39. sat insignis historia, verè memoratu digna, ex quâ satis liquet, priscos illos in malignis morbis, non quæcumque Antidoti nomine insignita essent præscripsisse, ut etiamnum à nonnullis factitari video, qui ubi constiterit Febrem esse malignantis naturæ, Cœlum Terræ miscent, nullum non Alexipharmaci genus præscribendo. Malignâ Febre laboravit Nicoxenus, *lingua ardebat*; ait Hippocrates, *calor forinsecùs non valdè fortis, exolutio Corporis vehemens, vox fracta, ut operosùm esset exaudire, clara tamen, tempora collapsa, oculi cavi, pedes molles, ac tepidi, juxta splenem distensio, Urina clara, decubitus supinus, crura diducta, ac disparata ob exolutionem, penitus vigil.* Et quid non ut maligniſſimæ Febris Ideam quis concipiat? Superstes tamen evasit; at quonam remediorum apparatu, ac molimine Domitor ille Morborum Febrem hanc adeò mortiferam subegit? *Potus erat aqua de Farina crassa in ipsa macerata, sed, & de pomis simulque mali punici succus, & lentis torrefactæ, & farinæ lotura cocta.* Verba sunt Divini Senis; quibus autem remediis nostrâ hac ætate tentaretur hujusmodi Febris curatio novit Deus; certè timendum esset, ne id contingeret quod apud Plutarchum reprehendebat Erasistratus, ut scilicet ὁμοῦ μελαλλικὰ, καὶ ῥοδακινά, καὶ θηριακὰ, καὶ τὸ ἀποζῆς, καὶ θαλάττης ἐις τὸ αὐλὸ συγκεκραμένοις. At quæso Vallesii egregii Commentarios expositionem audiamus. *Animadvertendum*, ait ille, *aliquandò Febrem malignam cum Exanthematis pituitosam, aliquandò biliosam, aliquando etiam atrabilariam, & curationem ità variare; huic non tam crassorum, quàm acrium, & tenuium humorum fuisse redundantiam indicavit ustio, & pervigilium. Ob id contulerunt illæ potiones, quæ aliis fuissent adversissimæ; fuisset tamen huic adversissimum Theriaca, uti, aut decoctis, & herbis calidis, quamvis essent Alexipharmacæ, ut Dictami, & Scabiosæ, & Cardui benedicti, quod aliis talia solent esse usui.*

XLVI. Sicuti autem in determi-

nandâ Malignarum causâ in genere adeò inter se dissentientes sunt Medicinæ Proceres, sic multò minùs in explicanda Febris Peticularis Naturâ, & causis consentiunt; neque recentes ac nostrorum temporum tantummodò sunt Controversiæ; etenim An. 1528. grassante per Italiam Lenticulari Febre, ut Clarisl. Fracastorius *l. 2. de Contag. Morb. c. 6.* refert, tanta fuit pro hujus Febris curatione inter Medicos discordia ut penè ludibrio haberentur, cum ob ignoratam Febris Causam, & morem, neque in victu instituendo, neque in ullo remediorum genere administrando convenirent, adeò, ut eodem referente, inter has Controversias *magna Mortalium pars, & Nobilitas perierit.* Nostrâ hac ætate, tanquam in binas acies oppositas, Medicinæ Scriptores divisos observo Peticularis Febris naturam, vel per sanguinis coagulationem, vel per ejusdem dissolutionem exponentes. Celeberrimus VVillis, Simon Pauli, Auctores Zod. Med. Gallici, aiiiqne plausibili sanè ratiocinio putant in hujusmodi Febre naturalem Systasim Sanguinis in crassam, ac nimis lentam secedere ob Acidi prædominium, adeò ut, dum Sanguis in Orbem agitur, illius particulæ fixiores à Venarum extremitatibus haud ritè absorbeantur, & captivæ detentæ picturatam cutim efficiant. Etmullerus, Sylvius, Menjotius, aliique hujus Febris, naturam, & Peticularium generationem à fibris Sanguinis dissolutis è suâ statione dimotis, ob Sal acre, & volatile Sanguinem ac fusionem disponens deducunt, quo pacto similiter cruore ab arteriolarum osculis effuso illius partes tenuiores, tanquam transfugæ, à circulari motu exorbitant, ac sui erroris notas in cute designant.

XLVII. Ne verò in recensendis aliorum placitis ulteriùs immorer, arbitrari licet in hac Febre nostrâ Peticulari Cruoris massam ad fluorem potiùs quam ad concretionem pronam fuisse, cujus asserti præcipuam conjecturam stabilire licet super manifestas notas quas sanguis eductus præferebat, semper enim roseus ac purpureus, nihilque glutinosi præsens, mihi aliisque Professoribus apparuit, tam æstivo tempore quàm hyemali. Cum Sanguis ergo emissus toto Cœlo differret ab eo qui solet educi in quibusdam Morbis, ut Pleuritide, Peripneumoniâ, Erisipelate, aliisque Affectibus interdum Popularibus, in quibus sanguis colore, & lentore vitium suum prodit, mihi visum est, *Oculis magis quàm Opinioni credendum* [ut ipsius Hippocratis *1. de Diæta n. 5.* verbis utar] & accensionem quandam partium tenuiorum Sanguinis, & præcipuè seri è Vasis diffusionem, ex quâ tot symptomatum ennarratorum diritas ortum duceret. Talem autem Massæ Sanguineæ adfuisse dispositionem multa alia attestabantur, ut primò quidem quòd truculenta hæc Febris Juvenes habitiores, & succulentos corriperet, ut superiùs annotavimus, Valetudinarios verò, & Seniores præteriret, non secus ac *Præterit imbelles ira Leonis oves.* Seminium enim illud intus per inspiratum, vel quomodocunque ab Aere susceptum, & quod multum Alchalicæ acrimoniæ occuleret promptiùs dynamim suam exerebat in iis in quibus

quibus Sanguis opimus esset ac particulis spirituosis refertus, quàm in Valetudinariis, & Senibus quibus Sanguis est effœtus, ideoque aptior ad retundenda acuta spicula, quibus armatum erat malignum miasma, quæ forsan est ratio, cur Senes *Pestilentiam minimè sentiant*, ut scripsit Plinius, *l. 7. H. N. c. 50.* seu Pesti minùs sint obnoxii quàm Juvenes, de quo Zarotus in Martialem. Sicuti enim Vina generosa æstivo tempore faciliùs putrescunt quàm dilutiora (saltem in hac Urbe, quæ ob aquarum subterranearum copiam Hypogæis caret) cum Vina meraca, & generosa sub Aere æstuante ob copiosos spiritus quibus turgent facillimè in Zymosim corruptivam urgeantur, non ità verò Vina Olygophora ob partes aquosas quibus abundè scatent. Talem quoq; Sanguinis Diathesim testabantur Virium subita prostratio, Pulsus parvi, quæ duo satis constant, ac vigent in iis morbis, (ut in Affectibus Pectoris,) in quibus Sanguis per venam Sectam emissus manifestam præbet concrescentiam. Usus præterea Acidorum salubrior compertus quàm Alchalium, sicuti, & Vesicantium applicatio minùs prospera, ut quæ Sanguini ad fluorem prono stimulos adjicerent idem confirmare videbantur, quibus accenseri potera V. S. parùm salutaris, à quâ ægrotantes Cane pejus, & Angue abhorrebant.

XLVIII. Nec mirum improsperè cessisse Venæ Sectionem perstite hujus modi humorum dispositione, quod ut plurimùm in Epidemicis, & Pestilentibus Constitutionibus evenit in quibus Phlebotomia non admodùm benè audit, cum perrarò contingat ut ejusmodi temporibus ad fixitatem humores vergant, ni potiùs ad liquationem tendant ob aereum Venenum satis tenue, partibus Sanguinis spirituosioribus nimis hostile. Eandem ob causam in omnibus malignis Febribus suspenso pede ad Venæ Sectionem progredi solet ob metum ne unà cum Sanguine collabascant Vires; idcircò Celsus de Febris Pestilentis curâ *l. 3. c. 7.* ajebat. *Sanguinem non facilè mittere, Alvum non facilè ducere*, ac valdè rationabiliter Doctissimus Vir Jo. Baptista Scaramuccius Urbini Medicus Primarius in Theorematibus suis Physico-Medicis *Theo. 1.* Sanguinis missionem improbat ubi Sales lixiviales præpolleant à quibus aliqua dissolutio possit emergere.

XLIX. At cur talia è Cucurbitulis scarificatis vereri non licebat, inquiet aliquis, quasi Sanguis per eas emissus non ex eodem fonte prodiret, ac is qui per Venam Sectam educitur, ni forsan floridior etiam sit is qui per Cucurbitulas extrahitur sectis multis arteriolis? Non ibo certè inficias Sanguinem per Cucurbitulas eductum vividiorem esse, fuisse tamen proficuum Cucurbitularum usum, quàm Phlebotomiam, non popularis confidentia, sed Experientia quæ ratiociniis nostris per sæpè illudit, satis evicit. Neque suarum rationum fulcimento carebat hoc præsidii genus. In hac enim Febre in quâ humores à Naturâ ab intimis ad extima propellabantur, hoc pacto magis promovebatur ad Corporis ambitum illorum motus, ac variis in locis incisa Cute expirabat ali-

quantiſper occultum illud Venenum quod ad Cutem protruſum inibi hærebat ab Aere ambiente repercuſſum.

L. Huic præpoſtero, ut rebar, Cucurbitularum uſui & ipſe ſub initium hujusce Popularis Morbi non parùm obſtiti, urgebamque levandam prius per Vènæ ſectionem Naturam eo quo premebatur faſce, nec intempeſtivâ Cucurbitularum appoſitione ſolicitandum humorum motum, tempore præſertim ebullitionis; reclamabam Sanguinis miſſionem nullatenùs trahere à circumferentiâ ad centrum, imo toto eo tempore quo aperta ſit Vena, majori niſu ad eam partem quàm ad reliquas Sanguinem moveri, fidendumque potiùs Rationi quàm Eventui, quem Stultorum Magiſtrum eſſe aiebat Q. Fabius M. apud Livium. *l.* 22. At ſors melior eorum qui hoc Præſidii genere, vel in ipſo Morbi principio, utebantur, vellebat Aurem, monebatque vertendum Stylum, nec tanti faciendas eſſe rationes confictas, quanti Experientiam ipſam. Extant ſanè multa apud Auctores de Cucurbitularum uſu, ac ſi placet etiam de abuſu (ut Hyppolitus Obicius in ſuo libro de multiplici in Medicinâ abuſu) *c.* 7. ac re vera omnes ferè in acutorum Morborum principio (niſi prius per V. S. plenitudini proviſum fuerit) illarum uſum improbant. Eracaſtorius tamen in Febre Lenticulari, quæ ipſius ætate, ut ſuperius memoravimus, pervagata eſt, Venæ Sectioni parcendum volebat, ubi præſertim valdè ſparſa contagio eſſet, & Cucurbitularum appoſitionem commendabat, niſi magna adeſſet plenitudo. Quanti porrò faceret in hac Febre Cucurbitularum uſum P. Alpinus ex ſolo capite quod in libro de Medicinâ Ægyptiorum *l.* 2. *c.* 16. inſtituit, dignoſci poteſt; disquirit enim, *An errent Ægyptii Medici num utentes Cucurbitulis pro adjuvanda Exanthematum eruptione*; ex recentioribus verò P. Borellus annotavit Anno 1648. Febres malignas Epidemicas purpuratas cum magnâ clade graſſatas fuiſſe, & frequentem Cucurbitularum uſum valdè profuiſſe.

LI. Hinc mihi viſum eſt conſiderandas non eſſe Peticulas ut ſimplex Malignæ Febris ſignum, veluti communis fert opinio, nec à Criticarum excretionum cenſu excludendas, quod ex Clar. Diemerbroechii obſervatione, qui Peticularum hiſtoriam egregiè abſolvit, confirmari poteſt; refert enim hic Auctor ſibi obſervatum in denatis ex Purpuratâ Febre partes omnes internas Peticulis obſitas eſſe; quod tamen multò ante, ſi non oculorum, ſaltem mentis acie, pertigerant Valleſius in hiſtoriâ Simonis, Ballonius in ſuis Epidemiis, Fernelius in libro de Febribus. Mihi quidem Cadaver ullum diſſecare non licuit, ut ex autopſiâ peticularis hujuſce diffuſionis per interiora Corporis certior fierem, (quando apud nos nullo pretio quisquam ex Plebeculâ Cadaver aliquod ex ſuis domeſticis pro ſimplici inſpectione permitteret) conſtans tamen obſervatio, quòd ii qui ex hâc tempeſtate evaſerunt per nullam ſenſibilem humorum excretionem convaluerint, ut ſuperiùs annotavi, ſed per ſolam Peticularum ſuo loco, & tempore apparitionem, ac per totum corpus expanſionem, lentamque earum-

rumdem evanescentiam, ad credendum compellit, Naturam post factam primis diebus justam humorum ebullitionem virulentum illum ichorem despumasse, ac illum primò quidem in partibus internis, mox in externis quoque deposuisse, ut hoc pacto per mille Arteriarum oscula tetro illo miasmate exantlato tota massa sanguinea pristino suo nitori redderetur. Curiosum autem est id quod Diemerbroechius refert sibi in Cadavere ex hac Febre extincto observatum, nimirùm, maculas hasce ab ipso Perioestio initium ducere, & latâ basi instar fumi Lampadis recenter extinctæ.

LII. Non tàm modicum igitur esse illud quod in Periculari Febre è sanguineo penu secernitur censendum est, imò toto eo tempore quo hujus morbi historia absolvitur, talem esse diacrisim, quæ in Criticarum censu reponi possit, quamvis non adeò sensibilis sit, ut reliquæ evacuationes criticæ, tum ob materiæ tenuitatem, quæ insensibiliter expirat, tum quòd illius pars major per interiora Corporis diffundatur, in cute Pyramidis tantum apice apparente: Sic non ineptè explicari posse crediderim superiùs enarrata Symptomata, quæ Febrim hanc comitabantur, sicuti & modum quo Natura harum Febrium curationem moliebatur; Dorsi enim, ac totius Corporis lassitudo, qualis in Febribus, quæ κατακόπους dicuntur, non aliunde quàm ab ichore illo ab Arteriarum osculis in membranas, & musculorum fibras refuso ortum ducebat, sicuti & Præcordiorum Anxietas, Faucium ardor, Aurium surditas, Mentis stupor, ab eadem materia pendebant ad partes transmissâ ubi functiones Animales, & Vitales exercentur. Cum enim Natura totum Venosum genus à pravo illo miasmate expurgare vellet, non unam sibi viam eligebat, quò noxios humores eliminaret (ut aliquandò per Vomitum, Alvi fluxum, Urinarias vias, Cutis poros solet efficere) sed tot sibi fores aperuit quot sunt Arteriarum oscula, id circò omnes ferè Corporis partes noxam sentiebant, donec rejectamentis illis discussis priorem tonum recuperarent. Cum hoc modo itaque in hac Febre expugnandâ Natura procederet, minum non est si suspenso pede ad Venæ sectionem, aliaque remedia administranda procedendum erat, ne distraheretur Natura, & cur feliciùs res cesserit Medicis sanguinis abstemiis quàm Philematicis, quam ob causam Pagani facilius evadebant, quàm Urbani qui per sæpè medendo ægrescebant.

LIII. Ubi verò malignum illud Virus præpollebat ad internecionem usque spirituum Animalium, & Vitalium cuncta in pejus citissimè ruebant, Periculis seu vix se prodentibus, seu subitò evanescentibus, quibus præstò aderant summa virium prostratio, Asphyxiæ, totius corporis perfrigerationes, Singultus, & Ischuriæ spuriæ, quæ satis frequentes fuerunt; cessante enim Spirituum Animalium influxu, & feriante Corde à naturali motu, nullus fiebat arterioси sanguinis ad Renes appulsus, & consequenter nulla seri secretio; qui autem ex hac Febre occumbebant pleni, & succulenti, ut diximus, efferebantur, eò quòd non ingens esset

calor, qui Febres istas comitaretur, (quam ob causam non admodum sitirent) & quia pertenue esset quod per transpiratum exhalaret. Cur verò decrescente Lunâ, ac eâdem silente, magis sæviret hæc Febris (si in re tam obstrusâ licet aliquid conjicere) id fieri potuisse crediderim eò quòd sicuti in Macrocosmo dicitur Luna Gubernatrix tenebrarum, & mobilis undæ, cum illi uni Æquor obtemperet, sic super Microcosmi limpham dominatum obtineat, & quemadmodum *omnia in Plenilunio Maria purgantur*, ut ait Plinius, *l. 2. H. N c. 98.* ità in hac Febre, dum Luna pleno lumine vigeret, sanguineum serum in motum cieret, unde promptiùs macularum eruptio, & totius massæ humoralis repurgatio contingeret, ejus verò lumine deficiente, ac per totum tempus illune, segniùs moverentur humores, ideoque minus apti ad exitum, & sic concluſi Febrem augerent.

LIV. Quoad reliqua Symptomata, quæ hisce Febribus in progressu superveniebant, ut Singultus, Alvi fluxus, Verminosa soboles, hæc non solùm morbi sævitiam prodebant, sed primam regionem crudis humoribus oneratam fuisse demonstrabant, propterea blanda purgatio, non Mochlica, in principio harum Febrium Peticularium non prorsus fuit incommoda quamvis casu instituta, nec credita Febribus hujus prosapiæ multum conferre; leniter enim eductâ humorum Saburrâ in stomacho contentâ, Natura exinde ad perficiendum opus suum pro massæ sanguineæ à pravo miasmate expurgatione per macularum diffusionem ad cutem usque faciliùs procedebat. Hoc documentum blandæ purgationis in principio vel neglectum, vel parùm salutare creditum, non levi damno ægrotantibus fuisse crediderim, præpeditis enim, ac conspurcatis primis viis, Cardiacis remediis, quibus oppugnanda erat Febris, præcludebantur fores, vel iis non licebat Cruoris sedem, & Cordis penetralia nonnisi deturpatâ facie subire. Hanc ob causam suspecta sunt Alexipharmaca in Malignarum principiis nisi ab obstructionibus expeditæ sint viæ, ut apud Galenum, *5. de San. tu. cap 6.* Septalium, *Caut. Med. l. 5. num. 47. l. 2. c. 13.* & alios videre est, quidquid in contrarium sentiat Manelphus in libro suo de Febribus.

LV. Haud me latet non adeò probari à multis in principio harum Febrium purgationem hanc per Medicamenta Syrmesma dicta, ut P. à Castro in aureo suo Opusculo de Puncticulari Febre, ubi in specie Electuarium Lenitivum improbat, Antonio Ponce S. Cruce, Vallesio in commento historiæ Simonis apud Hippocratem, ac inter recentiores Etmullero, qui suspectos habet in Purpuratis Febribus Clysteres ipsos, nedum Purgantia; non desunt tamen qui levem purgationem admittant, ut Septalius qui Galenum *l. 5. Anim. n. 47.* ipsum testem adducit in famosâ historiâ Simonis, *cui lata Exanthemata erant*, purgationem aliquandò commendantem.

LVI. Usus porrò Peruviani Corticis parùm salutaris compertus est, vel quòd tunc temporis exhiberetur cum stimulo opus esset non fræno, dum Remedium istud, ut diximus, præ-

præscriberetur in Febre lentâ Peticulari Febri non benè judicatæ superstite, vel quòd tale præsidii genus Febribus hujus prosapiæ non conveniret. Variè profectò audit, ac variam experitur sortem, vel in iisdem locis, ac regionibus, famosum istud Febrifugum, ut eodem tempore laudetur ab his, culpetur ab illis, & modò probrosis, modò magnificis titulis vocetur. Medicinam dolosam Peruvianum Corticem vocat VVillisius *de Feb. c.* 6. Richardus verò Mortonus Medicus Anglus *in Piretholo-gia.* Plantam è quâ detrahitur Cortex iste, Arborem Vitæ appellat; num id contingat ob remedii inefficaciam, quòd non omnibus Febribus, nec in quolibet temperamento conveniat, an ob Medentium incuriam, qui non ritè suo loco, & tempore illud exhibeant meritò ambigi potest. Mehercle omne Febrium genus tàm magnas, quàm parvas, intermittentes pariter, ac continuas gladio hoc Delphico jugulare velle summa dementia est, & funesti casus ubiq; memorantur, in quibus China China inauspicatò assumpta Ægrotantes, vel inopinatò sustulit, vel ad insanabiles Ægritudines sensim deduxit. Cautiones certè notatu dignas pro recto Chinæ Chinæ usu videre est apud Celebertimum Etmullerum in Dissertatione de usu, & abusu Præcipitantium, ubi Spiritum Salis Armoniaci proponit ad excitandam Febrem à Chinâ Chinâ sopitam, quotiescunque, Abdominis dolores, Artuum ostocops, Alvi occlusio, nocturni sudores, aliaque mala supervenerint; refert enim observatum Spiritum Salis Armoniaci Febre ab hoc Cortice fugatas prompte revocasse. Non est hujus loci in usum, & Naturam tam celebris Febrifugi altiùs inquirere, solùm hac occasione memorare libeat, annotasse me in primâ meâ Dissertatione de Constitutione Anni 1690. (quod ulteriori observatione confirmatum comperi) in frigidis & humidis Constitutionibus, quæ Corpora nostra crassis humoribus infarciunt, parùm salutarem esse Corticis Peruviani usum, in calidis verò, & siccis Constitutionibus, in quibus humores aliquo egent sufflamine, Remedium istud egregiam operam præstitisse.

LVII. Quamvis autem in hac meâ Dissertatione præcipuam curam impenderim, ut hujus malignæ Febris, quæ tamdiù pervagata est, indolem, ac genium explorarem, & exponerem quibus præsidiis illius oppugnatio tentata fuerit, non ideò tamen inficias ibo multas alias graves Ægritudines sporadicas eodem tempore hunc vel illum afflixisse, ac etiam sustulisse, quales sunt morbi particulares secundum varia Anni tempora, ut Æstate Choleræ; Autumno Febres erraticæ, & Quartanæ, & modo modo morbi Hyemales, & Vernales, sed quia in iis nil Epidemici annotare licuit, eos propterea silentio transigere volui, quandò illorum Theoria, & Therapœja apud Practicos Scriptores satis vulgata est, nec illorum curatione quicquam magis desideratur quàm Medentis judicium, & prudentia. Quia verò in morbis vulgaribus (qui ut plurimùm satis vulgati diligentiâ tractari solent) memorandum illud τὸ θεῖον Hippocratis deliteſçere video, in illorum inda-

dagine potissimum mihi desudandum fuit, nec unquam desistam quin Professores exhorter, ut in hunc Campum pedem immittant ubi non spicilegium, sed segetem amplissimam contemplationum semper invenient, & quæ ipsis decori, & ægris saluti futuræ sint.

LVIII. Ad duos fines nos militare scripsit Divinus Senex, *in Epist. ad Cratenam, unum Hominis, alterum Artis*; nostrâ verò hac ætate nescio quo genio, Medentum Primores in rebus quæ decus quidem aliquod Arti, sed nullum pænè Ægrotantibus præsidium possint inferre sunt occupatissimi; cum enim toti sint in minimis explorandis, ac tanquam in haruspicinâ ad extispicia intenti, ex Viscerum fibrilis Naturæ opera, ac magisteria alioqui indeprehensibilia divinare præsumant, ad gloriam, & nominis celebritatem aucupandam solùm incumbunt, quasi eò res deducta fuerit, ut in re Medicâ non nisi Prosectoribus, exercendi ingenii, & famæ comparandæ locus relictus fuerit. Quid si Aristophanes hodiè viveret? quibus Salibus, cruciosam hanc diligentiam non perfricaret? liceat referre illius Versiculos, qui in sua puritate plus habebunt leporis, & energiæ; interrogatus ergò Socratis Discipulus à Therpsiade per quamnam viam canerent Culices, num per superiora, an per inferiora.

ἔφασκεν εἶναι τοῦ τέρετρον τῆς ἐμπίδος στενὸν διαλέπτε δόντος αὐτῇ τὴν πνοὴν βίᾳ βαδίζειν εὐθὺ τὸ ὑπόπυγιε. ἔπει τὸ κοῖλον πρὸς στενῷ προσκείμενον, τὸν βρωκτὸν ἠχεῖν ὑπὸ βίας τῦ πνεύματος.

Ideſt ex versione Andreæ Divi Justinopolitani.

Dixit esse Intestinum Culicis
Angustum, per parvi autem
existentis ipsius spiritum
Vi ire recta in podicem,
Posteà concavum ad angustum
adiacentem
Podicem sonare à vi spiritus.

LIX. Absit tamen quòd Anatomicam indaginem tanquam laborem improbum traducam, solùm dolendum videtur, quòd cum Spartam hanc satis ornatam, & excultam esse pateat quantùm Praxis Medica exigit, omnes ferè qui ingenio magis præstant in id usque ad temporis dispendium incumbant, cum ad alia magis usui futura mentem ac vires possent intendere, inter quæ non postremum sanè locum meretur Epidemicorum Affectuum Historia, quâ nihil in re medicâ forsan magis desideratur, & minùs excolitur.

HISTO-

HISTORIA EPIDEMICA GERMANIÆ.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1695.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII, Academ. Cæsar. Leopold. Nat. Curiosorum Præsidis.

PRæclarum institutum, quo singulorum Annorum Epidemias erudito calamo conscribere nuper incepit Italiæ suæ ornamentum, Illustr. *D. Bernadinus Ramazzinus*, Archiater & Professor Mutinensis meritissimus, insigni utilitate cum sese commendet, simile quid etiam in Germania nostra moliri, & breviores de epidemica Annorum constitutione Relationes exhibere dum intendimus, idem circa dilectam Patriam meam, Augustam, vicinumque districtum, quantum observare mihi datum fuit, simplici historia fideliter tentare, simulque Nobilissimos meos Dnn. Collegas Naturæ Curiosos ad similem, observatâ possibili brevitate, præstandam operam humaniter invitare libuit. Eò majorem autem ad hoc persensi stimulum, cum nostri quondam *Nestoris I.* celeb. *Dn. Georgii Hieronymi VVelschii* manuscriptus libellus, quem *Epidemica Vindelica* inscripsit, ab Anno Chr. usque ad 1677. in manus meas devenerit; quem laborem mihi hucusque continuare placuit. Quamvis autem hæc in publicum emittere nunquam animus mihi fuerit, VVelschianis illis partim nimis succinctis, partim & imperfectis exsistentibus, meis autem Collectaneis in propriæ solùm memoriæ subsidium destinatis, si tamen vel tantillum utilitatis in Rem medicam ac Posteritatem inde resultare posset, publico, qualecunque demum fuerit, haud denegabo.

Ut autem Anni 1695. statum exordiar; postquam Solstitium hyemale frigore intenso Annum 1694. terminavit, non minus insequens Annus multis nebulis comitatus, frigore molestus intravit; & quamvis paulò post temperatior aura, Zephyro flante, quin & pluvias adducente, redderetur, Euro tamen & Austro circa finem Januarii St. Greg. nives spargentibus, insignes frigoris molestias denuo persensimus, easque, licet post Bacchanalia mitior aura per aliquot dies spirasset, usque ad Æquinoctium vernale perferre coacti fuimus. Unde in hac aëris anomalia non potuit non insignis in sanguine mutatio contingere, & cumprimis lympha non tantum ab intromissis ex pluviosa constitutione copiosioribus aqueis

moleculis multum augeri, sed calidiorem etiam ob auram magis rarefieri, quam tamen frigidior superveniens denuo condensare, inque liberiore transpiratione impedire, ac passim stagnationem inducere valuit: quo in statu cum nec digestiones aut debitæ secretiones sufficienter celebrari, nec sanguinis motus placide promoveri, spirituumve puritas aut vigor conservari queat, facilè colligere datur, quàm variæ in œconomia animali & vitali turbæ excitentur, eò graviores futuræ, si unà impuriores, salsæ sulphureæque lateant particulæ, quæ hinc fermentatione conceptâ malignam vel venenatam quasi naturam induant, aut etiam latentem antea malignam auram suscitent. Cum verò aliquot jam per annos tale quid in urbe nostra sedem fixisse comperiamus, ut, licet cessare nonnunquam per unam alteramve septimanam videatur, mox tamen exsetere se denuo incipiat, quin & contagio se haud obscurè propagare nitatur, experientia nos edocuit, toto hoc tempore febres continuas fuisse obortas, quæ majori ex parte malignitatis notas, tum consuetis symptomatibus, tum maculis peticularibus ostendebant, quibus aquosæ pustulæ, utplurimum dum morbus ad declinationem vergeret, cum nova caloris symptomatumque exacerbatione, in multis superveniebant: pauciſſimi erant, qui per morbum delirabant; in plurimis pleuritidem primò vel catarrhum mentiebatur morbus; quamvis etiam tum temporis, præter arthritides vagas, pleuritis non infrequens esset, & aliquos graviter, quin & pustulis illis miliaribus malignis simul adfligeret. Dira etiam intermittentium febrium, quotidianarum, erraticarum, & tertianarum cohors urbi incubuit. Quæ morborum facies, remissior equidem in vere, frigidâ cum mitiore aura semper reciprocante, continuabat; quibus, ex ejusdem seri hîc ibi stagnantis, & glandulas inundantis ad coagulum pronitate, catarrhi pectori infesti, & nonnullos cum febrili effervescentia occupantes, accedebant; quotidianæ verò & erraticæ febres, hecticarum ferè æmulæ, magis magisque se diffundebant, atque ægrotos in juvenili ac teneriori ætate constitutos graviter adfligebant, Medicisque ob mali pertinaciam multum negotii, ferè usque ad autumnale Æquinoctium faciebant: aderat in omnibus circa orificium ventriculi superius præcordiorum compressio, appetitus prostratus, virium lassitudo, corporis extenuatio, caloris incerto, vespertino tamen utplurimum tempore exacerbatio; in quibusdam exiguus hujus, in aliis ferè continuus sensus, sudoris rara eruptio, ardor verò & dolor tensivus manuum ac pedum ægros admodum torquebant: nec pauci erant, quos, perseverante adhuc morbo, loquela, sine deperdito tamen linguæ motu, destituerat, aliquibus etiam surditas, & aliqualis sensuum internorum stupor, per plures dies, vel duas tresve hebdomadas accesserant; malo hoc postea, recedente febre, sponte quasi iterum cessante. Medicamenta autem quæ acorem præternaturalem atque lentorem lymphæ, non negligendo ea, quæ genus nervosum ac spiritus confortare &c. poterant, ex. gr. specificum

cificum antihecticum Poterii, gammarorum lapillos, elixirium proprietatis beat. noſtri Clauderi, eſſentiam corticis Peruviani &c. proficua deprehendi; ſicut Tincturam bezoardicam D. Mich. ſal cornu cervini volatile, eſſentiam mumiæ Clauderianam, Diaſcordium Fracaſtorii, Theriacam cœleſtem Greiffianam, pulverem Sabaudicum, rubeum Pannonicum, cum antimonio diaphoretico, unicornu foſſili & marino, pro ſubjectorum & ſymptomatum varietate, in tempore & providè propinata, non inefficacia in malignis fuiſſe, experientia docuit.

Cum Sol Gemellorum ſignum ingrederetur, & crebrioribus pluviis perfunderemur, Catarrhi frequentes eſſe cœperant, tonſillarum inprimis intumeſcentiam inducentes, [conſuetiſque ſeri coagulum externè & internè reſolventibus medicamentis obtemperantes,] præcipuè cum frigus inſolitum, de quo alibi locorum non minus paſſim conquerebantur, æſtatem ſubinde odioſam reddidiſſet.

Circa Æquinoctium autumnale, itidem frigore moleſtum, humoroſum convulſivum aſthma in puerilem ætatem ſæviebat, aliquos etiam trucidabat. Poſtea tamen, licet haud clementior eſſet aëris, pluvioſa nempe & frigidiuſcula utplurimum temperies, imò poſt medium Octobrem, totum inſequentem menſem, nec non dimidium Decembrem frequentiſſimæ nebulæ, ac per plures ſæpe dies continuæ aërem occuparent, Morbo attamen magnas dabat inducias; quæ verò collectâ interea ex vaporoſis iſtis halitibus novo infirmitatum adparatu & ſerosâ colluvie, eò acriùs inſurgebat, & Sole Scorpionis ſignum egreſſuro, arthritides vagas, rheumatiſmos, in quibuſdam intenſo dolore nucham frequentiſſimè autem pectus tuſſi graviori excruciantes, in ſenibus quoque apoplexias fortes letales accerſebat; quin & febres denuo malignæ, petechiis & puſtulis ſtipatæ, hactenus rariores obſervatæ, majori jam impetu pluribus inſultabant, cephalalgiâ in principio morbi vehementi, brevi tamen recedente, intenſis dorſi doloribus, præcordiorum compreſſione, tuſſi, alvi conſtipatione moleſtæ; cum interea urinæ color non multum à ſtatu naturali recederet, vel juſto dilutior compareret, nec pulſus admodum irregularis eſſet. Frigore autem ultimum Anni menſem, ſatisque intenſo ejuſdem exitum comitante, pacatiora rurſus tempora, atque populariter graſſantibus morbis liberiora ſequebantur; poſtquam febrium malignitas ſupradictis remediis; rheumatiſmi autem infuſi thee, aut analogi veronicæ, betonicæ &c. ſuccinatorum, ſaliumque volatilium urinoſorum, non neglecto, ubi opus erat, moderato opiatorum, inptimis pilularum de cynogloſſa Nic. uſu; arthritides denique cinnabarinis, antimoniatis, lumbricatis, quin &, cum in quibuſdam febrilem aliquem inſultum alternis diebus deprehenderem, kin-kina, quibus ſubinde blandior ex poco ſcammonii ſulphurati & antimonii martialis fixi pulvere alvi laxatio interponebatur, atque dolorum ſævitia per demulcentia inprimis caraplaſmata (ſpirituoſis & oleoſis eam magis exaſperantibus,) mitigabatur, eſſent devicta.

Cum etiam Excellentissimorum Dominorum Collegarum Curiosorum aliqui petito meo, in simili materia submittenda, benevolè subscripserint, eorundem historias subnectere, & ordine, quo fuêre transmissæ, adducere lubet.

Constitutio Epidemica Hassiaca Anni 1693. & 1694.

Dn. D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI,

missa die 5. *Januarii A.* 1695. *Gissâ Augustum Vindelicorum.*

Præcedente Hyeme pluviosa, sed in fine gelidissimo, sub primo Vere & insolitus aëris fervor ingruebat, qualis & per omnem æstatis cursum observabatur: quæ mutatio subitanea non poterat non inæqualem & præternaturalem humorum & spirituum motum causare, quem & hominum & brutorum strages insecuta est. Boves sanè & vaccæ catervatim succumbebant, cujus rei causa statuebatur inter alia ros corrosivus, lintea maculis plus minus luteis conspurcans, & omnino corrodens, de cujus ætiologia elegantissimè D. Ramazzini. Ex carnificum observatione plerunque phtisi pulmonali uecabantur, ad quam fine dubio haustus frigidæ copiosior post æstum intensissimum multum contribuere poterat. Hominibus præter dysenteriam & febres malignas sub finem Junii & initium Augusti hîc locorum infensa erat febris quædam intermittens, utplurimum tertiana, sive simplex sive duplex, solo ferè calore molesta, ut à plurimis ab acutis vix distingui potuerit. Præcedenti enim levi frigusculo calor intensissimus, virium summa prostratio, anorexia &c. accedebant, quæ præmisso vomitorio, corticis Peruviani usu plerunque curabantur, cui regulus antimonii medicinalis quandoque præmittebatur, Venæsectio, quam vel ipsi urgebant aliquando ægri, nunquam non noxia erat, morbumque protrahebat, aut ad minimum summam, fugatâ licet febri, virium debilitatem inducebat.

Hanc sequabatur paulò alia

Constitutio Anni 1694.

in qua Hyemem satis inclementem calor Veris extraordinarius excipiebat, ut arbores brevi admodum in flores se induerent, qui tamen omnem, quam primùm injecerant, spem eludebant, postquam frigore subito superveniente prorsus emarcuerant. Sequebatur Æstas summè calida, quâ ultra hominum memoriam vix siccior observata fuit, sub cujus cursu morbilli, sed benigni ferè moris grassabantur, aut sponte aut bezoardicis & expellentibus solitis cedentes, in quibus tussis & asthma præprimis erant molesta, quæ spiritu salis armoniaci anisato, seu ut hîc locorum audit, spiritu pectorali anisato optimè sistebantur. Annonæ summa fertilitas, duplicato modium infarciens, qua frumentorum caritas heic subito sublata fuit. Autumnus & Hyemis initium pluviis crebrioribus madebant, variisque catarrhis, pleuro-pneumoniis & febribus malignis à milite è castris ad hyberna redeunte fere allatis plurimisque funestis erant molesta, quæ omnia frigus horrendum subcepti modo anni 1695. initia excepit.

Consti-

Constitutio epidemica Basileensis Anni 1695.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI,
missa d. 20. April. A. 1695. Basileâ Augustam Vindelicorum.

Morbi, qui cum hyemali tempore, tum eodem jam finito, epidemicè ferè grassabantur, sunt colicæ passiones pertinaces: apud infantes vomitus, ceu variolæ essent erupturæ. præcedente horrore, inde icterus cum dejectionibus verminosis: apud adultos quoque febres verminosæ: jam verò præter febres continuas ac intermittentes, pleuritides & pleuro-pneumoniæ: singuli aeris variam constitutionem, & subitaneam immutationem, pro secunda matre agnoscentes.

Constitutio epidemica Berolinensis Anni 1695.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP
von der Mühlen /
missa d. 5. Januarii A. 1696. Berolino Augustam Vindelicorum.

Dn. Præside me ad id excitante, 1. Januar. 1695. (22. Decembr. 1694.) cœpi dietim mutationem aëris ac tempestatum notare, ac observavi à plenilunio die proxime præcedenti 31. (21.) Decembr. illucescente frigus, quod hactenus satis temperatum fuerat, paulatim invalescere, nivibus subinde permixtum. 8. Januarii (29. Decembris) autem, sub ultima quadra aere nimboso rursus parumper remittere. Sequentibus verò diebus denuò ingravescere, moderato tamen adhuc ad usque noviluniu 14. [4] Januarii ingruens. Quod subitam gelu remissionem cum nivium ac ventorum copiâ; postea nubilo cœlo gelu iterum moderatum biduum circiter durans ad meridiem usque 18. (8.) induxit. A quo solutâ rursus glacie vix medii diei inducias dedit; Nam redintegratis viribus revertens primam Lunæ quadram in 22. [12] incidentem cum pertinentibus illuc diebus, rigoroso gelu transegit, ut & plenilunium 30. [20.] lucens, sicq; primum hunc mensem finiit.

Alterum eodem vigore inchoans ultimamque quadram 7. Febr. [28. Jan.] orientem ad 13. [3] usque transiens, atque remissionem sic unius, viginti quatuor dierum, nonnunquam tamen paululum mitigato, rigore pensans duravit. Tum verò accedente eodem die 13. [3.] novilunio, rursus aliquantulum remittens pluviis glaciem quam tot diebus gelu pepererat, unica die liquans, ac parum quod ejus restabat, copiosâ nive intermixti, quoque procellis tegens, mox insequenti mane ad ingenium rediit, perque biduum gelando continuavit. Mox verò 17. [7.] rursus remisit; Ast sequenti die denuò redintegrato vigore, primâ quadrâ 20. (10.) apparente, nec quicquam obstante ad 23. (13.) usque perrexit. Quo die remisso paululum rigore pluvias nivibus succenturiavit

unicâ tantum die: Graviori enim impetu interpolatis subinde sereno cœlo nivibus ac quandoque ventis irruens, quatriduum ad 28. (18) usque hujus secundi mensis adeoque ultimum perstitit.

Quo die à violentia priori desciscens nivibus ac grandini pluvias interspersit, sed sequenti 1. Martii (19. Febr.) cum plenilunio denuo vim pristinam induens non modo pristinum exeruit robur, sed & auxit. Verum vix biduum servavit, ab illa sævitia 3. Martii (21. Febr. deficiens, ac nocturnum frigus & quandoque gelu diurnis pluviis ac nivibus temperans, reliquum illius quadræ & sequentis postremæ 8. Martii (26. Febr.) apparentis ad novilunium usque 15. [5.] accedens vario & mutabili cœlo transiit. Tum priorem indolem Borea flante induit, sereno cœlo gelu, nocturnum præcipuè, satis validum reducens ad post primam quadram 22. (12.) radiantem ad 24. [14.] usque continuando. Inde variam cœlo faciem sumente, nunc serenam nunc nubilam, nunc undosam, nunc siccam, nunc tranquillam; nunc turbidam cum plenilunio 30. [20] lucente & sequenti die 31. [21.] Martium cum trimestri primo terminante, ad ultimam usque quadram etiam 6. Aprilis [26. Martii] subsequentem, die noctuque alternando frigus moderatum calore temperavit.

Morbi hujus primi trimestris initio reliquiæ fuêre præcedentis varii & inconstantis autumni, diarrhœæ, dysenteriæ, febres variæ, & quartanæ præsertim & duplices tertianæ, erraticæ nonnullæ. Quibus sese junxêre pleuritides, peripneumoniæ sed raræ, tusses siccæ & humidæ harumque soboles phthisis ut & hecticæ sed paucæ, malignæ item febres variolis præcipuè, morbillis, purpura, nonnunquam, rarius tamen petechiis, sic satis adhuc benignis, intermixtis. Tertio mense accessêre prioribus etiam apoplexiæ subito quosdam perimentes & paralyses quandoque reparabiles, catarrhi contumaces ac tusses implacabiles, arthritides vagæ valde contumaces & dolores ac defluxiones aliæ scorbuticæ pertinaces, plerique tamen horum morborum præter variolas sporadici fuerunt non Epidemici.

Secundi trimestris exordium à primâ Aprilis (22. Martii) ad prædictam ultimam quadram 6. Aprilis [27. Martii] accedentem usque de amœnitate præcedentis mensis participans ac veris verum initium exhibens, cum prædicta ultima quadra degeneravit, ac ingratum denuo frigus nocturnum, aërem tempestuosum, nives, grandines, pruinas, similesque inacceptos Veri hospites advexit, ad 10. Aprilis. [31. Martii usque, qui Æthere mitius paulò aspirante pluvias lenes, frigidas tamen adhuc, sparsit. Sequentes duo pluvias vento impetuoso ac frigori haud usque quaque grato miscuêre, atque aëri turbulento, non tamen planè gelido, ac novilunio 13. (3.) Aprilis tranquilliori cœlo, moderatiorique frigore placidè ingruenti præmisêre. Verùm 14. (4) ad pristinum statum tetricum, turbidum, frigidum & immitem rediens 15. [5.] gelu nocturnum ac serenius paulò cœlum induxit. Cui mox gravius gelu noctur-

cturnum sudo interdiu mitigatum per biduum, huicque; rursus aër temperatus ac serenus alterum biduum durans successit. Quod nubilum rursus & frigidum excepit, succedentibus nocte sequenti nivibus, quas primæ quadræ 21. [11.] appropinquantis prodromos mane pluviæ sunt subsequutæ, à meridie cœlum relinquentes nubilum, in pruinosam noctem declinans inque temperatum insequens manè ac vernum tandem de die aërem desinens. Qui post noctem placidam ac manè ventos nonnullos pluviosis madentes, amœnum posterâ die produxit 24. [14.] per biduum durans, tandemque tertiâ 26. [16.] die in æstivum ferè Solis ardorem, pluviæ admodum fertilis prænuntium transiens. Cui gratum successit sequentibus diebus sudum pluviis nonnullis irrigatum ad 29. [19.] usque plenilunio tum lucente, ac ventorum aliquid blandorum, eteſias dixisses, intercalante. Sequens dies serenus tonitru pomeridie inexspectato & maturè nimis pluvia copiosa stipatum, primâ hoc anno vice submisit, sicque finem primo huic secundi trimestris mensi imposuit.

Sequens 1. Maii [21. Aprilis] amœnâ serenitate inclytus, successorem habuit sui ferè similem, paulò tamen magis nubilum & frigidum, perinde ut & reliquos temperato & verno cœlo Soleque calente abblandientes ad 5. Maii (25.) Aprilis ultimæ quadræ dicatum. Cui nubiloso & sparsis subinde pluviis ab amœnitate illâ degeneranti, procellosum & frigore pluviis ac nivibus inacceptum accessit biduum. Illique rursus ad 10. Maii (30. Aprilis) ingratum frigidum, udum ac pluviosum cœlum. Donec 13. [3.] Maii appropinquans novilunium post temperatum sereno magis aëre unicum diem inconstantem & variam, pluviis ventis frigore, moderato tamen intermixtam tempestatem induxisset, nubilum Æther rariùs solaribus radiis pervium ad 17. (7.) usque continuavit, sudo tandem semet rursus & calore moderato biduum durante commendantem. Quem pluviæ demum ingratæ triduum continuantes & in grave tandem tonitru desinentes 21. (11.) ipso primæ quadræ die, secutæ. Hasque rursus sudum in pluvias ac tonitru à meridie terminans. Atque istas denuò sequenti manè sereno aëre, frigus, hoc pluviæ lenes, clementiori paulò cœlo exceptæ, illud denique sereni aliquot rursus dies aëris clementiæ ac vernæ amœnitatis postliminio quasi cum plenilunio 28. (18.) radiante reducis ac ad 31. [21.] usque mensis hujus Maji terminum perdurantis, mox tamen in pluvias denuo ac ventos fatiscentis quasi præcursores.

A primo enim Junii (22. Maji) ingrata pluviis ac nimbis tempestas, noctes gelidæ ac pruinosæ, venti Boreales, dies à nocturno gelu rigidi nec nisi à meridie paulum à Sole culminante degelantes succedere, ad ultimam usque quadram 5. Junii (26. Maji) apparentem sævientes. Hæc commodiori rursus tempestati locum dedit cœlo sereno & amœno, calore grato pluviolis lenibus ac fœcundis ad 7. Junii (28. Maji) usque durantibus; Mox verò ab illo, vario & turbulento, frigido & pluvioso ad novilunium usque 11. (1.) accedens perseverantibus permutatæ. Hoc

inse-

insequens dies Solis radios sereniore cœlo, frigore tamen molesto admisit. 13. (3) denuo in pluviosum pristinum ac nubilum statum transiit. 14. (4.) Nubilum sudo temperavit, subsequentibus hunc aliquot ad primam usque quadram 19. [9] illucescentem & comites ejus (25. (15.) solo, qui frigidior, nubilus ac pluviosus, excepto) serenis ac paulò mitioribus. Ipso etiam plenilunio his accensendo ut & reliquis, præter 30. (20.) qui mensem hunc, simulque trimestre secundum tonitru ac imbre clausit.

Cujus trimestris primus mensis catarrhis, rheumatismis, tussibus, febribus catarrhalibus, aliisque diversorum generum, tertianis simplicibus ac duplicibus satis frequentibus, paucis quartanis, affectibus scorbuticis, hîc endemiis, variis varios variè affligentibus infestus.

Alter, quà morbos, priori ferè affinis, nisi quod in hoc variolæ nonnullæ & purpureæ febres, pleuritides veræ & spuriæ, petechiæ febrium ardentium malignarum nonnullarum comites, colicæ & hystericæ passiones, hypochondriaci affectus, anginæ sese quandoque parciùs tamen offerrent.

Tertius præter præcedentium nonnullos, menstrua inordinata, cachexias, ventriculi imbecillitates & cruditates, hypochondriorum dolores, colicas, diarrhœas &c. tulit.

Mensis Julii, qui tertii trimestris primus, initium præcedentis Junii fini postremum si exceperis diem, ultimâ quoque quadrâ 3. Julii (23. Junii) lucente, computatâ ad 7. Julii (27. Junii) usque aëris serenitate & sic satis jucunda tempestate respondit. Hic verò nubilus fuit ac turbidus, cujus morem sequentes ex parte imitati manè sereno cœlo, pomeridie turbidum nubilum ac pluviosum subjunxerunt. Excepto 10. Julii (30. Junii) qui rursus totus turbidus, frigidus, nubilus, & pluviosus adeoque extremè ingratus fuit, subsequenti 11. (1.) Julii novilunium nubilum cœlum sudo correxit, hâcque ratione reliquis quatuor ad 16. (6.) usque commodâ satis tempestate exemplo quasi præivit. Ille autem à præcedentium more desciscens nubilus frigidus ac pluviosus successores habuit seipso meliores ac mitiores, æstivo calore, ac sæpius de die sudo, noctu quandoque pluviâ moderatâ commendabiles, ad primam quadram 19. (9.) lucentem, ut & plenilunium 25. (15.) fulgens perseverantes & usque 29. [19.] qui, insolito hoc tempore, frigore, pluviis ac circa vesperam tonitru varius, similes sui sequaces habuit, præsertim 31. [21] frigidum valde, breveque sudum imbre copioso pensantem, sicque mensem hunc ingrato epiphonemate terminantem.

Successit eodem ferè tenore 1. Augusti (22. Julii) primam quadram advehens, simulque aërem instabilem frigidum ventosum, tonitru & pluviis quibusdam mixtum; Huic æqualis ferè 2. Aug. (23. Jul.) sudum frigidum pluviis ac ventis subinde varians 3. Aug. [24. Jul.] ad meridiem usque 4. Aug. (25. Jul.) amœnam reduxit serenitatem, sed instabilem ac imbre pomeridiano dilutam. 5. Aug. [26. Jul.] turbidus manè & imbribus udus, à meridie quidem siccior sed frigore horridus. 6. Aug. [27. Jul.] totus

totus pluvioſus & imbribus madens, perinde uti & ſequens 7. Aug. [28. Jul.] ingrato turbido & pluvioſo aëre fœdus. Omnes hi & præcedentes nonnulli, quod Julii potiorem partem & Auguſti initium inſolito hoc anni tempore frigore, ſereno licet nonnunquam intercedente cœlo, æſtivam aliàs his temporibus debitam amœnitatem deturparint, ſimulque ſatorum proventum, incrementum & maturitatem impediverint, ſicque annonæ caritatem induxerint, infames meritò audiunt & infauſti dies. 8. Aug. (29. Jul.) novilunii 9. Aug. (30. Julii) apparentis anteſignanus, & ſequentes gratam ac æſtate dignam, ſed heu! ſero nimis reduxerunt tempeſtatem, præter 13. [3] qui eam à meridie pluviâ vento ac tonitru paululum turbavit, ſtabilem aliquando, ac niſi quod amœnitati pluviolam quandoque interſpargerent, ad ultimam uſque quadram, ſimulque terminum hujus menſis 31. (21.) nempe ejus, paululo prioribus frigidiorem diem percurabilem.

Septembris exordium 1. Sept. [22. Aug.] præcedentis tempeſtatem æmulatum cum tonitru pluviam admiſit, ſic temperato aëre ac ſereno utplurimum cœlo lenibus nonnunquam pluviis à meridie præſertim alterato, reliqui ſubſequentes ad novilunium 8. Sept. [29. Aug.] incidens, quod temperatum aliàs uvidam imbribus junxit veſperam, hâcque ratione 15. [5.] addendo etiam procellam ad primam quadram 16. (6.) orientem paulò præcedentibus frigidiorem procedendo, varioque ſequentibus diebus cœlo 20. (10.) temperando nubila ſerenis, moderato quandoque quoque frigore & pluviis ad plenilunium 22. (12.) radians, imò ipſam ultimam quadram exiguo diſcrimine à præcedaneis diſcrepantes perrexerunt, ſic ſimul 30. (20.) & hunc tertium tertii trimeſtris menſem abſolverunt.

Morbi hujus trimeſtris primo menſe, Julio nimirum præter ſcorbuticos affectus & hypochondriacos alii non adeo frequentes fuerunt, febres fortaſſis nonnullæ, tertianæ & continuæ, pleuritide quandoque tam verâ quàm ſpuria ſtipatæ, colicæ paſſiones, hemicraniæ, catharri.

Secundi, Auguſti nimirum febres variæ ardentes præſertim acutæ & continuæ cum & ſine delirio, cephalæa enormi, & ſimilibus febrium ſymptomatis comitatæ, nonnunquam & diarrhœâ contumaci, quædam etiam cum exanthemaris variis purpurâ, petechiis rarò tamen nec uſque quaque malignis. Nec defuerunt ſcotomiæ, lipothymiis nonnunquam complicatæ.

Tertii, Septembris febres rurſus variæ, catarrhales præſertim vario typo luxuriantes, tertianæ tamen pleræque, continuis quandoque combinatæ, rheumata, leucophlegmatiæ, vertigines, cephalæ graves & continuæ, febrium præcedentis menſis ardentium & continuarum aſſeclæ & pediſſequæ, pleuritici dolores ſpurii.

Primordium ultimi trimeſtris menſis Octobris triſte fuit 1. Oct. (21) Sept.] cœlo exiſtente frigido turbido ac pluvioſo. Sequentes & quidem 2. Oct.. (22. Sept) frigida ac ſerena, 3. Oct. (23) Sept.) manè frigida & pluvioſa, à meridie ſiccior & mitior, 4. Oct. (24. Sept.) manè nebuloſa & frigidula, à meridie ſerena

& amœna 5. Octob. (25. Sept.) cum primâ quadrâ constantem ad 10. Oct. (30. Sept.) usque tempestatis amœnæ serenitatem induxit. Hæc decima nebulosa ac turbida tota fuit 11. [1.] & 12. [2.] plenilunio insignis manè nebulosæ, à meridie serenitate aërem temperaverunt, quas sequentes ad 16. [16.] imitatæ. Hæc verò à præcedentibus turbidiore paulò calidiore ac udo aëre diversa, socias sibi sequentes duas ascivit, 29. (19.) à meridie serena, 30. (20.) ultimæ quadræ dicata, tota nubilosa. Sequens 31. (21.) sicque mensis hujus postrema manè præcedenti similis, à meridie undosa fuit.

Morbos hic mensis paucos habuit, eosque scorbuto utplurimum & hypochondriis originem debentes, præter febres nonnullas tam intermittentes, quàm continuas, malignas rariùs, diarrhœas, haud tamen frequentes, dysenterias pauciſſimas, epilepsias infantum quasdam, dentitioni plurimùm imputandas, arthritides vagas, sed & has scorbuticas, hystericas passiones.

November secundus quarti trimestris mensis à 1. Nov. [22. Oct.] ad 4. Nov. [25. Oct.] à pluviâ immunes nubilos tamen dies præbuit, quarta serena quidem magis, ac frigida quoque magis fuit. Eam nebulosi, turbidi, frigidi & ingrati excepêre dies, quos inter & 6. Nov. [27. Octobr.] Nova Lunâ distinctus, tempestate cæteris æqualis, ad 8. Nov. (29. Oct.) ejusdem tenoris, 10. Nov. (31. Oct) nebulosum, turbidum & frigidum tulit aërem, sic & sequentes ad primam usque quadram 13. (3.) lucentem continuârunt. 14. (4.) præter nebulam, quam dedit matutinam, prioribus similis fuit. Cujus defectum sequens 15. (5.) pluviâ pensavit. 16. (6.) & 17 (7.) prioribus incommodis ventus addidêre frigidos & immites. 18. (8) à pluvia immunis, frigidus tamen adhuc & turbidus fuit. 19. (9) ad ingenium undosum rediit. 20. (10.) cum plenilunio mitiorem paulò reduxit, sed turbidum etiamnum aërem ad noctem usque Lunæ radiis illustrem, quam frigidus, pluviosus ac procellosus secutus 21. (11.) in gelu primum hoc anno desinens ac 22. (12.) ut & 23. [13.] continuans. 24. [14.] à serenitate præcedentium duorum deficiens pluvias turbido frigori miscuit. A quo dissimilis 25. (15.) gelidus fuit atque serenus. 26. [16.] perinde cœpit, sed in pluviam desiit. 27. [17.] amœnâ & serenâ tempestate, 28. [18.] ultimæ Lunæ quadræ, sudo, miti ac sereno cœlo, exemplo admodum hoc hyberno tempore ut raro, sic grato prævit. Sed æmulum nullum nec imitatorum invenit, 29. [19.] à serenitate illa mox desivit, temperatus tamen adhuc & siccus noctem habuit pluviosam, à sequente 30. [20.] ac hactenus ultimo hujus mensis die sicciore, mitiore, paululum tamen turbido hac in parte diversam.

Morbi, quos hic mensis aluit, haud frequentes fuerunt scorbutici plerique, defluxiones nimirum, externas potissimum partes passim invadentes febribus catarrhalibus complicatæ, catarrhi quoque alii, ac tussis, eæque valde contumaces, arthritides vagæ, cephalææ, quartanæ nonnullæ, colicæ passiones & nephriti-

phriticæ, ut & pleuritides, tam veræ quàm spuriæ, paucæ tamen. Cardialgiæ, anginæ, diarrhœæ, sed parcæ, dysenteriæ adhuc parciores. Id quod hic annus peculiare his locis habuit ob fructuum proventum valde coneisum; frigus enim ab ineunte vere calore frequentius arborum floribus infestum, ne in fructus erumpere possent, obfuit, ac quicquid etiam hujus offensam effugerat, à frigore æstatis insolito & autumni, ne vel adolesceret vel matureſceret impeditum fuit; hinc sublata causâ sublatus quoque fuit effectus.

Postremus hujus ut quarti trimestris, hic anni mensis December primâ die (21. Nov.) turbidus fuit, procellosus ac frigidus. 2. Dec. [22. Nov.] serenior cum frigore gelu reduxit sequentibus diebus ad novilunium 6. Dec. [26. Nov.] apparens & sequentes etiam usque ad 9. Dec. (29. Nov.) continuans. Qui glacialis initio in pluviam subito liquescens, pluvias lenes per biduum durantes addidit, donec 11. (1.) primæ quadræ 12. (2.) lucentis anteambulo cum serenitate gelu moderatum reddidit, ac eodem tenore ad 15. (5.) vesperam usque perdurans, 16. (6.) gelu mitiori aere turbido temperavit. Hanc verò insequens 17. [7.] manè gelu rigidus à meridie austro satis austerè flante degelavit. 18. (8.) primas hoc anno nives plenilunii 19. [9.] appropinquantis præcones sparsit, respirante simul aliquatenus gelu. Cui tamen rursus dies noctesque gelidæ & quidem nonnunnullæ satis intensæ succesſêre, nivibus quandoque 21. [11.] & 22. [12.] præsertim, qui densam manè adjecit nebulam, in aërem tandem elevatam ac nivis raræ specie stellularum ad instar recidentem, nec non 25. (15.) & præcipuè 26. [16.] ubere illarum proventu fœcunda, ut & 27. (7.) ultimæ quadræ præcursor gelu moderatum nivibus intertexens. Ultima quadra 28. [18.] splendens copiosas nives primùm leni cum gelu tulit, mox flante circa vesperam Favonio planè eas colliquans: Quas tamen nox sequens rursus gelida quadantenus constrinxit; Sol verò 29. (19.) denuo solvit ac leniter degelavit. 30. (20.) gelu pristinum recuperavit vigorem, ac satis intenso rigore 31. (21.) mensem hunc simul Annum ipsum terminavit.

Morbos hic ultimus mensis genuit ad instar præcedentis febres sporadicas, primùm varias intermittentes & continuas, & ex his quoque mixtas, catarrhales, malignas etiam; purpurâ, morbillis, variolis quoque variegatas, defluxiones, catarrhos, erysipelata, cephalæas, anginas, ophthalmias graves, diarrhœas nonnullas & tusses contumaces.

Constitutio Epidemica Hassiaca Anni 1695.

Dn. D. MICHAELIS BERNARDI VALENTINI, *missa d.* 27. *Aprilis A.* 1696. *Giſſâ Augustam Vindelicorum.*

Constitutionem epidemicam Anni 1695. quod attinet, illa heîc locorum tolerabilis, & quæ DEI est clementia, benigna ferè fuit, ita

quidem ut plures, qui ob tempestatum varietatem & Proteiformes temporum mutationes morbos nobis sonticos prædixerant, in admirationem rapuerit. Licet enim Hyemem habuerimus variam & inconstantem, mox frigore mox pluviis molestam, succedente Vere præmaturo quidem, sed pariter inconstante: Licet quoque Æstas cum Autumno pluvia ut plurimum & uliginosa fuerit, interpositis æstibus quibusdam Solis subitaneis, affectus tamen leviusculos, sensibus magis, quàm vitæ incommodantes observavimus. Si enim ullus, hic anni cursus sensoriis externis summopere infensus erat. Sub Æquinoctio enim verno ophthalmiæ epidemicæ grassabantur, interpositis verò Martio & Aprili pleuræ collique inflammationibus à ventis inclementioribus præmaturum Veris calorem suffocantibus & humorum stases promoventibus, sine dubio exortis, quæ tamen suetis medicamentis diaphoreticis & discutientibus facilè cedebant. Post Solstitium æstivale mense Julio ulcera aurium quamplures infestabant, suppurata plerunque, quæ vel sponte vel sudoriferis & balsamicis curabantur. Tandem sub Æquinoctio autumnali Augusto decrepitò inflammatio gingivarum, linguæ & oris in hominibus, in brutis verò pedum inflammationes observavi hinc inde, quarum priores præmissis præmittendis Tinctura ligni sancti felicissimè sustuli, posterioribus Veterinariis relictis.

Constitutio epidemica Augustana An. 1696.

Dn. D. Lucæ Schröckii,

Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Præsidis.

QUamvis Anni hujus ingressus aerem serenum, nebulis tamen matutinis & vespertinis utplurimùm comitatum, cum acri frigore ostenderit, mox tamen temperatior ac serenus, quem subinde frigidiusculus, ut & mutabili sub Euri Zephyrique flatu pluviosus, rariùs nivosus intercedebat, fuit subsecutus; à Solis præcipuè in Pisces ingressu, usque dum Arietis signum attingeret, blanda adeo spirabat aura, ut arbores consueto citiùs gemmas protrudere inciperent, ac præmaturum Ver adesse videretur. Quæ tamen constitutio varias in corpore alterationes produxerat, atque latentia in eo morborum semina suscitaverat; unde ineunte mox anno seri in faucibus stagnationes catarrhosæ, tussesque pertinaces, ultra æquinoctium vernale plures civium infestantes, ut & postea febres purpuræ, variolæ, intermittentesque febres oboriebantur. Quas tusses, præter Pilulas de cynoglossa, vel styrace, nocturnam quietem, serum acrius contemperando, spirituosque agitatos sopiendo; parvâ dosi sumtas, feliciter conciliantes, variis temperatioribus pectoralibus, Aquis, Sirupis, Pulveribus, Electuariis, Tincturis, fibras partium spiritualium irritatas demulcentibus, pungentia acris lymphæ spicula obtundentibus, ejus-

ve

ve viſciditatem reſolventibus, interpoſitis blandiſſimis laxativis, præſertim Infuſo thee vel veronicæ, aut hydromelite, foliis ſennæ impregnatis, profligare datum fuit. Phthiſicos tamen aliquot citatiori gradu ad ſepulchrum deductos vidimus. Febres purpuræ in adultum uſque Ver non puerilem ſaltem ætatem, ſed provectiorem quoque, adoleſcentes æquè ac leniores, paſſim invadebant; aliquos mitiſſimè habebant, ut nec lecto ſe commitere opus haberent, neque etiam liberiori aeri expoſiti læderentur, ac ſine ullo medicamento, intrà biduum vel triduum convaleſcerent; in nonnullis verò graviùs inſurgebant, & cum notabili calore, debilitate, ac præcordiorum compreſſione, vigiliiſque lecto per octiduum, vel longiùs affigebant; temperatioribus tamen diaphoreticis, antimoniatis, cinnabarinis &c. efferveſcentiam impuriorum maſſæ ſanguineæ particularum refrænantibus, coagulationem ejus inhibentibus, illarumque per cutis poros eliminationem promoventibus, cedebant: nec deerat in quibuſdam contagium, quod uxori à marito, & vice versâ communicatum obſervavimus: oriebantur, præcedaneo utplurimum horrore, primò per univerſum corpus parvæ, rubræ maculæ, ſenſim dein majorem in amplitudinem ſe dilatantes, ac tandem aliquibus in locis, dorſo imprimis, ſquamularū inſtar cuticula decidebat; aderatque in omnibus oculorum pruritus, in nonnullis rubedo, tuſſis moleſta, corporiſque pruritus. Quibuſdam erysipelatis nomine donabatur; mihi febris purpuræ benignæ ſpecies, quæ D. Thomæ Sydenhamio in obſ. medd. circa morbos acut. ſect. 6. c. 2. febris ſcarlatina audit, commodiſſimè adpellari poſſe videbatur; quamvis hanc ipſam commodè quoque ad morbillos referri potuiſſe, cum D. Richardo Mortono Pyretolog. part. 2. exerc. 3. c. 5. non negaverim; quo etiam nomine Vulgo noſtro communiter adpellabatur. Variolæ puerili ſaltem ætati infeſtæ, primò miriſſimæ comparuerunt; quamvis enim pro more ſuo ante eruptionem calore præternaturali, capitis, oculorum, ventrisque dolore, vomitu, levioribus convulſionibus, atque deliriis, timorem in quibuſdam incuterent, ubi tamen prodire inceperant, cuncta pacatiora fuerunt reddita, atque inter paucorum medicamentorum, v. g. antimonii diaphoretici, cornu cervini philoſophice præparati, lapillorum gammarorum &c. vitioſæ lymphæ turgeſcentiam moderantium, & actiores ejus particulas abſorbentium, uſum, tempus ſuum absque inſigni moleſtia decurrerunt: inprimis ubi primæ corporis viæ priùs lenioribus laxativis fuerunt mundatæ, à qua luſtratione vidi, qui, ſigna imminentium variolarum, cephalalgia, dolor ventris, & calor febrilis licet jam comparerent, ipſique in eodem cum aliis varioloſis loco decumberent, ſine iis convaluerunt. Poſtea tamen, vere adulto, quosdam vehementiùs, & non ſine malignitatis nota adfligere ceperunt, quin & trucidarunt; quos inter puella ſeptennis facilè earum eruptionem ferens, erat, in qua tamen, præſertim in facie, die quinto, poſt iteratos aquæ frigidæ potus, quaſi ſubſiſtentes, cruſtâ ſaltem

quasi aliquâ depressione eandem obducebant, sanguis alvo crebrior excernebatur, & hinc inde, in faucibus potissimùm, nigræ pustulæ comparebant; cæterùm mente sibi constans, nec aliàs malè se habere adstantibus visa; die septimo obiit; postquam ejusdem sororcula, paucis ante diebus, sine ulla ferè cura medica decumbens, depressioribus etiam variolaceis crustis ubique obducta, itidem esset demortua. Febres intermittentes non quidem in adeo multis observabantur; quos tamen invadebant, in iis sine intenso calore aut siti, nulloque; utplurimum cum horrore, alternis, aut singulis diebus recurrebant: in omnibus, paroxysmo præsente, maxima de præcordiorum compressione, atque in regione dorsi his oppositа, usque ad nucham se extendente dolore querelæ audiebantur, ab austeriori lympha, quæ in glandulis stomachicis & œsophagi colligebatur, spasmodicasque fibrarum nervearum corrugationes excitabat, inductæ; pro varia etiam ægri constitutione, varia alia symptomata concurrebant: virum consistentis ætatis curandum habui, qui post superatam feliciter febrem continuam, paulò post alterâ illâ, nono tantùm die recurrentem, & tertio paroxysmo terminatam, intensissima cum pectoris & præcordiorum compressione, pulsu debili, respiratione tamen liberâ, correptus fuit; cujus etiam uxor, septimo mense gravida, post unicum talem eodem tempore perpessum vehementem paroxysmum, immediatè partus doloribus prehensa, sævissimisque totius corporis convulsionibus exagitata, fœtum vivum, pauculos post dies demortuum, insscia excluserat, sensimque denuo convaluerat. Cæterùm pro morboso austero viscidoque humore attenuando & enervando, præter urinosa volatilia, cortex Peruvianus suo hîc egregiè fungebatur officio; ita tamen ut alvus simul esset sollicitanda, partitisque vicibus excrementii humores lenioribus pharmacis educendi.

Nec hysterici adfectus non multùm diversa à causa oborti, atque loco tantùm, in quo sedem fixerat illa, fortasse discrepantes, hîc reticendi erunt, qui hoc tempore aliquot maritatas feminas, non gravidas, tum quæ menstruæ sanguinis evacuationi erant expositæ, tum quæ per ætatem eâdem destituebantur, vehementer excruciarunt, dolores nempe in lumbis ardore molestissimi, versusque pubem se extendentes, ac incertis periodis quotidie ferè adfligentes, quos tepidæ, & uterinis herbis alteratæ aquæ balnea multùm demulcere, essentiaque castorii volatilis opio immixto, profligare poterant.

Post Æquinoctium vernum horridior magis constitutio amœnitatem priorem exceperat, mutabilisque primò aëris temperies, mox frigore & Euri inclementiâ modestior fuerat; quam Sole in Tauro versante, calidior, pluviis tamen subinde comitata, exceperat; & postquam die 11. 21. Maij horâ decimâ vespertinâ levior terræ motus, quem post quinquehorium vehementior subsequebatur, Urbem concussisset, atque manè densior nebula (utrùm à vaporibus motu illo ex terra in auram emissis elevata? nescio; quamvis per integros

gros duos menses, neque ante, neque post hanc terræ conquassationem ulla alia Urbem nostram ambierit,) à sole tamen orto facilè discussa, successisset, frigidiorem subinde Jovem, & ubi sereno calore mitiorem quandoque se præberet, mox à tempestate ingruente denuo defervescentem, crebrisque pluviis terram madefacientem, persensimus; interea verò, præter dictas purpuras, tusses, variolasque, pleuritides etiam veræ, cum deliriis, febre, cæterisque consuetis symptomatibus, exserere se ceperunt, à venæ sectione, ubi dolor urgebat, diaphoreticisque absorbentibus dictis, & expectorantibus auxilium expertæ.

Nec deerant, cum Sol ad Gemellos accederet [præter tertianas & leviores ad guttur catarrhos ac uvulæ prolapsus,] febres petechiales, in superiori ferè Civitatis parte tantùm, qua meridiem spectat, inprimis etiam in Xenodochio publico, stragem multorum è plebe edentes; quarum contagium ex vicinia à famulitio Xenodochii allatum credibile erat. Mihi quamvis pauciſſimi talium ægrorum tractandi occurrerint, deprehendi tamen, hos, qui in morbi principio alvum adstrictam Antimonii diaphoretici largiori dosi, pauciſſimis Dacrydii sulfurati granis permixti, multis inde excretionibus subsequentibus, expurgarant, evasisse; aliis duabus feminis, quæ sine tali medicamento fuerant, mortuis; quamvis utramque diu morbum celasse, & nonnisi extremè ab eo coactas, lecto ac medicamentis se commisisse, sicque morbi periculosi principia neglexisse, fatendum sit.

Toto ferè Mense Junio, & Julii principio, Zephyri ferè semper inclementiam experti fuimus; qui præterquam quòd terram, pluviis equidem multoties madefactam, plurimùm exsiccaret, frigore etiam ingratissimo corpora nostra offendebat, sicque à natura sua planè desciviſſe videbatur, cum aliàs humidam calidioremque temperiem nobis conciliare soleat; Euro e contra, serenitatis aliàs & siccitatis nobis indice non fallaci, in mensis Junii initio pluvias præter morem accumulante. Sed ante solis in Leonis signum ingressum, posteaque ad ejusdem usque inde egressum, calores huic tempori convenientes satis insignes persensimus; quos tamen continua ferè ventorum, Zephyri imprimis spiratio, pluviis subinde intermistis, nunquam diuturnos esse permittebat. Interea Morbona magnas dabat inducias, nisi quòd circa Caniculæ occasum variolæ & morbilli (qui posteriores per reliquam subsequentem anni partem in aliquibus paucioribus sparsim efflorescere pergebant) denuo puerilem ætatem majori numero, admodum tamen benignè invaderent, ut major ægrotorum pars levioribus remediis, sine Medici opera convalesceret.

Et quamvis, à lymphæ, ob turbatam insensilem transpirationem, viscidioris coacervatione, & hinc in varias stagnationes pronitate, atque ex admixtis heterogeneis particulis aliis depravatione, quatuor postremis mensibus, vagi articulorum dolores, primâ in aliquibus invasione coxæ tantùm infesti; Mense Septembri insuper, post frigidos sic-

cosque

cosque Zephyri impetus, diarrhœæ & dysenteriæ; Octobri, tolerabiliorem aëris temperiem usque ad Decembris finem, qui frigore intenso nivibusque stipato comparuit, reducente, præter febres petechiales, immaturæ æquè ac provectiori virginum ætati; nescio quo fato? imprimis infestas, catarrhi, qui tussis molestiam [illegible] citabant, aut etiam in apoplexiam [illegible], levioremve desinebant, observaren[illegible]; quin & adultus Autumnus ind[illegible]ntes genarum tumores Oedem[illegible]sos, tussem humidam, asthma, [illegible] quibusdam febre intensâ comitatum, & catarrhos suffocativos produceret, non adeo multi tamen hisce epidemicè, morbisvè aliis sporadicè ægrotare deprehendebantur, tamque otiosa alcyonia nobis notabantur, ut non leves ad nauseam usque, aliquorum, quibus ex morboso aliorum infortunio lucrum capere volupe est, querelæ subinde exaudirentur; cum interea, quæ lymphæ stagnanti debitam fluiditatem conciliare, abundantemque ex corpore eliminare valebant, medicamenta salutarem operam navarent.

Constitutio epidemica Berolinensis An. 1696.

Dn. D. Gustavi Casimiri Gahrliep missa d. 25. Februarii An. 1697. Berolino Augustam Vindelicorum.

ANni 1695. mensis ultimus vario variatus Æthere, temperatum rigido miscuerat gelu. Hoc ipso tenore, in gelu tamen adhuc quam calorem magis propenso Januarius sequentis Millesimi, Sexcentesimi nonagesimi sexti anni initium, stylum Gregorianum si sequaris ad 10. ejusdem usque perseveravit, à 1. 10. st. Juliano ad ultimum ejusdem seu 22. 31. aeri uvido, pluviis ac nivibus quandoque intermixtis, paucis tantum sparsim intercalatis diebus gelidis, ac paucioribus adhuc serenis, remisso ferè penè penitus frigore delans, hyemis, aliàs ordinariæ hoc mense, loco veris primordia substituens, integrum sui dimensum absolvit.

Successit hinc Veris quasi prænuncius Februarius, quem, si paucas noctes exceperis, aliquatenus gelidas, nonnullosque dies nubilos ac pluviosos, serenitate atque amœnitate, prolectis etiam in hortis, meo quoque, floribus, Colchico, Croco vernali, & similibus præcocibus, cum verè certantem, Majum potius, quàm Februarium dixisses.

Quem Martius excepit frigus, noctibus præsertim gelu rigentibus, ac diurnis nivibus, pluviis, & grandine quandoque, cum solis splendore sed rariori alternantibus, florum ulteriorem proventum intercipientibus ad 17. 27. usque qui cum sequentibus verno sudo ac tepore gratus, hunc primum anni quadrantem terminavit.

Venti uti in hoc, sic in sequentibus fuerunt pro Ætheris varietate varii, nec ullo ordine enumerandi.

Ja-

Januarii morbi fuerunt præcipui, Febres ardentes ac malignæ diversis symptomatis stipatæ, ac malignitatem, nunc hujus, nunc alterius generis exanthematis prodentes, præsertim variolis, epidemicè grassantibus, partim malignis, & confluentibus, partim benignis, quæ à subsequentibus posteà morbillis exceptæ nonnunquam & petechiis mixtæ.

Februarii febres variæ, catarrhales, ardentes, malignæ etiam, petechiis & morbillis suspectæ, ut & pleuritides nonnullæ fuerunt.

Martio mense rariores fuêre febres, molestè tamen ac quædam malignitatis non expertes: præterea & intermittentes nonnullæ, tertianæ potissimum, raræ quartanæ. Ophthalmiæ denique & oculorum inflammationes, tam hoc, quàm præcedentibus & sequentibus mensibus frequentes, contumaces valdè, ac quædam etiam periculosæ. Defluxiones ut plurimum â capite ad partes subjacentes, pro causa agnoscentes.

Febrium illarum epidemiarum occasionem præter ætheris & aeris perpetuâ varietate turbati, varia contenta cum aere hausta, ac in corporibus continuâ illâ aeris mutatione, accedente diætæ nonnunquam inordinatæ vitiis, sic vel aliter prædispositis, humores fermentando moventia & in orgasmum illum præter naturalem cientia, sicque nunc hâc nunc aliâ ratione exagitantia, atque ad separationem & expulsionem particularum noxiarum ipsis communicatarum, sed iisdem infestarum stimulantia. Qualia autem sint illa miasmata, cujus naturæ, substantiæ, materiæ, formæ, quarumve qualitatum & accidentium, aut, ut cum modernis loquar, cujus configurationis, texturæ, motus, activitatis &c. determinare meam transcendit, ut ipsum Æther, ingenii mediocris, & ob ætatem quodammodo jam torpentis, sphæram, hujusmodi subtilitatibus neutiquam, quadrantem.

Aprilis à primo die styli Gregoriani aut 22. Martii Juliani pauciſſimis sparsim intercedentibus diebus pluviis uti 31. 10. Martii hujus circa vesperam, ac quibusdam ventosis uti 5. 15. 8. 18, 9. 19, 10. 20, 13. 23. & sequenti ad meridiem usque, omnes ferè à frigore nocturno, diurno verò tepore remittentes, ad æstivum calorem paulatim & serenitatem transeuntes, æstatem penè loco veris induxit.

Quo prope tenore Majus etiam, variato licet nonnihil & aucto dierum ab æstiva amœnitate deflectentium, frigidorum, turbidorum, & pluviosorum numero & ordine processit ac transiit.

Junius magis fuit Majo & quotidie ferè, serenitate tamen nonnunquam sed transitoria intercedente, pluviosus & quandoque nimbosus.

Morbi mense Aprili parci fuerunt, pauciſque funesti, præter enim continuantes adhuc oculorum inflammationes illas contumaces, sparsasque hinc inde febres, tam intermittentes, & inter eas & quartanas simplices & duplices, sed raras, quàm continuas, imo & quasdam malignas erysipelatodes, pleuriticas, & morbillosas, vix alii occurrerunt hoc mense morbi.

Majus paulo copiosiores morbos

 tulit

tulit, sed epidemium nullum, nisi prædictas sæpius ophthalmias & inflammationes oculorum, febresque quas cum Aprili ferè communes ac convenientes habuit.

Junio Mense, pauciores adhuc, scorbutum, præcedentibus quoque mensibus non rarum & venereum luem, sororios illos, illam malignitatis pravæ, hunc pravitatis spurcæ, sed sub illius larvâ sæpiùs latentis, stigmate notatos, nimis hic, proh! omni tempore frequentes, si demseris, fuerunt.

Cum pauci hi, qui hoc trimestri fuerunt morbi, cum prioris trimestris morbis genio & moribus ferè convenerint, causæ quoque eædem aut parum diversæ procul dubio eos produxerunt, insolitus præsertim his locis hoc anni tempore calor æstivus ferè; Quod verò rariores fuerint, aeris æquabilitas & perpetua ferè calori moderato juncta temperies, serenitas & amœnitas. Talis enim cum fuisset Aprilis, nec Majus ab eâ admodum deflecteret, paulo quidem plures, sed ejusdem ferè farinæ morbos aluit: Prædictos si exceperis, qui omnium hîc temporum dici merentur, sicque ex parte endemii. Qui etiam Junio mense magis, ob aëris majores turbas, frigusque cum cœlo pluvioso quandoque recrudescens, illis affectibus præcipuè infestum malitiæ suæ & infamiæ notas exseruerunt, ac Medicis proinde plus atque Chirurgis negotii facessserunt.

Julii initium turbido primâ die cœlo, tonitru secunda superaddidit. Succedente æstivo unius alteriusve diei æstu, pluvias tandem sudo ac tranquillo temperatoque aëri nonnunquam interspersit ad Caniculæ usque ortum, qui aliam aeri faciem frigidam procellosam ac nimbosam induit, sudo tamen sequentibus diebus interpolatam, ac æstu gratis subinde Etesiis, ac pluviolis suavibus temperato emendatam.

Augustus Julio, variato tamen nonnihil mutationum tam aëris quam æstus ordine, amœnitate ac temperamento respondit.

September 22. Aug. st. v. 1^mo^, die mox procelloso & nimboso ab æstivo aliquatenus calore, simulque amœnitate præcedentium mensium gratia recessit, atque frequentiores aëris turbas, ventos, pluvias, temperamento præcedentium addidit.

Morbi mense Julio, præteriti Junii morbos tam paucitate quam moribus æquarunt, propter affinitatem forte temperiei aeris. Nisi quod Catarrhi ac tusses ob repentinam cum Caniculâ ingruentem caloris æstivi præcedentis in frigus, pluvias & nimbos mutationem, ac affectus alii scorbutici paulo frequentiones hoc mense, quam præcedenti fuerint, pleuritides quoque nonnullæ & anginæ satis frequentes, à defluxionibus scorbuticis ortæ, valdè contumaces ac periculosæ, eo præsertim symptomate, quot ut plurimum in tumorem grandem ac apostema tandem junctura ac processus maxillæ inferioris occupans, idque cum cruciatibus insignibus, donec nimirum maturuerit ac internè spontè crepuerit, maxillam immobilem reddens, sicque oris apertionem ac sibi assumtionem plures dies præcluderent fame ferè perendum fuerit affectis, desierint.

Quod

Quod tamen incommodum & periculum nonnulli impositio maturè emplastro resolvente & discutiente, sicque discusso tumore evaserunt.

Causam hujus symptomatis sanè peculiaris, si quis præter communem omnium phlegmonum ac tumorum, affluxum nimirum & stagnationem incrassati aere prædicto frigido ac uvido sanguinis, desideraverit, ac cur junctaram illam potius quàm aliam faciei aut colli partem affecerit? quæsierit & flagitarit è principiis mechanicis eruendam juxta hodiernam Medicinæ theoriam, hunc ad perspicatiores me, nondum in his apicibus satis exercitato, & veterum adhuc placitis quadantenus inhærente remittere cogor.

Augustus, ut & exparte September sequens, quasdam adhuc affectus servavit reliquias, in cæteris quoque Julio mensi morborum varietate ac febrium præter catarrhales nonnullas, raritate conformis.

September prædictis febres quasdam, etiam ardentes, asthmata, anginas, rariores tamen, inflammationes oculorum, aliaque similia symptomata superaddidit, aëris proculdubio abæstivo fervore in auctumnale frigus & udum ætheris temperamentum jam degenerantis, soboles.

Octobris primum biduum Septembris æquavit exordium frigore, aëre turbido, ac pluviis, Alterum biduum sudo ac temperate calido æthere acceptum, sequens triduum pluvii, vento frigido, ac aëre turbido incommodum, quatriduo tandem amœniori rursus pensatum. Cæteri ad 10. 20. usque, vario cœlo, si frigus auctumnale, moderatum tamen exceperis, temperati, pruinâ nocturnâ sequentis gelu nocturni præ-nuntiâ, hiemem præcocem minatâ, dubiam reliquis diebus serenitate satis stabulis ventis tariùs pluviosisque interpellatâ, cœli faciem, ac frigoris intensioris aliqualem tandem metum fecerunt.

November à primo, excepto solum 27. 7. Octobris, qui totus undosus, ad 5. 15. usque serenitate ac amœnitate aëris, Verni ferè commendabilis, frigore postea auctiori & intercalatis diebus nubilis ventosis atque pluviosis paulò inamœnior, temperatus tamen adhuc, hyemis exordium satis tolerabile, ad ipsum usque sui finem effecit.

A Decembri non minus, quâ initium tolerabili, exceptus, ad 30. 10. Novembris usque serenum ac gelidum. Qui mutatâ facie nivem primam pluviis nonnullis intermixtam, sequenti manè tulit, cui gelu postea, ad ipsum usque sui ipsius & anni finem, remissius quidem nonnunquam ac nivibus paucis interpolatum continuans successit.

Morbos October præter prædictam in guttur & Maxillæ junctaras febri catarrhali junctam, defluxionem, nondum planè desævientem, Arthritidem vagam scorbuticam, Nephritim, Hypochondriacos quosdam affectus & scorbuticos aluit, Præterea diarrhæas nonnullas, parcas tamen, choleram: Dysenteriæ verò, utut proventush oc anno fructuum arboreorum satis fuerit, gulâ adhæc non etiante, oppido raræ, id quod admiratione non indignum.

November Pleuritides frequentiores, ut & affectus nonnullos hyste-

ricos, colicos, scorbuticos, oculorum inflammationes, catarrhos, tusses, & id genus alios, autumno frigido & pluvioso, nimboso & aliàs variato Ætheri debitos; Febres præterea catarrhales, continuas initio, mox, accessionibus & paroxysmis interpellatas, in ardentes quoque quandoque easque malignas degenerantes induxit.

December præter enumeratos Hæmoptoën quandoque, etiam non præsente aut præcedente pleuritide, Rheumatismos; aliasque defluxiones varias, scorbutis nonnunquam mixtas prodidit.

Causas horum morborum & symptomatum eos stipantium, præter diætæ vitia, & obnoxiam hinc fortè aut ob nativitatis stigma, corporum ad recipiendas varias tum ab aëre frigido & humido autumnali, frigido vero & sicco hyberno injurias, tum ab exorbitantibus animi pathematis molestias ac vicissitudines prædispositorum diathesin, indeque nascentes humorum alterationes, fermentationes, ebullitiones, alias assignare aut determinare vix ausim; Quod si verò quis certa quædam, sed vix præcognita aut dignoscenda, nedum definienda Ætheris miasmata; occultis, sed nunc in exilium actis, qualitatibus valde affinia, accusare velit, huic haud difficulter astipulabor.

Cæsareo Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Academiæ Præsidi, Per Illustri ac Generoso domino Dn. LUCÆ SCHROKKIO, Sac. Cæsareæ Majestatis Archiatro, ejusque Personæ Imperialis Medico, S R. I. Nobili, Aulæ Cæsareæ, Palatii Lateranensis, & Consistorii Imperialis Comiti, Academiæ Patavinæ Recuperatorum Collegæ, ac Reip. Augustanæ physico ordinario. Patrono ac Fautori Magno.

Salutem Officiosam

Conradus Bertholdus BEHRENS.

CUm nullas unquam ab Illustri Generositate Tua literas accipiam, in quibus non subinde, continuatione historiæ Epidemicæ semel cœptæ, hortaris; Tum imprimis singulare illud Societatem nostram exornandi, ac medicam rem promovendi studium, ex proximis luculenter apparet. Ego verò, quamvis hactenus urgentibus viris magnis, & quorum jussa capessere fas est. Genealogicis edendis occupatus sim, non tamen parerga hæc, tanto apud me loco sunt, ut res, quibus totum me dedicavi, artis scilicet nostræ, sive apud ægros faciendæ, sive scriptis illustrandæ iis postponam; Ac propterea multo citius Generosa Tua magnificentia me officio meo defunctum vidisset, modo materia historiæ Epidemicæ consignandæ apta se obtulisset.

2. Post

2. Poſt ſolſtitium enim vernum anni elapſi, & luctuoſiſſimam patriæ noſtræ variolarum luem, vix cum media æſtate deferveſcentem, quin adhuc ſporadicè graſſantem, parum dein ea æſtate circa morbos accidit, quod quidem epidemici nomen mereri, aut ſcripſioni anſam ſuppeditare poſſet; Neque enim quod unus atque alter inordinata diæta uſus, animique affectibus abreptus, tertiana ſeu duplici, ſeu ſimplici, colico dolore, vel ſi ſexum attendas hyſterico corripiatur, hic ſanguinem ſpuat, iſtum calculus torqueat, hypochondriaci aere nubilo, & circa ſolſtitia magis angantur, alius alio modo laboret, Epidemium ſtatim eſt, ſi quidem nec adeo multi eodem tempore, & ex cauſa communi uno dictorum morborum affligebantur. Pleuritides quidem nothæ, & peripneumoniæ pituitoſæ uti apud nos omnium temporum morbi ſunt, ita & ſubinde iis quidam tam adultæ quam minoris ætatis decumbunt, verum nec illæ ſingulari aliquo ſymptomate, ceu vulgo in conſtitutionibus Epidemiis fieri ſolet, ſtipatæ erant, nec cauſæ alicujus univerſalitas accuſari poterat, inter ſporadicos affectus tum potius numerandæ.

3. Illud vero forte huc referri poſſet, quod mulieribus, quales ego intra duorum circiter menſium ſpatium non paucas novi, circa æſtatis declinationem frequentes effluxus eſſent; cum menſibus perduos treſve circuitus ſubſiſtentibus, & nauſea quadam comitante, ut & aliquali ventris intumeſcentia ſuperveniente, gravidas ſe arbitrarentur, poſtea vero obortis derepente dorſi lumborumque doloribus, parturientium haut abſimilibus, cum maxima anxietate; hyſtericaque ſyncope, grumi ſanguinis enormes, maſſula informis, ſubſtantiam modo veſicalem, modo pinguedinem membranoſam referens, in medio tamen cava, humoremque mephitin olentem continens, excideret, ac ſanguis primo fœtidus, grumoſus, dein verò floridus in magna copia excerneretur, & ægræ, veluti puerperæ, per aliquot ſeptimanas lecto affixæ decumberent, donec ſenſim reſtitutæ, priſtinæ ſanitati redderentur. Forte autem quis dubitaret, an circa generationis & pariendi negotium epidemici quippiam accidere poſſet, egoque ipſe primo anceps hæſi: Cum vero annum hujus ſeculi octuageſimum quintum gravidis valde noxium & pernicioſum exſtitiſſe, & haut abſimiles abortus proveniſſe diverſis in locis, Excellentiſſimi Viri *Hannæus* & *Müllerus*, in Decuria ſecunda, anno quarto & ſexto Miſcellaneorum noſtrorum, notarint, expedita res eſt, nec video quo pacto & effluxus ejuſmodi Epidemice contingere poſſe quiſpiam negare poſſet; Ab aëre vero ſanguineam maſſam concitante eoſdem dependiſſe non arbitror, namque eo modo & alios ejuſmodi fermentativos effectus, diarrhœas ſcilicet contagioſas & dyſenterias habuiſſemus, de quibus tamen illo autumno vix quippiam apud nos auditum, ſiquidem unum atque alterum junioris ætatis viridia dejicientem, aut colicas quaſdam adultorum excretiones exceperis. Nec malum cibum potumque, quamvis alias ad conſtitutiones morborum

epidemias ſuum ſymbolum conferant, hic quippiam attuliſſe opiner, alterius enim ſexus tantum labes erat, & perſonarum in ſtatu certo conſtitutarum. Arbitror vero ejuſmodi mulieres, individuali, ſi ita loqui liceat, ſua corporis maſſæque ſanguineæ conſtitutione ad effectus hujuſmodi concurriſſe. Cum enim pleræque illarum circa tempus vernum febriles inſultus perpeſſæ fuiſſent, ac ab eo tempore ventriculi imbecillitate laborarent, hinc maſſa ſanguinea nondum debite reſtaurata, nec ſpiritus animales vigoroſos ſuppeditante, ovula quoque muliebria debite conſtituta eſſe non potuerunt, ut ea propter, quamvis à ſemine virili fœcundata, & ad uterum promota, tamen contentorum ſtaminumque expanſionem pro corpuſculo fœtus ſenſim effigurando, adipiſci non potuerint, ſed in informes maſſulas excreverint, ac mora putredinem contrahentia partes uterinas ad excretionem ejuſmodi & effluxus ſtimularint, conferente ſymbolum ſuum ſanguine matris ichoroſo & acriori. Rem certe ita ſe habuiſſe, vel inde palam evadit, quod quædam eo malo affectarum in cachexias lethales delaberentur, aliis cum tempore ad ſtatum naturalem devenientibus. Cum vero debilis ejuſmodi conſtitutio à cauſa communi, febribus ſcilicet vernalibus dependerit, hinc quoque ratio epidemia effluxuum magis pateſcit. Uti enim recte obſervat Illuſtris *Ramazzinus* in Diſſertatione prima, Epidemii morbi non conſtitutionum præſentium, ſed præcedentium producta ſunt.

4. Et hæc quidem ante ſolſtitium hyemale; Illo vero ingruente, ac aëre magis boreali exiſtente, juniores, qui circa æquinoctium vernale variolis laboraverant, maxime infeſtabant tuſſes acres & convulſivæ, peripneumoniæ, febreſque forte eandem ob rationem, quod digeſtione ſcilicet ab eo tempore imbecilliori exiſtente, ſenſim ſenſimque exhalantibus ſcilicet per æſtatem partibus tenuioribus multa viſcida ac acris pituita in præcordiis ſe accumularit, & ſuperveniente aëre boreali, acorem contraxerit, ſimilique modo ſanguinem infecerit, ut dein cuncta hæc quaſi in peripneumonias & pleuritides nothas, aut quoque ſimplices diaphragmatis irritationes, quarum producta convulſivæ tuſſes ſunt, collimarent. Atque uti in tuſſi nihil magis conducebat ac lenientia, acrimoniamque demulcentia, ita quoque plurimi laxativorum imprimis beneficio in integrum reſtituebantur, non pauci tamen convulſionibus ſupervenientibus ante primum ſeptendium ſuffocabantur.

5. In Adultis vero eo tempore præ cæteris quoque affligebant peripneumoniæ, pleuritides, phthiſes, arthritides vagæ. Peripneumoniæ, pleuritideſque, poſt ſolſtitium hybernum in majori copia, pituitoſæ magis, ac tunc quidem ſenibus maxime lethales. Incipiebant cum dolore ventriculi tenſivo, dorſi quoque ac cordis anguſtiis. In quibuſdam pleuritide notha decumbentibus, & quibus alias hypochondrii ſiniſtri dolores moleſti erant, diarrhæa quædam ſeorſa, ramentis interdum ſanguineis comitata, cum levamine ſuperveniebat.

6. Phthi-

6. Phthiſes quidem omnium annorum circa autumnum morbi ſunt, tum tamen vitio magis præcordiorum exiſtere videbantur, cum eorundem, hypochondriique imprimis ſiniſtri dolores frequenter concurrerent, flatulentiæ vomitusque æruginoſi, nec ſputum cruentum eſſet, quod ipſum tamen, ſiquidem phthiſes hæ primario à pulmonum ulcere dependiſſent, continuo cruentum eſſe debuiſſet. Non autem novum, dari phthiſicos toto morbi decurſu nihil omnino cruoris ejicientes, notavitque poſt alios id anno nono Decuriæ primæ Miſcellaneorum noſtrûm Excellentiſſ. *Dn. D. Scharfius* in juvene phthiſi ex ſputo ſenſim poſt nimium opiatorum uſum ſuppreſſo, exemplo licet huc non admodum quadrante illud tamen, quod volo, abunde probante. *Zacutus Luſitanus* ejuſmodi phthiſes incruentas Aſthmaticas vocat, quæ ipſa tamen denotatio apud ægros noſtros locum non invenit, non enim memini quoſdam ex iis Aſthmate ſimul laboraſſe, nec in iis qui forte obierunt, Vomicas ſimul adfuiſſe ſuſpicor. Phthiſes enim noſtræ pleræque vel ex catarrhis exiſtebant, vel ab humoribus in præcordiis corroſivam ferè aciditatem contrahentibus, ſimilique qualitate ſerum ſanguinis, ſputi materiam, imbuentibus, dependebant. Hinc etiam in non uno ſputa æruginoſa notabantur, in aliis etiam bilioſa; Non tamen adeò ſemper lethales erant, quin aliquot ab omnibus pro deploratis habitos, ſolo lactis caprilli potu, utpote optimo & nunquam ſatis laudato corroſivam ejuſmodi ſuccorum ſanguiniſque acrimoniam corrigente, partim reſtitui, partim adhuc ſervo, cum reliqua auxilia acori oppoſita, modo ignea ſuâ volatilitate febrem comitem augerent, modo ſalinis ſpiculis tuſſim magis irritarent, decocta autem pectoralia tonum ventriculi admodum laxarent, & ægris appetitum omnem auferrent, Lac vero ipſum, methodice tamen uſurpatum, notante id ſimul Illuſtri *VVepfero*, medico quondam nulli ſecundo, in Epiſtola ad Verzaſcham, hypochondria emendet, febri lentæ reſiſtat, habitum firmiorem; colorem nitidiorem, vireſque robuſtiores conciliet, quin novos plane homines efformet, methodice dico uſurpatum, namque in bilioſis complexionibus, aut ructibus jam exiſtentibus acidis aſſumptum, per Vomitum inſtar materiæ caſeoſæ rejectum vidi, quique in prandio piſces, aut alios cibos inconvenientes ſubjungebant, iis febris de nocte augebatur.

7. In febribus tertianis quartanisque, quæ tamen admodum paucæ, magis ac alias inſignis dorſi dolor notabatur, & vomitus in paroxyſmis moleſti erant. Quartanæ tamen non admodum rebelles exiſtebant, & aliquot vulgariſſima methodo, & remediis fere domeſticis abſque corticis peruviani uſu fugavi.

8. Arthritides autem vagæ præludia erant ſcorbuti cum novo anno ſecuturi. Dolores modo totum corpus corripiebant, de membro in membrum, aura citius, deſilientes, in quibuſdam etiam tubercula ſubito erumpebant, mox iterum evaneſcentia, cum ſubſequente leviore paralyſi. Inter conſueta contra hunc morbum remedia mixturam ſimplicem ſa-

tis

tis laudare nequeo, quæ uti alias divinum remedium in plurimis morbis exiſtit, ita & hic debita cum circumſpectione uſurpata, nunquam me quod ſciam fefellit.

9. Cum novo vero anno aër, rariſſimo valde, nec ſenibus obſervato exemplo, plane æſtivus tepidus achumidus ultra duos menſes conſtanter perſtitit, ita ut ne pruina quidem noctu terras obtegeret, & ranæ coaxare inciperent. Sub ipſum æquinoctii tempus nix iterum & hyems per aliquot ſeptimanas valde aſpera, unde & morbi tum majori numero ingruebant, ceu fieri conſuevit temporibus anni debitam ſuam conſtitutionem non ſervantibus. Ex iis vero erant Apoplexiæ, defluxiones, Febres varii generis, cachexiæ, ſcorbutus.

10. Apoplexiæ, non ſenibus tantum, quorum alias morbus eſt, ſed & iis, qui vegetæ adhuc ætatis, contingebant; Ægri ſubito animo linqui videbantur, quibuſdam per ſomnum obveniebat malum. Non tamen adeo lethales erant, ſed lympha nervoſarum partium obſtructionem extravaſatione ſua cauſante, ſeu ope ſudoriferorum volatilium, ſeu quoque propter febrim interdum unà ſuperveniente reſoluta, inque motum iterum comitata, circa diem octavum plerumque terminabantur, abſque remanente paralyſi. Quibuſdam rubedo in parte quapiam externa, altero ab inſultu die ſuperveniebat, quæ tamen topicis reſolventibus facile cedebat. Nec tamen omnes qui ſubito ita interibant apoplexia proprie dicta extinctos opiner. Quidam non infimæ ſortis vix trigeſimum ætatis annum excedens, & ex frequentiori eryſipelate ſiniſtrum pedem tumidiorem gerens, per octiduum de gravitate cordis ac oppreſſione ejuſdem, ut & punctione in latere dextro querebatur, cui ut levamen daret, venam in brachio aperit, ſanguine nimis largiter educto. Altero veſperi inter choreas ſubito animo defecit, ſtertit & dicto citius exſtinguitur, cadaver mane apertum, & quantum in tumultuario iſto caſu licuit, perveſtigatum, viſcera parteſque omnes, præterquam pulmones ſanas retulit. Ex his enim lobus dexter undique annatus, & parenchyma ejuſdem per tranſverſum diſſectum, abſceſſibus ſinuoſis obſeſſum ſe præbuit, haut abſimilem in modum, quem notarunt in Miſcellaneis noſtris Excellentiſſimi Viri, & quidem Decade prima, Anno ſecundo *Dn. VVinclerus*. Decade ſecunda, Anno octavo, *Dn. Dolæus* & Anno decimo, *Dn. Hartmannus*. Præterea attactu diffluebat pulmo, nigriorque erat, ut adeo ſanguis per choreas ejuſmodi concitatior redditus, per illum pulmonis lobum, juxta proportionem motus acquiſitam, moveri non potuerit, atque hinc in dextro cordis ventriculo, in quo magna ejus grumeſcentis, copia exiſtebat, ſuffocatus fuerit, illeque quaſi ſyncope correptus, momento citius exſpirârit. Nulla interim incute livoris macula, aut ſanguinis ex naribus, ore vel auribus eruptio, eoque modo pleroſque extinctos arbitror, qui circa æquinoctium illud paſſim ſubitanea morte obibant; Vix octiduo poſt, alius ſubito inter eundem in platea expirabat, veſperi, ſexagenarius fere, & colicis doloribus obnoxius

xius. Animo sensim defeciſſe, & se deficientem de momento in momentum percepiſſe ſupervenientes notarunt. Post mortem pars illa siniſtri lateris à collo ad coſtarum notharum extremitatem livida deprehenſa, quod etiam ſanguinis in corde & vicina regione grumeſcentiam arguit.

11. Febres varii generis erant ſine dubio juxta temperamentorum, conſtitutionumque in individuis varietates ita diſcrepantes. Aliquibus ephemeræ, ſed adhuc ſemel poſt unum alterumve diem repetentes. Quædam primis diebus intermittentes erant, & remittere videbantur, dein vero evadebant continuæ. Verè verò intermittentes, quo magis vernum tempus appropinquabat, eo minori numero. Quæ vero primo ſtatim inſultu continuæ apparebant, in iis modo calor modo frigus, de cœtero acutæ valde, cum dolore nuchæ invadentes, & levi delirio primis ſtatim diebus, circa diem nonum pleræque ſeu ad ſalutem, ſeu ad mortem terminabantur. In quibusdam petechiæ apparebant, quas à malignitate ſcorbutica haut erronee quiſpiam deduxerit. Aliis vermes in principio, præcedentibus magnis cordis anguſtiis, & comitante delirio proveniebant, quorum tamen aliquot, quamvis ætate provectos, ſervatos memini, cum alias in malignis pro peſſimo ſigno vermium in principio excretio habeatur. Quorum vero ſanguis per venam ſectam eductus in ſuperficie inſtar pultis albæ concreſcebat, iis quamvis in principio nulla pleuritica, aliave pectoris affecti ſymptomata adeſſent, tamen circa ſeptimum calore remittente tuſſis & phlegmatum expectoratio ſuperveniebat. Malignitas vero major, quò magis ad æquinoctium accedebant. Quibusdam in locis adeo acutæ & contagioſæ, ut ægros altero die obiiſſe, ſuperveniente puſtula magna & nigra in femorum altero fama referret. Alio in loco junioribus bubonum in inguinibus tumor ſupervenie-bat. Quidam circa diem octavum melius habentes, & ſanorum ſimillimis imprimis quibus urina poſt quartum diem apparebat citrina, circa duodecimum malignè relabebantur, maximo cum delirio, & generis nervoſi ſymptomatibus, in quibus deſperata res erat. Video hoc ipſum ab Excellentiſſimo *Ridlino*, Anno primo Linearum medicarum, vocari, Febrium malignarum inducias, nec ineleganter, noſtri tamen ægri in medicamentorum uſu continuabant, & nihilominus cum fœtore redibat malignitas. Alii, qui videbantur reſtituti, levi circa res non naturales commiſſo errore recidebant. Certa vero methodo omnes ii, qui continuò ægrotabant, tractari non poterant, citius vero evadebant, qui temperato tam medicamentorum, quam aliorum rerum regimine tractabantur, imprimis vero acidorum medicamentorum uſui, ſi quidem pectoris conſtitutio eadem concedat, facile cedebant.

12. Defluxiones, neque enim vox adeo abſurda ſemper, ut non interdum retineri queat, cum catarrhorum in externis partibus deſcenſus omnino accidat, & evidenti exemplo à Generoſa T. Magnif. anno tertio, decuriæ ſecundæ Miſcellaneorum noſtrorum

strorum probatus, & à me quoque circa initium februarii, in quodam Societatis Jesu Professore observatus, cui post acerbum scapulæ sinistræ dolorem juxta tractum spinæ dorsi humor sensibiliter deorsum ruebat, ad os sacrum usque, ubi per aliquot dies substitit. Exin tam diaphoreticis internis quam topicis resolutus quasi, seu potius mobilis factus, per femur istius lateris & pedem ad plantam usque descendit, de nocte magis affligens, donec tandem remediis convenientibus plane discuteretur. Defluxiones inquam, magno numero circa id tempus occurrebant, ad oculos, aures, maxillas, uvulam, cum ejusdem & faucium erosione interdum, ad pectus, scapulas, & quorsum non. Interdum subito, ut ita loquar recedebant, calore aliquo febrili & lassitudine per octiduum subsequente, in quibusdam vero membrorum contractura, aliisque latentis scorbuti symptomatibus. Imprimis quoque frequens humorum serosorum ad sinistrum scrotum decubitus, præcedente quadam quasi horripilatione, sinistri hypochondrii dolore, & in inguine tensione. Ad hydroceles vero pertinebant, hydragogisque internis, & topicis his in casibus consuetis curabantur.

13. Cachexiæ pedumque tumores imprimis circa æquinoctium vernum notabantur, præsertim in iis, qui Asthmati & catarrhis obnoxii erant. In plerisque cum diminuta urinæ excretione, eaque modo viscidum & album, modo rubrum sedimentum referente. Etiam in puerperis quibusdam observatum hoc malum, quibus alias nihilominus lochia rite fluebant. Causa vero imminutæ hujus excretionis, cum nulla circa vesicæ regionem gravitas deprehenderetur, hinc in massa potius sero sanguinea nimis viscosa & tenaciori quærenda, cui etiam curatio consentit, namque ægri à nullis remediis melius habebant, quam ab attenuantibus incidentibusque, salibus scilicet diureticis fixis cum volatilibus combinatis.

14. Restat scorbutus qui ipse quamvis Endemium apud nos malum sit, non memini tamen intra aliquot annorum spatium, adeo frequentem extitisse, ac post solstitium hyemale. Non quidem me fugit, prudentes medicos interdum ejusmodi affectus, quorum genuinas appellationes ac causas ægri aut horrent, aut propter terminorum artis subtilitatem capere nequeunt, scorbuti nomine efferre, nec minus & illud commune dicterium me latet, scorbutum esse asylum ignorantiæ medicæ, pluriſmosque affectus, quorum nomine eum incusamus, vel morborum fientium nullumque adhuc certum typum adeptorum effecta esse, vel etiam infelicies reliquias existere morbi alicujus nondum penitus destructi, à quibus sanguis & cæteri humores contaminentur, ceu utrumque recte animadvertit *Sydenhammius*. Cum tamen superioris ævi medicis placuerit ejusmodi dyscrasiæ massæ sero sanguineæ, in qua partes nitro sulphureæ cum quadam viscositate, præ cæteris magis exaltatæ, & spiritus vitales (utor termino communi) simul depressæ existant, scorbuti nomen imponere, & verba usu valeant, ceu nummi, hinc quoq;

pra-

præsente ejusmodi sanguinis statu, ac symptomatibus ab eodem dependentibus, voce hac uti nolle, nescio quæ animi singularis opinio existeret. Et certe non apud adultos solum, sed & qui junioris adhuc ætatis erant, & in infantia constituti, frequentia ejus generis symptomata notabantur. Morbillorum enim radices haud incommodè quis in diathesi scorbutica quæsiverit, in aliis lassitudines, hæmorrhagiæ, qualem insignem in puella octo annorum deprehendi, quam suppressam maculæ magnæ sanguineæ in pectore & pedibus sequebantur, cum vermium excretione. Supervenit dein brachiorum pedumque contractura, & horum circa vesperam intumescentia; In Adultis vero non modo morbis supra enumeratis comitem se adjungebat scorbutus, sed & insuper aliis symptomatibus molestus erat. Hinc frequentes de lassitudine cum appetitu prostrato, sudoribus nimiis, ptyalismo, doloribus membrorum nocturnis, immobilitate & contracturis querelæ, alii tuberculis infestabantur, maculisque, quidam vero tantum, quando in lecto incalescerent, gingivæ plurimis sanguinolentæ, & in iis qui alias per totam vitam nec quicquam de scorbuto perceperant, quique diætæ malum hoc causanti non assueti erant. Aliis phlogoses erysipelatosæ in facie partibusque externis, quibus cessantibus punctiones in præcordiis cum febre erratica superveniebant, phthisin minantes, nisi præventum fuisset. Singulare in vitriario quodam, alias arthritidi scorbuticæ obnoxio, linguæ symptoma initio hujus mensis deprehendi. Huic cum per aliquot dies ptyalismus præcessisset, subito palpitatio tremula apicis linguæ cum aphonia supervenit, sectione venæ raninæ sublata. Exemplo *Augustini Thönneri* symptoma hoc adscorbutum refero, qui haut absimilem linguæ convulsionem, in quodam arthritide scorbutica laborante observavit. Ex sola certe lingua excoriata, pustulisque in eadem valde dolentibus latentis scorbuti indicia desumpsit Excellentiss. *Ridlinus*, Linearum medicarum Anno primo, medela opinionem comprobante. Ad scorbuticam quoque classem symptomata à spirituum defectu existentia referas, uti vertigines, oculorum caligines, lipothymias, melancholias, sive illis inordinatæ diætæ, animique alterationes progressæ, sive in altero sexu menses suppressi & graviditas ansam darent. Denique nec illius oblivisscendum arbitror, nullo anno majores de ventriculi imbecillitate querelas apud illos fuisse, quibus ex sui cœtus instituto tempore quadragesimæ piscium esus incumbit, quam digestionis debilitatem, an ad spirituum propter diathesin scorbuticam defectum, & fermentum ventriculi proin non satis exaltatum recte referam, penes alios judicium esto. In curatione vero symptomatum scorbuticorum illud imprimis magni momenti deprehendi, cujus etiam in aureis suis observationibus meminit Illustris *Pechlinus* acidiusculos liquores, amaritudine balsamica delibutos palmam obtinere. Siquidem si quopiam in morbo, certe in scorbuto ebullitionis tempora, à reliquo ejus motu, massæ-

que sero sanguineæ statu probè dignoscenda, & medicamenta juxta varianda.

15. Et hæc quidem de constitutione morborum apud nos à solstitio æstivo anni superioris communicare potui ; Non quidem talia sunt, quæ ab aliis consignari non potuissent, sed quorum continuationem à me fieri posse Illustris T. Magnif. censuit, ego vero maxime vellem. Quod super est, neque enim ulterius progredi termini Epistolares patiuntur, Te, Magnifice Domine Præses, ut in præsidium ac incrementum artis societatisque nostræ, quin & totius Reip. literariæ in multuos annos quam feliciſſime superstitem Deus servet ; ex animo voveo, & nemo non ex societate mecum, quo summas ingenii dotes, atque elegans imprimis maximeque subactum judicium practicum in lectissimis scholiis ulterius demirari liceat. Ipse ego profecto tota vita mihi gratulabor, quod ILLUSTRI SCHRöCKIO PRÆSIDE, eam felicitatem nactuſſim, quâ in SOCIETATEM LEOPOLDINAM recepto, imposterum cum Exercitatissimis in arte viris conferendi occasio mihi suppeditetur. Scripsi Hildesii d. xxviii. Aprilis Anni clɔ ɪɔc lxxxxvi.

Constitutio Epidemica Augustana Anni 1699. & 1700.

Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII,

Academ. Cæsar. Leopold. Nat. Curiosorum Præsidis.

UTi Anni proxime præcedentis exitum Zephyri, pluviosi & tepidi, vehementia comitata fuit, ita præsens Annus 1699. simili cum austrina temperie incepit, atque tam constans venti hujus, cum Austro tamen & Africa subinde reciprocantis, ferocia usque ad Solis in Aquarii signum accessum notabatur, ut Incolarum nemo tam diu horum impetum continuasse recordaretur, & rariora ac breviora hyemis indicia intercurrerent. Et quamvis austrina constitutio aliàs pessime Medicis, ipsi etiam Hippocrati Sect. 3. aph. 5. non bene audire soleat, hic tamen vires exserere suas non valuit, ventorum potentia atomos morbificos, quæ in putredinem proclives, & aerem inquinare aptæ fuerant, feliciter ubique discutiente ; impedire tamen eadem non prorsus poterat, quò minùs ex collectis jam antea, & porrò hucusque coacervatis lymphæ superfluitatibus, aereque interdum frigido intensibilem transpirationem retardante, Pleuritide aliqui corriperentur ; Catarrhi autem in prægresso Decembri faucibus infesti, nunc magnam Incolarum partem, gravius mitiusve, & modò fauces solas, sed ratiùs modo simul & frequentius pectus, sive glandulosam asperæ arteriæ texturam ex improviso, cum horrore occuparent, concomitante utplurimum capitis dolore, & febrili intenso calore subsequente (sed diaphoretico sumto paucas intra horas denuo recedente,) nec

nec non diuturniore, dum reconvalescentes aeri citius quàm decebat se exponebant, tussi humida superstite qua multum crassi sputi expellebatur. Et hæc anginæ nothæ species hyemali tempore quod epidemica evaserit, quæ aliàs inter vernales morbos ab Hippocrate Sect. 3. aph. 20. refertur, minus mirari licuit, cum præsens hyems naturam primi veris induerit, sicque prægressum mensibus prioribus frigus viscosi seri collectioni ansam cum dedisset, mitior illa succedens temperies fluxionem ejusdem sive liquationem promoverit. In ipsa morbi invasione, quæ suffocationis metum sæpe incutiebat, aliquot olei amygdalorum dulcium, aut olivarum cochlearia præsentaneo cum emolumento fuere propinata, reliquum autem curæ blandis diaphoreticis, cephalicis temperatis, expectorationem promoventibus, aliisque pro circumstantiarum & symptomatum diversitate, externis etiam, emplastro de meliloto, malactico simplici, & Officinis nostris dicto filii Zachariæ, non inanes suppetias ferentibus, absolutum fuit. Qui ipsi Catarrhi, faucibus, pectori, dentibus infensi, in vernum usque tempus, mitiores tamen utplurimum, epidemice grassari continuarunt. Præter hos Morbilli quoque plurimos in puerili imprimis ætate, licet nec adultioribus parcerent, invaserant, & per aliquot, vernales etiam, menses se exseruerant; benigni tamen & facilè iterum dissipati, quamvis intenso utplurimum calore incipientes, quin & capitis Erysipelas in multis notabatur, molesta quidem febrili incalescentia, tumore & pruritu periodum suam decurrens, ast cum cuticulæ desquamatione, moderatoque sub caloris externi regimine non difficulter admodum iterum evanescens.

Erant eodem, & subsequo tempore, quibus febricula, hecticæ fere æmula, & quotidie calore quodam præternaturali, vel præcordiorum, circa ventriculi superius orificium compressione, incerta periodo recurrens, cum adpetitu imminuto, siti vel nulla vel tolerabili, & virium lassitudine, infesta fuerat, Tinctura autem bezoardica bis in die, sine sudoris coactione, sumta, interpositoque pilularum nostratibus Immanuelis nomine venientium usu, citiori vel tardiori circuitu, prout causa morbifica, viscosa, in glandulis fortasse minoribus ventriculi vicinarumque partium hærens, incuneata magis vel minus erat, sine periculo finita. Licet & hecticæ febriculæ puerili ætati infestæ essent, à collectis viscidis acidisque in sanguine particulis, & glanduloſas in primis viis partes obstruentibus oriri à me creditæ, Essentiisque alcalicis & absorbentibus terrestribus medicamentis, post laxativorum usum, maturè propinatis, non admodum difficulter abigendæ.

Dehinc Eurus penetrante quidem frigore, serenos tamen dies comitante, nos aliquamdiu infestabat, cum sol in Aquarii signo esset constitutus; quo tamen dimidio emenso, novas Zephyri, ab Africo sæpius intercurrente adiuti, impetus ingruebat, ac nives plures spargebat, quæ vero brevi, cum aeris temperies utplurimum ad temperatiorem statum inclinaret, iterum liquescebant; usque dum aer non multum amplius à ventis agitatus, aliquot ante Æquinoctium vernale die-

bus copiosam nivem demitteret, atque exin frigoris inclementia per longum tempus nos adficeret, sub potiori Zephyri dominio, qui post Calendas Majales vehementia sua vernalium deliciarum proventum tardabat, tandemque in longiores pluvias resolvebatur; cui cum circa Solis in Geminos ingressum Eurus succedens serenitate grataque calidiore temperie nos refeciſſet, lætior terræ facies vernantes suas amœnitates eò liberalius protruserat. Sub vario deinde, modò pluvioso, modò sereno Jove, præter reliquorum ventorum reciprocationes, Zephyri potissimum nova violentia concuti aer cepit, usque dum Euro leniori spirante, calor æstivus mense Julio constantior ingrueret, Siriusque campos exsiccaret, messem quidem ita maturiorem nec illaudabilem reddens, succum tamen granis cerealibus, ut justò macriora existerent, subduceret. Interea febres continuæ petechiales, quandoque insuper pustulis miliaribus aquosis stipatæ, interdum verò malignitate equidem non carentes, sine tamen istiusmodi efflorescentiis periodum suam absolventes, cum horrore, virium prostratione, cephalalgia, dorsi dolore quandoque & siti non admodum molesta, nec appetitu prorsus prostrato incipientes, per urbem, usque dum Virginem sol accederet, notabantur: non paucis, inter succedentia in morbi progressu deliria & faucium ariditates, exitiales factæ, ubi vel ab imperitis tractatæ, vel per initia neglectæ, aut etiam decũbentes immorigeri monitis Medicorum fuerant; quam ipsam ob causam habitantibus in pagis viciniæ nostræ Hebræis non levem cladem in Majo attulerant: Laniorum etiam familias in Urbe, quas præ aliis invaserant, crebris funeribus contristaverant; ast in principio ubi ex arte tractabantur, non admodum refractarias eas notare licuit; ita ut etiam in prima, quod dicitur, herba oppressas, paucoque alixipharmacorum, tincturæ bezoardicæ, theriacæ cœlestis cum chinchinæ extracto &c. usu abactas non una vice notaverim; sicut etiam reliqui sub tepidiori per morbi decursum corporis custodia, per continuatum diaphoreticorum usum haud difficulter evaserant. Alvus in nonnullis obstructa per plures dies nullum incommodum attulisse, nec somnolentia in morbi decremento diutius instans nocuisse observabatur.

Sole in Virgine versante, cœlum, Euro crebrius perflatum, humidius & frigidiusculum primò, postea constanti radiorum solarium præsentia animatum, denuo excalefactum cum esset, Diarrhææ simplices, pauciotibus cruentæ tenellam præsertim puerilem ætatem, imò vixdum in lucem editos fœtus, hoc æstivo tempore infestarunt, excretione aquosa, pituitosa, acidum redolente; quorum ægrotulorum magnam partem, ob parentum & qui curam puerorum agebant, negligentiam, remediorumque intermissionem trucidarunt; quibus enim medicæ manus prudenter adhibitæ, non infeliciter evasisse, atque coraliorum imprimis aut terræ signatæ pulverem, cum theriacæ cœlestis tantillo maritatum, aliaque stomachi fibras roborantia conduxisse notavi causam vix aliam fuisse suspicatus sum, quàm pulmentorum ex farina cum lacte coctorum esum, quæ ipsa farina ex tritico ante annum tempore humido cælo collecto, atque exactam

ctam maturitatem non adepto parata, plurimas crudiores particulas absconditas, non infrequenter mucidam, quod sapor odorque testabatur, corruptionem expertas habuit, quæ dein tenero in pusionum ventriculo in liquorem acido viscidum abeuntes, digestionem vitiarunt.

Interea etiam magna illa Solis Eclipsis d. 23. Septembr. comparuit, quam multi nostratum ex plebe, vana persuasione seducti, licet multum reformidassent, ut sanitatis inde jacturam si fecissent, haud mirari quis potuisset; quamvis nec tunc temporis, nec postea ullos morbosos effectus observare datum fuerit; quæ enim in Octobri & Novembri lymphæ stagnationes in plurimis odontalgias & Catarrhos leviores produxerant, aeris potius, quæ Eclypsin à d. 27. Septembris usque ad d. 27. Octobris insecuta fuit, inclementiæ, nebulis crebris, pruinis, pluviis, frigore horridæ debebantur. Ipra Solis obumbratio, quam cælo prius admodum sereno, nubium sparsarum ab orientali plaga progressus antecesserat, cum sensim incresceret, remissioremque caliginem induceret, Eurus subito exoriens, non tamen impetuosus, horridiusculam auram reddidit, campique, ex nonnullorum relatione, quasi rore maduerunt; quæ tamen cuncta tum obnubilatione cessante & ipsa recesserunt.

Sol in Scorpionis signum ubi pervenerat, & Eurus præsertim, ad meridionalem tamen plagam quandoque inclinans spirabat, plures serenos frigidiusculos numeravimus dies, matutinis tamen crebris nebulis turbatos; Novembre autem ineunte Zephyrus (qui altero post Solis in Sagittarium ingressum die vehementissimus erat,) temperatiores eos, varieque constitutos, utplurimum tamen serenos reddidit, & tandem sub multivaria in Decembri aëris alteratione, atque cum reliquis ventis, videlicet primùm cum Euro frigido, circa medium mensem Austro temperato, & tandem Borea frigido alternatione, in nives & frigus despumabat. Nec singulares morbi notabantur, nisi quod in dicto mense ultimo puerilem ætatem, non quidem admodum multos, Variolæ benignissimæ, quas nostrates aureas dicunt, quibus verò majores pustulæ, longiori quàm priores decursu finitæ, in nonnullis interspersæ fuerant, occuparent, omnes tamen absque singulari periculo paucis temperatioribus remediis, & blando externo regimine facilè abigerentur; insuperque Febres quotidianæ, quales jam circa Anni principium infestæ fuerant, repullulascerent: quæ majori cum calore, sine horroris utplurimum sensu ingruebant, & facile in hecticam declinabant, difficilioremque in multis curam reddebant, tandem tamen, cum interpolato laxativorum usu, pulveribus absorbentibus, nitratis, chinchinatis, martialibus medicamentis cedebant.

Principium Anni 1700. serenitate, frigori junctâ, cum se commendasset, paulò post varia cœli facies, nebulosa, nubila, nivosa, pluviosa, serena, frigida, temperata comparuit, quin & d. 28. Januarij tonitru ac fulgure tempestuosa exstitit, cum per aliquot dies Zephyrus, hucusque semper, nisi quòd ad semimeridionalem plagam sæpius inclinaret, se exserens

aëreus

aërem multum priùs concussisset; qui etiam venti M. Februario continuarunt, & hyemale frigus constans inter nives sæpius delapsas, induxerunt; quod circa Solis in Pisces ingressum ab Euro incrementum sumsit, niveſque, in M. Martio sensim liquatas, subinde spargere non intermisit. Interea Januarius febres quotidianas in fine præcedentis Anni memoratas producere non prorsus cessabat; & nonnullos Apoplexia, diverso fato terminata, alios Rheumatismo artuum superiorum, qui usque in Aprilem, juxta cum febribus nominatis notabatur, atque à repetitis sudoribus, præcipuè quos Laconicum coriariorum proliciebat, soluto, infestabat; Infantes autem in glandulis faucium ipsisque pulmonum vesiculis, non sine febrili incalescentia invadens, atque grave asthma inducens stagnatio periculo non levi exposuit, multosque eorum, præsertim aut seriùs, aut negligentiùs curæ commissos in sepulchrum præcipitavit, cum reliqui orgasmum istum refrenantium absorbentium, & viscosam colluviem blandè per alvum sputumque educentium usum salutarem experirentur: Quæ cuncta sicut inæqualitati aëris, lympham modò incrassantis, modò in fluorem iterum eliquantis deberi arbitror, ita ejusdem etiam aeris effectum fuisse non dubito, quòd diversas puerperas abdominis, præcipuè in hypogastrica regione tormina corriperent, eaque lochiorum evacuationem non ad votum succedentem, & hinc ex sanguinis stagnatione nervosam fibrarum tensionem inducentem comitem haberent; quæ ipsa medicamentis catharticis, alijsque fluorem sanguini debitum blandè restituentibus, ac viscosas impuritates unà per alvum eliminantibus ideò cedebant. Ab eadem aeris inæqualitate etiam, antequam Æquinoctium vernum advenisset, Icteri, Martialibus remedijs debellati, & Febres petechiales continuæ, cum cephalalgia ingruentes, in quibusdam Pleuritide comitatæ cæterùm nihil singulare ostendentes, nec admodum letales, usque in Aprilem, frigidum & primò quidem ab Euro serenum, postea succedente Zephyro, cum semimeridionali vento alternante pluviosum, sparsim ut vix epidemicos inter morbos referri mererentur, notabantur, sed Majus, crebros Zephyri flatus expertus gratiori cœli amœnitate illuxit, in fine tamen frigidus evasit. morborumque seminia (præter Variolarum, nunquam uti hactenus, ita per totum reliquum Anni decursum planè cessantium,) prorsus supressisse visus est; quos nec postea repullulare variorum ventorum, aërea, si quæ ingruerent, inquinamenta ex omni mundi plaga dissipantium vicissitudo. sub grata calidioris, nec non temperatioris auræ alternatione, permiserat. Quamvis postea per æstatem Febres quotidianæ & Rheumatismi subinde denuo caput extollere conarentur, inque Mense Augusto Dysenteriæ aliqua vestigia notarentur, vix tamen memorari hic merentur. Post caniculares dies primò frigidiuscula aura spirabat, postea longior aëris serenitas non levem terræ siccitatem inducebat, usque dum post Æquinoctium autumnale Zephyri vehementia, ab alijs ventis sæpe interrupta,

terrupta, crebras pluvias suscitaret, tepidioremque utplurimum auram redderet, quæ austrina constitutio, paulò post non tantùm Variolas in plures infantes diffuderat, sed etiam Tusses contumaces in multis, & Febres petechiales in quibusdam produxerat; & has quidem non sine contagij nota, ut integræ etiam domus alicubi inficerentur, & non pauci succumberent, quos tamen non tam morbi violentia quàm quòd negligenter & imperitè, præsertim à stupida fœdi carnificis temeritate, quæ nescio quo infortunio plures dementaverat; tractarentur, mortis prædam fecerat; cum alij ritè & maturè curati, paucis assumtis alexipharmacis, primos morbi impetus prorsus, vel intra biduum retunderent, vel salvi tandem evaderent. Omnes præcedaneo horrore, subitam virium prostrationem & præcordiorum oppressionem patiebantur; nonnulli cephalalgiâ per initia torquebantur, deliria verò & inquietudines interdum subsequebantur, sitis tatiùs urgebat, nec caloris præternaturalis externa indicia aderant, urina utplurimum & pulsus non multùm à naturali flatu recedebant. Talia etiam Civis cujusdam uxorem cum filio 17. annorum invaserant, qui empiricæ etiam illius imperitiæ expositi mortui sunt; filia autem 19. annorum eodem malo correpta, in morbi augmento vermem duas spithamas longum mortuum vomitu excreverat, motibusque membrorum convulsivis & continuis delirijs agitata, nil cibi & medicamentorum ulterius assumere voluerat, quin & potum omnem, quamvis fauces aridæ essent & muco viscidissimo incrustarentur, per biduum respuerat; quæ tamen, cum utrique humero vesicatoria adplicare curassem, tumque ipsa deglutire iterum aliquid inciperet, sicque cephalica alexipharmacis mixta admiteret; mentem paulatim & membrorum tranquillitatem resumserat, & circa tertiæ hebdomadis à decubitu finem subortâ diarrhœâ evaserat: altera filia duodecennis tertio & quarto morbi die vomitu crebro agitata, nil cibi, potus vel medicamentorum retinere poterat, datâ verò theriacâ cœlesti cum chinchinæ extracto motus ille ventriculi perversus sedatus est, die autem decimo caput intumescere & immensum dolere cepit, sed propinatis ibidem cephalicis & alexipharmacis, nec non vesicatoriis utrique humero impositis; parotidisque sinistræ tumore suborto, postquam ille à cataplasmatis usu discussus fuisset, atque diarrhœa supervenisset, convaluit. Filia 14. annos nata, & filius undecennis cum parem morbi insultum passi, intra octiduum sanitatem recuperarunt. In omnibus his sudor ferè nullus prolici poterat: maculæ etiam puncticulares lentè nec satis ad votum prodierant: Pater prima morbi indicia sentiens, sumtâ bis Tinctura bezoardica ejus violentiam elisit, inter medicamenta etiam Pulveris nostri alexipharmaci officinalis, qui ex terr. sigill. C. C. phil. præp. rad. angel. Zedoar. cort. citr. & myrrh. componitur, repetitum usum imprimis proficuum expertus sum; qui non tantùm lymphæ visciditatem corrigere, ejusque coagulum resolvere, sicque ad diaphoresin disponere, sed

etiam balsamicis suis partibus sanguinem à corruptione præservare valuit, Tusses magnâ vehementiâ adultis æquè ac pueris infestæ, convulsivi aliquid alere visæ fuerunt, & magnam humoris viscidi copiam excreverunt; quibus verò, ut alia taceam, continuatum herbæ thee vel veronicæ; cum radice liquiritiæ infusæ usum præcipuam medelam attulisse observavi. Quo sub Morbonæ dominio reliquum anni, varias cœli mutationes, temperatiorem imprimis auram producens, transegimus.

Constitutio epidemica Berolinensis An. 1699.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Mullen.

JAnuarii 1mâ dies tota pluviosa, vespertino tonitru sexies satis vehementer reboante insolito & hoc saltem tempore raro phænomeno tremendum edidit ostentum. 2da inconstans manè ex parte serena & sicca, reliquo nimbis ingrata. 3tia manè pluviis molesta in Caurum à meridie valdè impetuosum desiit. Sequentes ad decimum varii utplurimum pluviis, quandoque nivium flocculis mixti, nonnunquam frigore temperato in grave tandem gelu degenerante distincti, succedente demum nive, hisque pluviis, vernam ferè cum sudo temperiem ad 19num usque reducentes, Cœlo nimirum de die sereno, noctu verò gelido, revertente sic paulatim fortiori gelu, triduum durante; tum verò rursus in pluvias ac temperiem aeris leniorem per quatriduum declinante, ac succedente denuo 28vo gelu satis acri sed ephemero, in nebulosum & pluviosum quatriduum unâ cum mense terminante.

Februarius eodem typo cœpit, mox verò 2do, succedente gelu ad 11mum usque continuavit, in pluviolam vesperi solutum, sed 12mus manè rursus gelidus, cœlo quidem obscuro & flocculos subinde niveos spargente, octiduum continuavit, 19nus tandem remissior toto biduo pluviosus ac nimbosus. Verum 22do post mane obscurum sequens 23us sereno cœlo pluvias ac grandinem miscuit, succedente post pacatiori 24to, rursusque nimboso ac nivoso 25to, tandem à modico manè gelu in amœnum triduum 28vo & ultimo transiit.

Martius à pauca nive, sereno mox rursus cœlo exorsus variis & inter se alternantibus tempestatum vicissitudinibus, Aprilem potius referens, nivibus pluvias, gelu deliquia miscens ad 12mum usque perrexit. Constantiori postmodum frigore, sereno utplurimum cœlo, nivibus, nonnunquam parvis interpellato ad 24tum usque continuavit. Inde remittens, post biduum pluviolis quibusdam aspersum, vesperam versùs clarescens, 27mo in amœnam serenitatem, sequenti tamen 28vo turbida tempestate, nimbis, pluviis ac grandine fœdâ interceptam, mox verò tolera-

bilio-

biliori biduo redditam, 32mo una cum trimestri hoc primo in vernam amœnitatem desiit,

Morbi hujus trimestris initiò frequentiores ac Epidemicæ fuerunt præcipuè febres peculiares catarrhales, malignitatis non expertes, difficiles, periculosæ & quibusdam exitiosæ, qui ardentes postea succesſere, pleuritide ut plurimum comitatæ, eaque acuta quandoque & maligna, nonnullis lethali, tandem & variolæ. His ob varium adeò cœlum Februatio mense subſtitutæ febres acutæ ardentes & continuæ intermittentes, aut subinde potius exacerbatæ, malignitate ac petechiis infames, aliæque paulò mitiores quidem, sed variis exanthematis, purpura, morbillis malignitatis latentis indicibus fœtæ, quæ & sequenti Martio, totoque adeo trimestri & ultra durarunt ac haud paucos & plures miserunt.

Aprilis primus cœptam sub finem mensis præcedentis amœnitatem vernam, quibusdam 4to præsertim, 6to & 8vo cum æstivis de serenitate & æstu certantibus, ad nonum usque serie vix interrupta, nisi nubilum, utut ratius, horis potissimùm pomeridianis intercedens, cœlum variationis insimulaveris, continuavit. Sequens quatriduum à nono ad 10mum serenitati pluvias induxit levesque fœcundas Inde ad 18vum Euro in Aquilonem paulatim deviante, aer quandoque serenus, utplurimum turbidus, siccus tamen, simulque frigidus, nonnunquam ventosus. 18vus serenus ferè totus, circa vesperam fœcundam sparsit pluviam. Succedente hinc cum sudo temperato & amœnò octiduo, 27mum procellosum & subfrigidum si exceperis, ad vigesimum septimum usque, qui varius, manè turbidus à meridie tonitru, pluvia ac grandine horridus, circa vesperam demum serenus, triduo comitatus, turbido tandem in pluviolam sub ipso mensis exordio delicuit.

Majus totâ & amœnâ serenitate vèr initiavit, sed à succesſore paulò asperiore, Aquilone nimirum afflante, destitutus, Zephyro tandem subeunte in pluviosum transiit quatriduum, à biduo sereno denuò exceptum, sed 10mo sub vespera pauca aspersum pluvia. 11mus manè serenus à meridie udus, succesſore 12mo sereno ac sicco interserto, pluvium & circa vesperam tempestuosum subſtituit triduum. Cui biduum æquè turbidum, sed præcedenti ternario siccius accessit, donec 18vus serenus & amœnus vernam gratiam ac jucunditatem, quindecim dierum continua serie ad ipsum usque mensis terminum durantem redintegravit.

Junius eodem quidem tenore inchoavit ac biduo advesperam usque sereno continuavit, in pluviam verò satis grandem aut imbrem potius & tonitru circa hanc defecit. 4tus nubilosus & frigidulus, siccus tamen succesſorem tota die Cauro impetuosius flante nimbosum habuit, triduum tamem serenius & amœnius accersentem, ad nonæ (quæ pentecostes prima erat) usque meridiem in pluvias satiscentem. 10mo succedenti vario, turbido ac subinde madido, 11mo manè nubiloso à meridie claro 12mo sereno amœno ac temperato toto. Huic 13us manè serenus ac ventosus, à meridie pluviosus, Iride

bis apparentè, ac biduanam serenitatem nunciante, notabilis successit. Quæ tamen à biduo inconstante excepta, quatridum addidit paulò constantius, mox tamen in biduum è sudo & pluviis mixtum decisens 21mum totum pluviosum ad meridiem usque 22di à meridie claresçentis succedaneum habuit, 23tius sudo & æstivo calore gratus. 24tum ejusdem amœnitatis ad occasum usque solis imbre degenerem, sòcium sibi ascivit, ut & triduum sequens, & pluviolis tamen quandoque madens, 28vus pluviosus à 29no ficco & à meridie sereno correctus, cum 30mo toto æstu ac sudo acceptissimo ultimum secundæ hujus anni quadræ mensem clausit. Trimestre hoc secundum morbos haud adeò frequentes aluit præter scorbuticos nonnullos aliis utplurimum complicatos, utpote Arthritidi vagæ, Nephritidi, Colicæ. Febres quasdam Catharrhales, quandoque, utut rariùs malignas. Majus scorbuticis prædictis hypochondriacos quosdam &, at rarò maniacos junxit. Hisque Epilepsias infantum præsertim & puerorum diarrhœas, subinde & dysenterias hoc anni tempore alias insolitas, febres quasdam cum colica scorbutica aut hystericis passionibus combinatas accensuit. Junius his malignas nonnullas cum pleuritide, quandoque & in peripneumoniam degenerante concurrentes, exanthematum quoque miliarium peculiari quodam genere, ut & petechijs, iisque periculosis ac quibusdam lethalibus, infames superaddidit.

Julii primus die sudum ultimo Junii inchoatum per quatriduum ad 5tum usque propagavit, cujus vespera pluviolam sparsit raram. Sextus manè serenus, torantibus subinde tamen pluviarum guttulis, aspersus, à meridie imbrem fudit valdè largum, sequentes septem nubilo, aliquando & imbribus & nimbis turbato cœlo varii fuerunt. 14tus æstivum redintegravit sudum, ac excepto 15no tonitru & pluviis circa vesperam turbido, & 21mo pluvia vespertina madente, ad 28vum usque jugi sudo & æstu gavisus est; Hic tandem serenitati huic satis durabili triduum tonitruosum, pluviosum ac quandoque grandinosum succenturiavit, ac 31mo demum sereno & amœno finiit.

Augustus à triduo sic satis sereno, pluviis tamen quandoque interpellato exorsus, 4to sudum produxit amœnum, ad vesperam usque sequentis durans, tum verò tonitru horrendo ac imbre valdè largo turbatum, 6to sudo subinde pluvias miscuit, 7mo' tonitru superaddidit, subsequente vario quandoque ventoso, turbido ac pluvioso ad 20mum usque cœlo, postea vero seniori ac tranquilliori, non tamen omninò à pluviis immuni ætheri abblandivit ad 28vum usque; una cum triduo sereno toto, ac æstivo calore amœno, mensem hunc claudentem.

September sudum æstivo fervore jucundum primo die continuavit, 2do à meridie pluviolas quasdam miscuit, sequens nubibus id subinde temperavit. 5tus idem reparavit, à meridie pluviolam aspersit, 6tus à pluviis immunis, 7mus & 8vus raras sereno pluvias intercalavit; A nono ad 18vum æther æstivum, sudo rursus & temperato calore amœnum affulsit, 18vus pluviæ pauxillo aspersо, 19no & 20mo redintegratum sed frigidulum, 21mo & sub-

& subsequente biduo paulò mitius, 24to nebulosum, sed mox rursus serenum cum successore toto 26to sudum pluvia matutina modica ac nubilo postea interpellatum ad 30mum usque adeoque postremum reduxit, sicque trimestri huic tertio gratum reddidit terminum.

Tertii hujus trimestris â priori haud multùm abludentis Julius hypochondriacas nonnullas & scorbuticas affectiones variis comitatas symptomatis, & hæc inter præcordiorum præcipuè oppressionibus & angoribus molestas; febres continuas ardentes, aliasque paroxysmis subinde vehementibus graves, nec omni malignitate vacantes, symptomata periculosa, pleuritides, hæmoptoes, deliria, ad phrenesin durantia, inducentes. Epilepticos insultus; frequentissimè adeoque Epidemicè diarrhœas nonnunquam & dysenterias periculosas, à tergo trahentes. Augustus eodem fere tenore transiit, nisi quod febres continuæ ardentes, malignæ admodum, frequentiores adhuc ac petechiis quoque stipatæ successerint, atque Septembri quoque continuarint, in hecticam haud raro, tusses contumaciissimas, colicas quoque passiones, diarrhœas & dysenterias transeuntes, periculosas, rarò tamen lethales, purpura sæpius, variolis rarò, morbillis frequentius notatas.

October autumno congener à primo ad 19num usque vario cœlo sæpius pluvio, rarò sereno, semper horridulo transiit; Hic Serenus, præter parum pluviæ 23tio sparsæ octiduum adduxit serenum & 25to præsertim æstivo sudo ferè compari, à biduo paulò nebulosiori exceptum, 29no nebuloso turbido ac pluviis raris tamen interpolatum, biduo alio sereniori sed Euro afflante frigidulo surrogata compensavit, tandem postremo biduo in primam glaciem sub ipso exitu diriguit.

Novembris primus, ejusdem cum prædictis postremis genii, serenus nimirum & gelidus, 2dus gelidus adhuc, sed nubilosus ac turbidus sequenti nocte primas sparsit nives, remittente parum gelu; noctu rursus pruinam, tum manè nebulam in pluviolam deliquescentem tulit. Subsequente 5to sicco, mitiori æthere grato, tum pluviosa nocte ad meridiem usque sequentis interserta, inde clarescente rursus aere post turbidum 7mum, triduum subsecurum sudo temperato valdè amœnum ad vesperam usque 11mi pluvia rorantem, cui quatriduum rursus serenum successit, ac 18vum manè pluviolam spargentem, si exceperis, ad 21. usque à meridie pluvia quoque rara cum sequentibus duobus madentem. 24tus ejusque successor nimbosi aselectas habuere turbidos ac pluviosos, solo 30mo mensis nimirum ultimo sereno ac temperato excepto.

Decembris primus & secundus alternatim pluvias serenitati, ille manè, hic vesperi subordinarunt, 3tius in gelu pronus à nocte gelida, meridie nivoso, reliquo sereno in triduum brumali frigore rigens transiit; 7mus mitior, cum 8vo toto nives addidit; 9nus temperato gelu serenus: 10mus totus nivosus à procellosa nocte in serenum ac temperatum gelu migravit, quod 11mo fortius; 12mo subturbido cœlo per triduum subsequens satis rigorosum, in

gelicidium tandem desiit, 16to nebuloso cum sequente, cœlo etiam sereno paululum remittens, biduum substituit penitus degelascens, sed redintegrato 20ma gelu ad meridiem usque mitiorem, 21mo & 22do nebulosis ac pluviosis, 23. à nocte serena gelicidium à meridie adduxit ad 24ti usque sequentis meridiem, in pluviam tandem fatiscentem. 25tus nebulosus ac nubilosus totus mite restituit gelu, cœlo sereno cum nivibus quandoque alternante, ad 31mum usque & postremum hujus ut trimestris sic anni totius, robur successivè validius acquirens.

Postremum hoc trimestre, perinde uti priora, febres obtulit varias satis frequentes satisque vehementes, acutas & ardentes nonnullas simulque malignas pleuritide, & peripneumonia quandoque, ut plurimùm funestis, diarrhœa, cholera, Ictero, Catarrhis cum defluxionibus molestis in dentes, tonsillas, guttur, pulmones &c. depluentibus contumacibus; Cephalæa, cardialgia, palpitationibus cordis intensis, purpura subinde, morbillis, variolis & haud rarò petechiis stipatas. Præcipuè autem Colica quædam scorbutica valdè frequens fuit, prima facie levis, ac haud magni momenti visa, mox verò nunc diarrhœæ, nunc dysenteriæ, nunc pleuritidis in peripneumoniam sæpè degenerantis, contumacis, periculosæ & haud raro lethalis, Protei instar larvas induens.

Constitutio epidemica Basileensis An. 1699.

Dn. D. JOH. JACOBI HARDERI,

PRincipium Januarii fere ad usque hujus medium, varia tempestatis eaque subita dyscrasia ac mutatione, novi anni auspiciis præluit: imminente paulatim novilunio cœlum læta serenitate, aerque desiderato Pruinæ incremento ac siccitate ad usque finem hujus mensis favere perrexit: inde vero obscurior aer ingruit, Februariique initium nunc nebulosum fuit, nunc pluviosa cum nive mixtum, ventis per intervalla fortiter spirantibus: Pleuritides & pleuropneumoniæ cum febribus continuis jam frequenter homines invadebant: neque catarrhi ferini iisdem pepercerunt, variolis tenerior infantiæ subinde infestis.

Martii Principium pluvialis nix ingratum reddidit quæ instante Plenilunio, magna & insolita cohorte, arva monteisque adeo obsedit, ut itinerantibus non parvo fuerint obstaculo: inde blandiore accedente aere, nix paulatim fundi, & fertilis tempestatis spes major affulgere cœpit: usque tamen interpolatæ circa finem hujus, & Aprilis initium nivales pluviæ, eandem rursum extinguere cœperunt. 8. 9. & 10. April. interdiu calore blando terræ gremium reficiente, noctu vero pluvia cum tantilla nive idem irrigante: febres continuæ hoc tempore satis adhuc infestabant.

Die 12. April. calidiusculæ pluviæ fugata in arvis montibusque adhuc dum hospitans nix maxima sui parte, affulg-

affulgente deinceps serena tempestate, cum exoptato calore solis, florum fructuumque fœcundo parente, tantum non prorsus evanuit.

Maii initium multa pluvia comitabatur, in montibus heic illic nive per intervalla interspersa inde optata tempestas ingruit, solis desiderato calore singulis terræ fructibus & seminibus, in vitam excitatis, cujusmodi in Junium usque & ultra fœcundissime continuavit: Julius quem canicula promittit fervorem minus largum sensit frequentibus pluviis præter votum illum attemperantibus: neque ejus defectum Augustus majori calore, quem ab hujus medio ad finem usque demum experti sumus sarcire potuit: unde uvarum maturitas quam Septembri mortales præstolantur versus finem usque hujus à nobis desiderata fuit, & quamvis dies calidi interpolatè alluxerint, noctes tamen frigidiusculæ, eandem non parum sufflaminarunt; sub finem Octobris nivalis tempestas jam ingruere cœpit, quæ subsequentibus hinc Novembri & Decembri mensibus, imprimis circa medium finemque hujus cum multa Brumæ sævitia, ingravuit; præter febres continuas & in quibusdam locis satis malignas, alii morbi rarius frequentes erant.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII,

Academici Naturæ Curiosi,

Schediasma Tubingâ missum ad Historiam Epidemiam.

Ann. 1699. & 1700.

LAudabile est institutum historiæ epidemiæ Germanicæ, in appendicem Ephemeridum ab annis aliquot referri solitæ, quod ex multitudine observationum per diversas provincias collectarum progressu temporis acquirendam spondet notitiam meliorem & pleniorem de subdolis alias & occultè, utut populariter, grassantibus morbis. Hanc ego collectaneorum supellectilem hac quidem vice non venio locupleratum, nec plenam descriptionem constitutionum utriusque anni hic inferere necesse duco; Quoniam qui suis temporibus grassari solebant catarrhi & inflammatorii pectoris morbi, quæque intercurrebant variolæ, cum aliis levioribus, tanti momenti non videbantur, epidemiarum autem febrium pristina frequentia & malignitas ab aliquot retro annis per Dei gratiam in urbe dominium non obtinebat: Sed ea fata, quæ per tristes olim annos communiter plures experiri solebant, jam paucis & vel uni atque alteri solùm obtingere, idque modo quodam sporadico potius quàm epidemio, hoc annotare cùm licuerit, communicare etiam operæ pretium visum fuit.

Exemplum quod huic rei fidem faciat

faciat singulare pro anno 1699. supperit in una domo: Scilicet Aprili mense primus in familia pater, vir robustus, idemque hactenus sanus bibliopegus, febre maligna planè ex improviso modoque acuto abripitur, hunc post breve tempus, liberis interim etiam correptis, sed evadentibus omnibus, intra mensem ultima sequitur in familia mater; sic viduata domus, cùm altum de simili malo in urbe esset silentium, nec per hunc annum autè & post ita acutè abriperetur quisquam. Nihil etiam contagii hinc retulerunt vicini, aut qui aliàs tristes illas ædes visitarunt. De causa illa manifesta non constabat: Audiebantur quidem tum temporis hinc indè varij pauperum morbi sub annonæ caritate ob diætæ vitia, vertigines, tormina alvi fluxus, sed hæc in pagis potissimum, minus in urbe; Constitutio autem aeris per istum mensem, utut sæpè blanda, mitis, velut æstiva, hinc & leviter tempestuosa, in principio tamen & fine fuit frigida, humida, cùm & vicinis alpibus diu inhæreret nix, quin nova sub medium & finem ibi caderet.

Pro anno 1700. duo supperunt exempla, notata in binis ædibus: ubi principium continuæ non communis febris iterum deducendum est à mense Aprili, qua sub ejus finem correptus fuit sartoris filius, absque omni, quantum quidem constat, causa evidenti, nec ab alio quocunque infectus; Hunc sequitur soror major, hanc minor natu; omnes medico nullo consulto vel absque vel cum medicamentis ut ajunt domesticis evadunt, ita tamen ut ad quinque & sex septimanas protenderetur apud singulos plena convalescentia. Quarta in ordine mater demum die septimo vel octavo Junii [non enim simul tres priores personæ decubuerant, sed una ferè resurgente dejecta fuerat altera] cum malè habere circa præcordia inciperet, sumit purgans, nescio quale aut cujus suasu, & movetur fortiter, sed abhinc statim lecto affigitur, alvum ad tredecim dies habet clausam, tunc suppositoriis & enemate tardè & parcè motam, jacet soporosa, omnium negligens, excitata & interrogata sibi non malè esse dicit, tandem subdelira, nullis usa medicamentis, in tertia demum septimana die vigesimo quarto Junii moritur, lividè post mortem nigricans. Ipso die sepulturæ frater defunctæ, lanio robustus, quinquagenarius, tabellarius, post varios quidem errores diætæ, largos certè in vino excessus, ægrotare incipit, sc. prævio horrore malignè dejicitur die vigesimo sexto Junij; Dicitur autem turbatus & vestibus indutus diu mansisse extra lectum, ludens, garriens, cùm pulsus præ spasmis jam explorari vix posset, & ut ajunt pleuriticus. Quidquid sit de ipso, quem non vidi, moritur satis acutè mane diei secundi Julij, convulsus. Abhinc terrore perculsa alterius fratris uxor etiam dejicitur, sed evadit; Cum verò insuper binæ personæ alijs in ædibus, quibus cum ista familia nihil intercesserat commercij, febre, sed mitiore & remittente, corriperentur, caderetque vir sanus hactenus ex improviso apoplecticus lethaliter, imò de subitaneis per patriam casibus tristes hinc inde advolarent nuncii, magna utique tum pavidorum

rum commotio. Sed redeundum ad ædes sartoris; Die altero post sepulturum matris, filia annorum septendecim nondum menstruata, manè circa horam octavam ægrotare incipit, friget, à meridie incaleſcit, atque ita hinc continenter febricitat, ut extra lectum planè non degere, quin sæpè in eo ne quidem se erigere posset, pleriſque tamen diebus horas matutinas experiretur meliores, pomeridianis autem sentiret exacerbationes omnium symptomatum, quorum præcipua erant dolor capitis & ut ajebat cordis, cum levi tussicula, alvo tarda, pauca, siti non nimia, appetitu nunquam plenè abolito, lingua mucosa, moleſtia quadam deglutitionis, absque maculis, (uti & priores omnes) absque singulari delirio, mittens urinam nunquam rubram, cum nebula post moram crassa albide pallida: Hæc filia post dies quatuordecim evadit feliciter, usa decocto rasur. corn. cerv. rad. glycyrrhiz. sem. fœnicul. pulveribus pannonico, alexipharmaco, cervino, (prout hic in officinis juxta descriptionem B. Parentis in gratiam pauperum prostant minus pretiosi) bis in die aut ter, alternis enim noctibus dabantur grana quatuor extracti bezoardici, descripsionis ejusdem, cum vehiculo & mixturâ aquarum melissæ, card. bened. cerasor. tiliæ, Syr. acetosit. citr. cui addebantur cornu cervi ustum, antimonium diaphoreticum, & tinctura bezoardica, cum pulveres illos, porrò summere recusaret. Tandem ultimus in domo pater, die duodecimo Julij languere visus, sibique metuens, ne ordo jam ipsum tangeret, à deglutitis noctu septem pilulis bezoardicis, & drachma dimidia theriacæ Andromachi mane in vino hausta, largiter sudans præservatur, nilque ultra mali passus, finem ita imponit malæ febri, inducias hinc iterum urbi nostræ (utinam benè longas) concedenti.

Hæc de hac familia: Interim alibi in urbe lotrix, cum prioribus non communicans, circa idem tempus cum ista muliere, sc. die octavo Julij, post loturam linteorum, sub horam vespertinam septimam horrore gravi correpta, hinc ob æstum, sitim, acutum capitis dolorem, cardialgiam, tussim frustraneam, dolores costarum pleuritidem æmulantes, die decimo Junij manè venam secari jubet in brachio, [unde sanguis extractus mota temporis nullam contraxit crustam, sed mundam servavit superficiem] decursu dierum mane & meridie melius à vespera in noctem semper pejus habet, tum dyspnoica subindè & subdelita; Die decimo tertio mensis observantur in collo ipsius & pectore maculæ minutæ rubentes, die decimo octavo per collum efflorescentes vesiculæ milliares; Alvus die decimo quarto ante meridiem sponte novies non torminosè soluta per morbi decursum manet lubrica, laxior communiter sub exacerbationibus; Urinâ mittitur nunquam tincta, plerumque turbida, cum sedimento post moram laxo, crasso, pallido. Sic afflicta fœmina sub usu prædictorum medicamentorum, quibus hic accesserat decoctum pectorale alexipharmacum, electuarium diascordium, & cortex Peruvianus evasit feliciter; equidem in sexta septimana jam iterum lotri

cem agens ; notabile adhuc sub declinatione emergens narravit phænomena, pruritum sc. ferè universalem, valdeque molestum, quo ad fricandum vehementer corpus urgebatur, unde & in squamulas elevata & exsiccata cuticula abscesserat passim. Cæterum hæc non uti prior, infecit quenquam, sive nemo ab ea laboravit similiter, nisi quòd filiola annorum quatuor eam videretur sequi, febricitabat enim per dies quatuordecim continenter, cum exacerbationibus vespertinis, sine maculis ; convaluit autem absque medici ope, cùm post longam anorexiam & abstinentiam appetitu ferebatur in lac acidum eoque satiaretur.

Hæc sunt fata familiarum, quas in alta velut pace securas hostis improvisus diversimodè aggressus graviter exercuit, modò unam & alteram in domo eligens personam, reliquis parcens, aliàs nulla pretermissa paucas fataliter abripiens ; Ibi in una domo persistens, decursu intra breve tempus absoluto, hic extra domum ad consanguineos & affines sese extendens, diu tamen protracta successione in eadem, ad mensem sc. usque tertium. Illum aliàs novimus morem talium febrium, quòd cum epidemiam minantur invasionem, accedentes subdolè & sparsim se prodant, & cum finis earum adest, recedentes subindè tamen, cùm minimè credis recurrant ; Hic autem neutrum locum habere, videtur, sed alia ratione tristem sui memoriam renovasse malignitas ; idque non tam hyberno, quo major olim communiter notabatur, quàm æstivo potius hac vice tempore, quo Mars apud nos (utinam per Dei gratiam diu) quievit, & qua mediocre fuit annonæ pretium. Addendum hac occasione post hyemem inconstantem, ventosam, lutulentam & gelidam, non minus varium successisse vernum tempus, nive iterum alpibus diu, ad finem usque Aprilis, inhærente ; Junium in specie sæpe, ipso die septimo, fuisse pluviosum, ad exundationem fluviorum in utraque circa urbem valle. Respondebant interim tali constitutioni morbi varii, inter quos præcipuæ hybernæ variolæ, vernæ scabies, pleuritides, peripneumoniæ, sub initium Maii perquàm frequentes : Abhinc autem inter benignos nec multos morbos observabatur singularis illa malignitas, ad paucas determinata personas. Quibus sub finem pro declaranda temporum istorum de cætero bonitate addi potest ; quòd à quo tempore fama de nova remedio antidysenterico percrebuit, nullus observatus inter nos fuerit æger, quo cum ejus periculum fieri potuerit.

Serius Missa Dn. D. AMBROSII STEGMANNI

Historia Epidemica Mannsfeldiaca Anni 1697.

CUm Temporum inæqualitas, Hippocrate & Experientia teste, plurimos pariat morbos, nec minima utilitas, judice Per-Illustri Domino Præside ex Epidemica Annorum constitutione, diligentique illorum observatione resultet in Rempublicam Medicam, operæ pretium duxi & Ego, ut circa Comitatum Mannsfeldiacum ex epidemica constitutione propullulantes morbos, quantum mihi observare datum fuit, annotarem & Ephemeridibus adderem, Ab Anno itaque 1697, bono cum DEO, initium faciam: Cujus Mensis JANUARIUS incepit gelu rigoroso congelare aquas, & nive conspergè terram ad 5tum usque diem, quem inconstans ingruente ultima Lunæ quadra, aëris tempestas excepit, & per reliquos hujus mensis dies mox pluviis, mox nive, mox turbinibus continuavit.

MORBI: Per hunc mensem tumores insoliti hominum capita occuparunt, ut tertio majores extiterint, quas tamen sudorifera & vesicatoria optimè dissiparunt. Sic & Pleuritis notha in gravidas nimium quamtum sæviit. Nec non catarrhi suffocativi primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines invaserunt, qui Affectus tamen appropriatis suis remediis auscultarunt.

FEBRUARIUS inconstante Aeris temperie, multis comitatus nebulis matutinis & vespertinis ad nonum usque diem continuavit, quo frigus intensum ingruit & ad 24. Quatembris scil. diem, duravit, reliquos hujus mensis dies rursùs Aer pluviosus, udosus & nebulosus excepit.

MORBI: Mense hoc Morbus Hungaricus, superveniente utpl. 7timò die Anginâ, Febresque Petechiales multis exitiales fuere. Petechiæ in plerisque absque ullis datis Medicamentis 2do statim & 3tio die maximâ cum virium prostratione & malignitate eruperunt. Et licet multi his laborantes sanis similes viderentur, tamen præter omnium opinionem die 7timo extincti sunt. Die 5to utpl. in sexu nobiliori hæmorrhagiæ narium in sequiori menstrua cum infallibili lethalitatis indicio, erumpebant. Quibus mox ab initio delirium superveniebat, morbo absolvebantur sic & diversos ex pauperioris sortis hominibus vidi superstites, qui negligentius vivebant, in frigore jacebant nec ullam sui corporis curam habebant. Ex decumbentibus etiam quidam recidivam sunt passi, ità, ut intra mensem bis fuerint petechiis insigniti, qui tamen omnes vita privati sunt. In quibusdam febre hac demortuis, facies vivorum simillima & sudore guttatim conspicua, deprehensa est. Admirationem etiam subit, quod bubones pestilentiales, in quibusdam peste, tempore ultimæ contagionis, olim infectis,

hoc mense rursus intumuerint, purulentamque materiam de se dederint. Opima Bezoardica lege Artis & summo studio adhibita respuebat omnia hæc febris; Itidemque vomitoria & Venæ sect. in principio etiam administrata erant de nihilo. Sola vesicatoria, quæ tamen plurimi recusabant, primis statim diebus in diversis corporis partibus simul applicata, multos eripiebant è faucibus mortis.

MARTIUS & APRILIS mox pluviis & tonitru, mox nive, mox turbinibus mutarunt suos dies.

MORBI: Catharri & tusses nimium quantum infestarunt Homines, in his Pillul. de Succin. Craton. it. de Cynogloss. associatis Elixiriis pectoralibus multum profuerunt.

MAJUS insolito Aeris fervere & tonitru ingruit, & usque ad X. diem continuavit. Reliqui hujus mensis dies pluviosi & ventosi noctes verò ob flantem Boream summè frigidæ exiterunt, ut & exinde fructus & fruges ob glaciem obductam frigore sint tactæ & læsæ.

MORBI. Hoc mense Pleuritis, Hæmoptisis: Arthritis vaga scorbutica, & imprimis febres Catarrhales multo infestarunt.

JUNIUS intravit rursus insolito Aeris fervore, cujus XImum diem Boreas excepit & usque ad XX. diem duravit, quo rursus Aeris fervor cum tonitru ingruit et mensem finiit.

MORBI. Hoc Mense Melancholia multos utriusque Sexûs homines invasit, qui truculentas manus sibi suisque intulerunt, supervenit & quibusdam Melancholicis Epilepsia pauca post horas lethalis.

JULIUS crebrioribus pluviis, flante Borea, per totum mensem ita molestus fuit, ut Vulcanus tunc temporis superbiret in nostris fornacibus.

MORBI: Hoc mense febres Tertianæ & Quartanæ, it. Partus difficiles sequiori sexui periculosi fuere.

AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER pluviosi & ventosi flante Borea & Euro extiterunt.

MORBI. Catharri Tusses & Pleuritis vagarunt hinc inde.

NOVEMBER & DECEMBER maximè inæquales fuerunt & mox pluviis, mox nive, mox frigore mutarunt suos dies.

MORBI. His mensibus Icterus in quibusdam cum diarrhœa, in aliis cum vomitu, in plurimis cum tumore ventris observatus est & totas familias infecit, paucos tamen intra dies pillulis meis Martialibus & Sale Cachectico Ludovici profligavi hunc morbum. Sic & Arthritis vaga Scorbutica & Podagra multos infestavit.

Epidemia Mannsfeldiaca. Anni 1698.

JANUARIUS frigore intenso per 4. dies spirante Subsolano continuavit, 5to die Aer nebulosus ingruit. 6to & 7timo Aquilo nivem, d. 12. 13. 14. Zephyrus pluvias protulit, d. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Euro - Notus nivem & intensum frigus reddidit. Reliqui mensis

sis dies, flante Zephyro, rursus pluviosi extiterunt.

MORBI. Tussis, Catarrhi & Pleuritis notha multis molesti fuere.

FEBRUARIUS pluvioso & australi aere usque ad Sextum continuavit diem, 7mo frigus intensum, spirante Euronoto, ingruit & per reliquos hujus mensis duravit.

MORBI. Pleuritis, tumores sub axillis & morbilli admodum familiares fuere hoc mense omnis ætatis hominibus.

MARTII primi VI. dies, flante Zephyro, pluviosi extiterunt, VII. frigus, spirante Euro-noto, intensum rursus ingruit & usque ad XX. continuavit, quos reliquos mensis hujus dies aer meridionalis cum pluviis & tonitru absolvit.

APRILIS totus pluviosus, spirante aer meridionali extitit.

MAJUS eodem aere & pluviis usque ad 18. diem continuavit, d. 19. Subsolanus radiis Solaribus terram siccavit, quam tamen d. 27. pluviæ & grandines rursus humectarunt, & ad finem usque hujus mensis perdurarunt.

JUNIUS, JULIUS AUGUSTUS, SEPTEMBER & OCTOBER mox pluviis, mox radiis Solaribus & aere validiori, mox frigidiori, variante Aquilone & Austro admodum molesti, extiterunt.

MORBI. Licet maxima Aeris inæqualitas per totum fermè Annum extiterit, minimi tamen morbi has oras visitarunt. Nam præter Melancholiam, Maniam & furorem uterinum planè nullus alius in Comitatu Mannsfeldiaco per Mensem Julium, Junium & Augustum observatus est morbus. Hi autem affectus permultis familiares fuerunt. Nam XV. Melancholiâ VII. mana & octodecim furore uterino laborantes meam solummodo implorarunt opem, quibus etiam ad unum, omnibus appropriatis suis remediis & imprimis vesicatoriis & VenæSect. Deo auxiliante pristinam reddidi sanitatem. Nymphamoniacæ imprimis mira passæ sunt symptomata. Quædam nil nisi obscœna proferebant verba, veneremque intendebant. Quædam insomnia phantastica recitabant, & modò hunc, modò illum Sanctum. l. Principem. l. alium Magnum pro sponsis habebant. Aliæ cantabant, saltabant & modò in caput, modò in pedes se conjiciebant, variaque absurda immiscebant. Aliæ rythmos componebant, totas paginas è Bibliis recitabant & Chiliastas se profitebant. Extitit autem, quod mirandum, furor uterinus contagiosus, nam iisdem in ædibus sæpè 2. 3. & plures decumbebant mulieres hoc affectu. Vidi etiam meis: Quòd præfecti cujusdam uxor in paroxysmo ejusmodi furente constituta, ex adstantibus mulierculis rusticam quandam virginem ad osculandam manibus arriperet, recusantique colaphum impingeret, ex quo terrore rustica hæc, altero die post, eodem affectu infecta fuit.

NOVEMBRIS initium frigidum fuit, reliqui verò ejusdem dies mox pluviis, mox nive rursus molesti extiterunt.

DECEMBER mox frigore, mox pluvijs, mox nive, mox turbinibus Annum absolvit.

MORBI. Hisce mensibus vario-

l. suis maculis primæ, mediæ & ultimæ ætatis homines signarunt. Vidi enim vetulam septuagenaria propinquiorem, & virum sexagenario majorem, variolis absque vitæ jactura decumbentes. Sic & bruta à variolis non immunia fuere, ex quibus pennata, ut pote anseres & gallinæ, tùm domesticæ, tùm indicæ, hisce infecta perierunt ferme omnia. Oves & porci verò, quibus expellentia [utpote cineres ex stipitibus fabarum, vel frumento secalino cum urina humana, vel rob. Sambuci &c.] ab Oeconomiis curiosis propinata sunt, utpl. evaserunt superstites.

Constitutio epidemica Berolinensis An. 1700.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Müllen.

JAnuarii 1mus st. Greg. gelu quod annum præcedentem finierat, cum degelascente tepore imbribus ac nivibus mixto commutavit, & ad festum Apparitionis s. ut vulgo vocant trium Regum usque continuavit, sequenti festum die gelu cœlo sereno vires recuperavit, ac per triduum servavit, 10.mo rursus & sequentibus; 12mum gelu aliquali & nivibus diversum, cum 16to, 17mo & 18vo blandum gelu nocturnum cœlo nubiloso à meridie pluviis rorantibus, si exceperis ad 25tum usque remittens, 26tus priorem vigorem reassumsit, illique nives superaddidit; eoque tenore sequentibus, 29no excepto, ad 30mum usque duravit, tandem 31mo ac ultimo illius mensis, pluvioso, à meridie vario desiit æthere.

Februarius temperato quidem frigore cœpit, sed nivibus quandoque aliàs pluviis, utut raris, interpolato varius fuit ad 22dum usque, à quo redintegrato per triduum brumali rigore, sereno interdum cœlo, 25to sensim remittente, 28vo circa vespe-ram in pluviam tandem delicuit.

Quam prima Martii serenus excepit dies, hunc que sequentibus gelu nocturnum, subinde & diurnum, nivibus 3tio & 4to opertum, succedentibus à 5to ad 11mum satis rigidum, remittens 12mo ad 25tum usque Cauro impetuosius flante noctu valdè gelidum & hujus sequaces ad finem usque mensis, Cauro licet ab Aquilone repulso ac hinc 30mo succedente Euro eodem ferè tenore perdurantes.

Morbi hoc anni quadrante præter scorbutum ferè endemium ejusque asseclas, ut & cognatum malum hypochondriacum, fuere frequentiores Catarrhi, tusses, febribus, quandoque Catarrhalibus, variis defluxionibus, in genas, dentes, maxillas, guttur, scapulas, ipsum quoque pectus & pulmones, pleuritide item tam verâ, quàm spuria, indeque utplurimùm pullulante hæmoptoë, hancque nonnunquam excipiente aut Phthisi aut hectica, haud rarò etiam nephriticis doloribus complicatæ. Præterea febres quoque aliæ variæ, inter-

interque illas quædam malignitate non vacantes, morbilis & variolis ut & purpura ſeſe prodentes.

Aprilis primis diebus Euro-noto ſpirante paulò remiſſior, 6to Vernæ amœnitatis prænuntio, variantibus ſubinde ventis & nonnunquam ſatis aſperè flantibus, ſereno tamen plerumque cœlo, rarius pluvias rorantes ſpargens, ad extremum uſque diem temperatus fuit.

Cui Majus ferè totus reſpondit, frigidior equidem paulo præter 12mum & 17mum ſudo & tepore verno amœnos, ad 22dum in pluvias comite tonitru circa veſperam cum ſequenti toto & 24to manè uvido ſolutum, ſuccedente biduo ſereno ac temperato, poſtque 27mo manè pluvio, tandem ad 31mum adeoque ultimum ſerenus & amœnus.

Junius ſerenitatem & amœnitatem vernam Majo cœptam ad 6ti uſque veſperam cum pluvia tonitru advehentem continuavit, 7mus & 8vus præcedentibus nubiloſiores, circa veſperam rurſus pluvii fuerunt, reliqui ad 12mum obſcuri & frigidi, ſicci tamen; à 12mo verò, 20mo manè pluvioſo, veſperi tonitruoſo excepto, ad 22dum & 23. ſerena & amœna temperie commendabiles, ac hos inter 14tum, 15tum, 16tum & 17mum æſtivo ferè æſtu graves fuerunt, ſubſequentes pluvioſi, quandoque tota die ac nubili ad 30mum uſque & ultimum manè nubilum, poſtea præcedentibus ſereniorem.

Morbos hoc trimeſtre præter prædictum ſcorbutum & ab illo dependentes Cachexiam, dolores, tumores & id genus alia ſymptomata, febres genuit omnis generis, communes, Ephemeras, intermittentes varias, etiam ſeptiduanam, paroxyſmo ſeptimo quoquo die recurrente, rariùs, ſi unquam antehac in praxi occurrentem; continuas, ardentes, cum & ſine exacerbationibus, Catarrhales, malignas haud rarò, pleuritide, arthritide, Catarrhis alliſque variis defluxionibus tuſſi, doloribus præcordiorum & hypochondriorum, aſthmate, interdum convulſivo infeſtas, purpura, morbillis atque variolis aliiſque exanthematis fædas, paſſiones item hyſtericas, nephritides, diarrhœas, hæmorrhagias etiam uteri, &c.

Julii prima dies ſerenitatem ultima Junii cœptam continuavit; Verum ſequentes menſe ferè toto alternis diebus ſudum cum pluviis nunc parcioribus, nunc copioſioribus alternando, æſtivum ſereni cœli æſtum ſic imbribus & pluviis temperarunt.

Auguſtus à primo ad 7mum ferè pluvioſus, triduum ad 10mum uſque ſerenum intercalavit, ſequens triduum manè ſiccum veſperi pluvia maduit; 14tus vento nubes diſſipante ſerenas, 15tum ſucceſſorem habuit totum udum & imbroſum, 16tum manè pluvium, poſtea ſerenum, ſerenitate triduum continuante, biduum rurſus mane nebuloſum poſt raras ſpargendo pluvias vida m. Sudo 22do interſerto 23io nubilo, tonitruoſo ac pluvioſo in ſerenitatem tandem declinanti 24tus ſucceſſit ſerenus & amœnus, atque huic frigidulum pluviis ſubinde madens ad finem uſque menſis ſeptendium.

September facie à primo rorante nonnunquam aliàs ſereno, in ſudum æſtu ſæpiùs grave mutata, ad 13ium uſque

usque manè serenum, licet à meridie post tonitru grave imbridum, commendabilis, triduum accivit varium pluviis serenitati interspersis, ac frigore, moderato tamen, non usquequaque gratum; triduo alio sudo gratiori exceptum, biduo rursus interpolatum vario, 22do sicco, 23. toto ferè pluvio ac frigido 24to manè nebuloso ac nubilo, à meridie sereno, substituti triduum ejusdem ferè tenoris frigidum tum serenitas bidui postremi mensem nunc simulque trimestre hoc absolvit.

Qua morbos id præcedenti ferè compar, nisi quòd frequentiores adhuc fuerint febres præsertim ardentes & malignæ, petechiales quoque, pleuritides item phtisin quandoque declinantes, quædam veræ, quædam etiam nothæ, dysenteriæ & diarrhæa, æstui partim & inordinatæ, in potu præsertim & fructuum horariorum ingurgitatione, diætæ originem debentes nonnunquam lethales variæ, febribus interdum comitatæ defluxiones cum tumoribus artuum, præcipuè genarum valdè contumacibus.

October à primo ad 4tum usque nubilum & à meridie rorantem, indeque ad 8tavi usque vespertinam pluviam serenus, temperatus ac sudo ferè jugi veris instar amœnus, Noctu inter 8vum & 9num Tonitru horrendo terribilis, nono sparsis à meridie pluviis paulò horridior, 10mo sine pluvia nubilus, 11mo sudum redintegravit, biduo succedente vario ac quandoque pluvio, 16to vesperi pluvia madens, cætera cum sequentibus quinque serenus, 21mo nubilus subindeque rorans ac Austro flante frigidus, 22do manè pluvius ac nubilus cum sequentibus quinque siccus; 27mo nubilus totus ac imbrosus, 28vo vulturno aspirante nebulosus manè, postea cum insequentibus ad 31mum ac mensis hujus postremum, paululum rorantem & frigidum, serenus atque siccus.

Novembris primus durante adhuc Vulturno gelu induxit, & per biduum continuavit, quod tertio rorante manè parumper cælo remisit, succedente 4to toto pluvioso; tum biduo turbido sicco tamen, manè præsertim atque huic ad 12mum usque varia, quandoque nubila, alias serena, sicca subinde, rursusque pluvia tempestate; tandem Cauro afflante gelu 13tio serenum accessit ac sequenti mane turbido & à meridie nive prima comitato, usque ad 19num à rigore remittentem & pluviis madentem duravit. Tum post biduum pluvium, biduum successit gelidum procellosum & grandinosum; huic demum nix manè pluviis mixta, à meridie ac sequenti 24to in imbres deliquescens, sequenti verè nocte Austro flante rursus gelascens, diurno succedente per quatriduum sudo, vesperi vento paulatim ad Eurum regrediente in nivem resoluto ac biduo subsequente toto pluvioso, nebuloso ac inamœno mensem terminante.

Decembris primus gelu reduxit ac nives, quod ad 5tum usque circa vesperam pluvia sparsa remittentem duravit, hunc sequens biduum adhuc remissius prima die pluvias vespertinas tulit, altera siccius fuit, 8vus manè nebulosus valdè ac pluvius, postea siccior, 9nus, totus nebulo-

sus &

sus & Zephyro aspirante imbrosus, 10mus manè paulò serenior, vesperi pluviosus. 11mus mane turbidus, post serenior tandem nubilus & udus, 12mus blandum gelu, nonnunquam nivibus nonnunquum gelicidio interpolatum reduxit, ad usque 20mum, qui rigorem majorem addidit ac quatriduum continuavit, circa vesperam 24ti remittens ac vario cœlo, utplurimum tamen uvido, ad 31mum usque perseverans, sicque hoc trimestre simulque annum ipsum temperato, at ingrato frigore claudens.

Ultimum hoc trimestre morbos produxit prioribus nec frequentia, nec varietate nec gravitate cedentes, passiones, hypochondriacas, Iliacas, Colicas, hystericas, nephriticas, Febres varias, præsertim acutas, ardentes continuas, catarrhales, pleuriticas, malignas quoque variolis & petechiis infames & quandoque funestas. Defluxiones & Catarrhos, suffocativos quoque, in genas, guttur, pulmones &c. depluentes. Asthmata convulsiva quoque nonnunquam & anginas causantes. Diarrœas & dysenterias, Cephalalgias, hemicranias, cardialgias, odontalgias, hemiplegias, Apoplexias, Epilepsias, præsertim infantum. Tumores varios & dolores, utplurimùm contumaces, & innumera alia scorbuto præsertim & Venereæ lui familiaria symptomata, brumali frigori, cœlique frigidiori ac humidæ constitutioni variabili & inconstanti ex parte tribuenda

Constitutio Epidemica URATISLAVIENSIS

Anni 1699. 1700. & 1701.

EXcellentissimi Domini Uratislavienses uti hactenus inter Naturæ Curiosos solertiæ & curiositatis palmam non paucis aliis dubiam reddere allaborarunt, ita laudabili instituto, circa conscribendam morborum in Germania epidemicorum historiam, & ipsi favere, ac Patriæ suæ celebertimæ similem statum delineare decreverunt; Cujus priores tres Anni de Morbis qui Anno 1699. 1700. & 1701. Uratislaviæ grassati sunt publicis typis jam excripti legantur, & pro hoc nostro Volumine paulò prolixiores sint, synopsin eorum hic dare libuit! omissis iis morbis, qui epidemicorum censum haud ingrediuntur.

Cum Anni millesimi, sexcentesimi, nonagesimi noni Januarium horridum Uratislavienses reddidissent Nebulæ & Venti, variis vicissitudinibus, potissimum intercurrente pluviâ, subinde tamen & frigore, quamvis remissiore graves; initium quoque, imò majorem ferè partem Februarii sub eadem cœli inconstantia transegerunt, nisi quòd alterna frigoris vis majori impetu corpora concuteret, & aër circa plenilunium serenus languentes animos excitaret; quæ cœli inclementia ineunte mense Martio continuavit, non rarò tamen effusis ad plenilunium usque, quæ illicò tabescebant, nivibus, & terrâ pruinis horrente;

rente; cum e contra mollior aër, vergente ad finem mensæ, ac sudum, tellurem foveret. Primus ergo hic anni quadrans toto ferè decursu excessit in humida constitutione, quam etiam adcuratæ tam barometricæ, quàm thermometricæ observationes confirmarunt. Quo tempore, cumprimis sub Januarii principium, Dolores spasmodici sanguineo-cholericos, & melancholico phlegmaticos affligebant, frequens erat Arthritis, prædominabatur tamen in subjectis iracundiæ obnoxiis & diætæ aromaticæ ac vinosæ deditis, præcipuè liberaliori vini Hungarici, à solo calce vivâ ferè penitus substrato infecti, potui inhiantibus. Plures intempestivo frigidi & humidi aëris accursu admisso, Pleuritis notha occupabat, temperatioribus diureticis magis, quàm diaphoreticis cedens. Multi de dolore lumbos infestante conquesti, pro nephriticis promiscuè à Medicis non satis exercitatis, & vulgo habiti fuerunt, cum tamen non semper renes, sed plurimas etiam alias partes in illa corporis regione latentes, adfici posse, sagaciores Medicos fugere nequeat.

Sub finem ejusdem mensis in scenam prodibat Febris petechialis, quæ licet post 14. Aprilis diem conticesceret, mense tamen Majo iterum ferocire, & quidem cum catarrho suffocativo, præprimis in ætate teneriori incipiebat, ac non æquè in infantes, pueros & senes, sed in feminas, & frequentiùs in mares sanguineos & sanguineo-phlegmaticos sæviit, ac præprimis iis gravis ac infesta incubuit, qui vino atque spiritu vini se obruerant, ac corpus cacochymicum pravâ victus ratione contraxerant; cæterum prævio horrore, cum quadam gravedine, tussi, imò & faucium inflammatione & tumore invadebat, aderat præceps subita virium prostratio, pulsus exilior & imbecillior, frequens tamen & inæqualis; calor qui horrorem sequebatur, in sanguineis intensior totum corpus occupabat, maximè verò caput, undè in fluidioris habitus corporibus, cephalalgia acutior, rubor faciei, oculi scintillantes, vigiliæ, delitia furiosa, jactatio corporis, sitis &c. in sanguineo-phlegmaticis, quorum sanguis sero viscido abundat, calor multò mitior apparebat, qui non paucis imponere solet ægris & Medicis, ut parum periculi subesse, cum magno suo discrimine credant; à quo fallaci calore fortè febris illa maligna vocari meruit, sumptâ metaphorâ ab hominibus malignis, qui aliud fronte promittunt, aliud in intimiori cordis recessu premunt; in his calori respondebat sitis tolerabilis, & quies corporis sine manifesta jactigatione, sed debilitas gravis ac continua in somnum propensio, ac non consulta antea taciturnitas, cardialgia, lingua modò lento succo obducta, modò fissuris asperis & scabris dehiscens, aut retorrido calore cum vicinis faucibus arebat. In hominibus melancholici temperamenti, quorum tamen non nimis multi hac infirmitate detenti fuerunt, statim ab assumpto alimento vel medicamento flatus & hypochondriorum murmura. Cholerici loquacitate suâ aliorum aures obtundebant, & calore acriori tangentis manum, urebant.

Omnes

Omnes cujuscunque complexionis, graviter nauſea cibi & appetitus dejectio infeſtabat. Senſim deinde æſtus invaleſcebat, ut luculentus calor in partibus externis deprehenderetur. Exerebant ſe etiam dolores varii, modò pungentes, modò mordicantes. Circa quartum, ſeptimum, imò etiam undecimum diem, in pectore, dorſo, brachiis, lumbris & cruribus, maculæ rubentes, puncturis pulicum ſimiles, ſine levamine erumpebant, aliquando etiam majores lenticularum magnitudinem æquantes; rubræ illæ meliores, deteriores verò citrinæ, lividæ, violaceæ, imprimis ſi hæmorrhagia gingivarum circa dentes inciſorios ſuperioris maxillæ enormior juncta fuerint; nigræ, præprimis majores omnium peſſimæ. Urina non uno modo comparata erat; nec alvi excretio; hæc liberalior ſalutaris admodum poſt diem ſeptimum obſervata, & accedente ſudore ſolutionem morbi promittebat; cum econtra ſiccitatem alvi hæc febris peſſimè tulerit. Vermes per alvum cum ſedibus aliquoties rejecti. Pejus cum iis agebatur, quos vomitus partim humorum variorum, partim quorumvis aſſumptorum, aut etiam inanis cum nauſea & cardialgia affligebant, præſertim ſi ſingultus iis ſe comitem adjungeret. Sudores primis ſtatim morbi temporibus ſine levamine, ſed poſt quartum morbi diem, circa ſeptimum, undecimum &c. felicioris eventus indices erant: cadaveroſus erat funeſtus. Cum hæmorrhagiis quidam evaſerunt. Morbus nequaquam intra quatuordecim dies ſiebatur, ſed ad 21. imò & ultra ad 40. uſque extandebatur. Solvebatur rariſſimè per hæmorrhagiam, aliquando per abſceſſum, frequenter per ſudores, ſæpiſſimè autem tum per hos, tum per diarrhæam; quandoque etiam per tumores in variis corporis partibus, cumprimis in ano, per exanthemata miliaria, pedum ſcabiem, icterum &c. Cura ſine V. S. (qua ſanguis eductus in ſuperiori parte, cruſta albâ ſpiſsâ, tenaciſſimâ obductus, in inferiori verò, modò floridus & fluidus, modò concretus & coagulatus fuit deprehenſus,) peracta felicius ſucceſſit. Quibus ſtatim ab initio mite evacuans datum, facilius morbum ſuperarunt, quale fuit potio Sydenhamiana in doſi aliquamtùm minori, pulvis ex Antimon. & Nitro depur. Tart. Vitriolato ac grano j. vel ij. ſcam. ſulphur additis apud ditiores granis paucis auri fulminantis, vel etiam quæ ſimul ad malignitatem habent reſpectum. Vomitoria in principio hominibus phlegmaticis aut melancholicis robuſtis & nauſeantibus, præſenti conatu vomendi, interdum cum ſucceſſu data. Cæterùm ferè tota cura per placidum ſudorem, ſeu potiùs madorem, bezoardicis, pulv. Bez. Sennerti, *Rhumbaum*, *Döring*. Pannon. rub. &c. Miſt. ſimpt. Eſſentia ſcordii ſaturatiori, myrrhâ, diaſcordio, abſoluta; fortiora, volatilia ſalia, bezoardica calida ac ſpirituoſa omiſſa, quia obfuerunt: camphora planè præterita, cum vis ejus alexiteria non niſi nudâ traditione & opinione hominum nitatur, & interné plus detrimenti quàm auxilii ſpondeat. Diarrhæam, niſi eſſet colliquativa, aut inflammationi in-

testinorum superveniret, nequaquam supprimere studuerunt; quinimo non rarò laxans ordinarunt, ac internè per totum morbi cursum nitrosa cum sufficienti potus quantitate eâ intentione ægris propinarunt, ut ventriculus & intestinorum volumina ritè abstergerentur, & materia biliosa acris ac urens è corpore proscriberetur; alvi tamen profluviis modum excedentibus nitro in exigua dosi exhibito, interpositisque terreis, pulveribus, aut diascordio Fracast. frenum injecerunt; reliquis etiam symptomatibus convenienter obviam iverunt.

In Januario Odontalgiâ seu Hemicraniâ laborabant ista potissimùm mulieres, quibus negotium mensium magis impeditum; nec nulli erant, qui Ophthalmiâ vexarentur; Illis Tinctura odontalgica Mynsicht. & VVedelii &c. his decoctum cort. granator. &c. profuit. Occurrebant etiam, quos Icterus fœdabat, & Martialia liquida præcipuè cum salinis, aliisque juvabant.

Mense Februario, præter Variolas & Morbillos, aliæ quoque Maculæ cum febre sub noctem ingravescente, & tussi ferina, corpora infantum occuparunt, latæ rubeæque, Morbillis non admodum dissimiles in facie, minutissimæ verò & puniceæ in dorso, lumbis & pectore; nonnullæ elevatiores ad naturam Variolarum accedebant, ac pruritu & fervore molestissimæ, tandem per abscessionem epidermidis in squamulas resolvebantur. Grassabantur etiam aliæ mitiores Variolæ, à forma acuminata *die Spitzblatteren* vocatæ, nec non quas *Schaafs Blatteren* nominant, pustulæ scil. latiores minusque acuminatæ. Graviores ob intensiorem æstum erant Rubeolæ, diaphoreticis fixis curatæ.

Fuêre etiam qui difficulter admodum respirabant, & de gravedine solùm quadam ventriculi conquerebantur, paratam in scorbuticis medelam invenientes, acetosa, acetosella, rad. ari, helenii &c. non in cochlearia, si maculæ fervidioris intemperiei indices deformabant.

Infantes Tussis convulsiva fatigabat satis frequenter, in qua Pulvis antepilepticus Ludovicianus utilis.

Alii, lactantes æquè ac ablactati, omni hyeme Atrophiâ corripiuntur, cum febricula circa vesperam ingruente, inquietudine & siti nocturnâ, fame, torpore, abdomineque tumente; à ductuum lacteorum & glandularum, viscerumque glandulosorum lenta ac viscida obstructione, in qua Tinctura ♂ aperitiva vitriolata, arcanum duplicatum &c. prosunt.

Erant etiam quidam Hæmoptoici, atque inter hos pauci, qui sine noxa evaserunt, in lentam tabem & phthisin præcipuè prolapsi; V. S. malum hoc cessisse compertum est, nec non largiori Nitri exhibitioni.

Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat, solitis stipatum symptomatibus, hypochondriorum distensione, ventriculi concoctione languidâ, ructibus acidis, vomitu, rugitibus, sputatione crebrâ, alvo segni, duritie, tumore in regione lienis, anxietatibus præcordialibus, cordis palpitationibus, vertigine, pavoribus in somno, aurium tinnitu, doloribusque variis.

Cura

Cura eorum in crassis humoribus attenuandis erat, per nodulos aperientes, martialia, urinosa volatil. myrram, crocum, mixturam simpl. tincturam vitriol. ♂. tart. D. L.

Illucescente Martio turmatim scabiosi occurrerunt curandi; id quod, præter externa, blandis diaphoreticis imprimis fuit præstitum.

Circa idem tempus non paucos tantum non exanimabat molestissimus pruritus, præprimis senibus & cœlibibus gravissimus, ac inter hos hominibus siccioris constitutionis. Conducebant iis medicamenta nitrosa, & diuretica saponaria, quæ salsos & acres atomos ad vias urinarias deducunt.

Primus Aprilis dies serenus illuxit, & calore suo Veris delitias sperare jussit. Non diuturna tamen hæc felicitas fuit, nam nebulæ & pluviæ à meridie primis diebus gratum solis adspectum ad breve tempus ademerunt. Qui secuti dies, vernali tepore ad plenilunium omnia brumali aurâ quasi rigentia blandè vegetabant. Deinde cœlum varium erat, interdum serenum, interdum nebulis obductum, nimbos ac pluviam effundebat. Majus, quo aliàs omnia rident & est formosissimus annus, nebulis, pluviis & ventis, si paucos amœniores dies excipias, rigidus erat. In Junio iterum amœnior ac serenior aër, cujus jucunditatem etiam vergente ad finem Majo degustare licuit, comparuit; neque tamen ad finem processit sine imbribus, quorum iram proximi Uratislaviæ accolæ, perruptis aggeribus, gravem, cum damno sanitatis & facultatum experti sunt. Grassabantur tum morbi plerique ab Hippocrate enumerati, ubi de vernalibus ei sermo, furores, melancholiæ, epilepsiæ, fluxiones sanguinis, anginæ, gravedines, raucedines, exanthemata varia, & articulorum dolores, febres insuper intermittentes: in ætate puerili & adolescentia sanguinis excretiones è naribus, hæmoptyses iuvenibus magis familiariter evenêre, quemadmodum vomitus cruenti viris & feminis, vitæque sedentariæ deditis, hæmorrhoidales autem depletiones paulò annosioribus acciderunt; mictus quoque cruenti exempla notata. Circa loca illa corporis, quibus sanguis erumpit, ingeniosissimum D. Stahlium, Hallensium Practicum, & Professorem secuti, spasmodicas pressiones, sanguinis congestionem, vasorum & pororum tensionem, atque turgescentiam, cum sensu ardoris, lacinationis & pulsationis observarunt, quin etiam ferè ad ejus mentem, curam felici cum successu instituerunt: violentioribus verò sanguinis depauperationibus, efficacissimis remediis occurrerunt. Insolita uteri hæmorrhagia septuagenariis proximas, quæ nullo remediorum genere cohiberi potuit, in mortem præcipitavit.

Typus febrium intermittentium non unius generis erat: nonnullis paroxysmi omni die, aliis tertio quovis molesti erant: erant, quibus quovis die duo paroxysmi erant superandi. Nec infrequentes tertianæ duplices, in quibus paroxysmo primo non respondet secundus, sed tertius, secundo quartus, tertio quintus, quarto sextus &c. ita tamen, ut non tantùm tertio die, sed etiam

intercalari febricitarent. Semitertiana paulò quidem rarior, at non prorsus defuêre, qui omni die quidem febre corriperentur, sed tertio quovis die duorum paroxysmorum impetum sustinerent. Vigebant quoque febres erraticæ; quæ incertis recurrebant diebus & horis. Ambigebatur, an in censum febrium intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem intermittentium indolem, tragœdiam à calore satis intenso auspicabantur, nam utut ἀπυρεξία, quæ initio adesse videtur, genium intermittentis redoleat, languor tamen magnus, pulsus aliqua agitatio, & cœtera symptomata continuitatis opinionem confirmabant. Eadem ferè mens erat de illis, quibus malignitas conjuncta est, & tamen remissione quadam non carent, sc. doloso intermissionis cinerì primorum dierum suppositum fuisse ignem continuatum, elucet ex eo, quod sequentibus exacerbationem quidem caloris & symptomatum, non item veram remissionem observare liceat. V. S. omissâ, Vomitoriorum tempore intermissionis frequentior usus fuerat; nec purgantia omissa. Quoniam verò hæ febres focum habent in primis viis, incidentibus cura fuit peracta, præsertim tartaro vitriolato, arcano dupl. sale lixiv. absinth. centaur. min. card. ben. &c. quæ cum acria sint, incidunt, dissolvunt pituitam, & reluctantur acido, addita iis, præprimis post aliquot febrilium paroxysmorum decursum, subinde præcipitantia; in exanthematica, antiscorbutica; in contumacioribus cortex Peruvianus, in pulvere vel electuario, cum essentia segnior sit; in vino generoso albo, maceratus rarissimè spem expectationemq; implevit: in febribus cum inflammatione quadam conjunctis nunquam non noxius deprehensus, in febribus etiam aliis calidioribus obscurè remittentibus functus fuit; quibus non alia, quàm quæ malignis debetur, ratione medendum: & eximiæ prudentiæ medicæ statuitur, etiam verè intermittentes, epidemicè grassanti aliquâ malignâ febri, alexipharmacis & bezoardicis oppugnare, ne ægri in prædominantem epidemicam prolabantur.

Vehementius eodem anni tempore dentientes laborabant, ob turgescentes nutricum, & ipsorum infantium humores.

Sæviebant quoque pathemata spasmodica, ac Epilepsia passim pusillorum corpora hoc mense torquebat, multosque jugulabat: In symptomatica, fomitem in pituita viscida & acida habente, resolventia, incidentia, & modestè evacuantia omne ferunt punctum; in idiopathica quò te vertas, vix appareat, specificis voto non respondentibus.

Multis negotium facessere visa est Cardialgia: alii morsus, punctiones & lancinationes, alii rosiones sese percipere aiebant: nonnulli de tensivo & compressivo tantùm dolore, ad utrumque latus pertingente, & cinguli alicujus instar constringente conquerebantur: plurimi verò gemitibus & altè ductis suspiriis, anxietatis interpretibus, adstantium aures obtundebant. Inanes vomitus utplurimum cardiagmi erant comites, quos imperiti emetica indicare cre-

credebant ; ſæpe etiam in feminis, paſſionibus hyſtericis obnoxiis, deliquia ſuperveniebant ; ſingultus etiam jungebatur.

Nonnulli Bubonibus infeſtabantur ; alii tumoribus aliis, præprimis Parotidibus, quæ iis, quorum vires violentia morbi fractæ erant, mortem denunciabant ; profuerunt autem emollientia, maturantia, diſcutientia, his verò non ſatisfacientibus, ſuppurantia.

Frequens erat illis diebus Coryza, conjuncta cum καρηβαρία, dolore capitis, ſternutatione ; nec non depravata auditio, modò enim erant, qui ſonum talem tintinnabulum pulſatum edit, ſibi percipere viderentur, modò qui de ſibilo quererentur ; nec nulli, qualem, qui pulſationem intra autem ſentirent; pulſus autem ille exactè cum pulſu arteriæ convenit, nec aliunde, niſi ab arteria dilatata pendere veriſimile eſt ; ſenes nonnulli ſonum fluctuum alliſioni ſimilem, vel ſtrepitus varios in auribus ſuis excitari ajebant : ubi ſanè aër aliis fætus corpuſculis in ejuſmodi ſonitu non tantùm organum immediatum auditus, ſed & partes cerebri, in quibus filamenta nervi auditorii terminantur, concutit, ac eoipſo varios ſonos excitat. Varia contumaci huic malo, & aliquando in omnimodam ſurditatem abeunti oppoſita, non ſemper optatum eventum conſecuta fuerunt.

Raucedo etſi hyberno tempore maximopere ſoleat eſſe frequens, ac facilè curetur, quia fortaſſis tantùm ab exaſperatione ſuperficiei glottidis à frigore aut acribus ſalſisque humoribus inducta, dependet, occurrerunt tamen aliquot etiam in Maio exempla raucedinis omnem artem eludentis.

Menſe Junio aliquot Anginæ exempla oblata fuêre, i. e. laryngis ſeu pharyngis inflammationis, in juvenibus potiſſimum ſanguineæ conſtitutionis, poſt motus corporis impetuoſiores, aut nimias ſpirituoſorum potuum ingurgitationes ; horrorem ingens æſtus cum ſiti Tantalea excipiebat, pulſus erat frequens, durus, inæqualis, urina ſaturatiſſimè rubra, magna aderat reſpirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri ſpiritum ducebant, & creſcente malo ſtrangulationis periculum inſtabat ; deglutitio tantopere impedita, ut potus faucium anguſtias vix ſuperaret, quin ſæpe in nares refunderetur ; in faucium iſthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior eſt, vel oculis cernebatur, vel manibus palpabatur, in iis verò, quorum vita in majori periculo, nullus planè tumor deprehendebatur. Non tantùm iſthmus ita exurebatur, ſed ſpectabatur ſimul in ore rubor flammeus, urgebat dolor acutus pulſatorius & punctorius, lingua tumida, obſcurè rubra canum inſtar exerebatur, fauces arebant ; ſi ægrotantium os aperias, omnia tenſa videbantur ; venæ infarctæ, oculi prominentes & ſanguine ſuffuſi, præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens ſedendi cupiditas. Ingens præ foribus periculum, cùm articuli gelido torpore rigebant, vultus liveſcebat, vox intercipiebatur, & ſtridor quaſi in gutture & pectore audiebatur ; inexorabilis mors inſtat, deficiente

ficiente pulsu & voce quasi in caninam mutatâ, apparente etiam subinde spumâ oris. Omnia verò symptomata sunt mitiora in notha Angina. In vera, post venæsectionem, leniorem purgationem, resolventia seu discutientia, & in sanguine viscidiori etiam attenuantia profuêre, non neglectis leniſſimis adstriugentibus; si verò conatus discutiendi essent irriti, & dolor pulsatorius quarto vel quinto die suppurationis admoneret, eadem fuit debitè promota. Notha purgantibus mercurialibus, & blandioribus diaphoreticis, post V. Snem. in plethoricis, feliciter intra paucos dies fuit sublata.

Occurrerunt etiam eo tempore quidam alii inflammatorii affectus, quorum sedes an in hepate, an in pleura, an in membrana pulmonum quærenda, dubium, signis vulgò traditis fallacibus; cum econtra curandi eos methodus una eademque observari tutò possit; quæ in stasi sanguinis discutienda consistit, per V. S. in plethoricis, & diaphoretica fixa, non exclusis in phlegmatico sanguineis volatilibus in dosi valdè mediocri; externè verò per vini spiritum camphoratum.

Julius naturam suam planè exuerat, ac majori ex parte imbribus, procellosis aëris agitationibus ac frigore squalidus erat; benignior Augustus, non tamen absque pluviis cursum absolvit. Æstiva amœnitas verò denuò in Septembri affulsit.

Mense Julio vagabantur iidem propemodum morbi, qui præcedentibus mensibus stragem ediderant, sed præ reliquis ferociebant Catarrhi, qui difficillimè medicamentis compescebantur, ac præprimis admodum rebelles erant illi, qui sedem in artubus, & potissimum in superiori brachii parte fixerant, ac ex dolore gravativo motu partis impedito, imò etiam tumore aliquo, sine inflammationis signis, ex decubitu serosæ materiæ oriundo cognoscebantur; Unde lympham stagnantem vel motui suo restituere, vel ex corpore, ac præcipuè partibus laborantibus evacuare decuit.

Catarrhalis quoque prosapiæ alii morbi notati, Otalgia scilicet & Tumores palati; nec non Diarrhœæ frequentiores comparuerunt, quas rhabarbarum tostum, c. nuce mosch. & bolus Tockavienſis ac caryophyllata compescuerunt.

Obvenêre etiam quædam melancholicæ femine 30 ætatis annum supergressæ, mœstæ, alta suspiria ducentes, taciturnæ, à communi hominum consortio se subtrahentes, & ad nescio quem strepitum expavescentes, ac mirabilius suspicionum procellis jactatæ, levique causâ in epilepsiam hystericam devolutæ. Cùm verò dyscrasia humorum, ac impeditior eorundem motus in vena portæ, ac excretionis menstruæ mora adesset, post venæsectionem, vomitoria, pedilavia, sanguinis attenuatio procurata fuit per volatilia, sudorifera, martialia &c.

Mense Augusto nonnulli laborabant febri, quam Veteres dixerunt biliosam, (quæ subinde in lipyriam abit, cum gravitate & angustia in scrobiculo cordis, conjuncta, non rarò cum nausea incipiens; aderat horripilatio non nimia, sed frequen-

ter

ter recurrens, capitis turbatio, & sanguineo-cholericis etiam dolor. Exacerbabatur quotidie horis matutinis, subsequis vel vomitu vel sedibus; quæ si deessent, æstus gravior; fauces aridæ, & sub finem deliriâ comatosa, semper ferè funestum minabantur exitum; hypochondria tendebantur & acerbissimis puncturis infestabantur. Jusculæ tenuissimæ, nitrosa, theriaca, optimo cum successu adhibita; locum etiam habebant acida temperatiora, decoctum hordei &c.

Nonnulli etiam patiebantur febrem, quam synocham Scholæ Medicorum antiquæ, alii causum nominant; scilicet plethorici hæmorrhagiis vel venæsectioni assueti, ante solis ortum horrore quodam corripiebantur, subsequente æstu valdè gravi, respiratione anhelosâ & suspiriosâ, lipothimiâ ac ἐφυδρώσει; dolores capitis lancinatorii, ac tinnitus aurium, ut & vertigines indivulsi comites erant; tensiones dorsi & artuum non minori molestiâ afficiebant, sitis premebat maxima, ejus defectus non semper malus; in junioribus circa diem septimam hæmorrhagia narium largior morbum solvebat, in paulò annosioribus die 14. copiosis cessabat sudoribus; calamitosa autem horum sors, si soporosi supervenirent affectus. Eximius usus V. S. in principio hujus febris, modò illa non ortum trahat à nimiis laboribus, aut quod neonuptis aliquando accidit, abusu veneris; Cæterùm bezoardica & diaphoretica, analeptica & diaphoretica in usum venerunt.

Spectatæ insuper fuêre aliæ febrium species, assodes, elodes synopales.

Mense Septembri Ophthalmia frequentiùs occurit; cui interdum venæsectio, purgantia ferè omnibus aliquod auxilium attulerunt, diaphoretica apprimè juvarunt.

Diarrhœæ satis erant frequentes, neque tamen nisi ad medium mensis durabant, ac locum deinceps cedebant redeuntibus febribus continuis, cum dolotibus capitis, nuchæ, faucium, orificii ventriculi, lassitudine ulcerosa &c. quæ bezoardicis fixis & temperatis optimè curabantur.

Plurimæ feminæ de mensium perturbatione & suppressione conquerebantur, quæ cum ab ingurgitatione ciborum insalubrium proveniat, emetica, in quibus malum nondum egerat radices, cum salutari effectu data sunt; reliquis verò lenioribus purgantibus, ac incidentibus, & aperientibus subveniendum erat.

Nec nulli erant, quos tum vexabat Dysenteria; qua de prolixum discursum Excellentiss. Dn. D. Helvvichii in ipso tractatu legere licet.

Initia mensis Octobris æstivâ amœnitate abblandiebantur, & à novilunio ad primum Cynthiæ quadrantem demulcebat sudum, quod reliquis hujus mensis diebus, ventis, nebulis, ac pluviis sæpe obscurabatur, donec Luna denuo nasceretur mense Novembri, ubi iterum benignior aëris temperies, sed ad breve tempus, nam primus Lunæ aspectus ad plenilunium usque, rigido frigore horrescebat, quod quidem iterum minuebatur, ac insigniter remittebat, sed ut tantò major vaporum copia ex terra humida ascenderet, ac

crassiores inde nascerentur nebulæ, sæpe propter admixtiones sulphureas, tetrum spirantes odorem, ac nubes huc illuc agitatæ, donec in pluviam fatiscerent. Sud exordium Decembris tempestas varia, ac inconstans erat; circa medium mensis, & Anno in finem vergente intensius frigus dominabatur.

In Octobri, præter febres tertianas, etiam quartanæ occurrebant: horis pomeridianis homines melancholici temperamenti, ac segnioris naturæ, qui jam ætatis provectioris erant, adoriebantur, aut etiam febres malè curatas aut diarrhæas ab Empiricis suppressas sequebantur in cujusvis temperamenti & ætatis hominibus, ne infantibus quidem & pueris exceptis. Præter vomitoria in robustioribus, allis verò lenissima evacuantia, aperientia inprimis data; quorum usu cum impetus febris quodammodo fractus esset, cortex Peruvianus (ad quem ab initio nonnulli malo consilio confugiunt,) plerumque subjugavit.

Ferax quoque erat Autumnus febrium lentarum & hecticarum, quæ partim quartanis malè curatis, partim hæmorrhagiis, per adstringentia interna & frigida externa cohibitis, aliisve morbis succedebant; quæ, causam earum per resolventia, mundificantia & balsamica tollendo, & excedentem corporis calorem debitè temperando, exturbatis acribus recrementis per absorbentia lenia diaphoretica, & diuretica, inprimis nitrosa, nec non corpora vix ossibus hærentia commodè restaurando, curatæ fuerunt.

Eodem mense Variolæ infantibus rant infestæ, quas aphthæ ac tussis pertinacissima commitabatur. Adultos febres continuæ cum levi rigore, æstu mitiori, dolore capitis & pleuræ, lumborum & artuum infestabant, sub finem verò in remittentes mutabantur, ac diarrhœis quasi criticis, non tamen sine omnibus torminibus, finiebantur.

Feminis solito frequentiùs hæmorrhagiæ uteri erant molestæ. Longè autem communissima erant apostemata ac ulcera, quæ non tantùm callosa, varicosa, & sinuosa, ac cum carie ossium conjuncta, aut quæ circa articulos erant, aut partes glandulosas, membranosas obsidebant, Chirurgis crucem figebant; sed alia benigniora in iis etiam corporibus, quæ cacochymicis humoribus non adeo turgebant, aut ex cachexia languebant, difficulter curabantur. Nam & symptomata, singulis autumnis, plura eâque graviora, curam alio tempore facilem, plerumque reddunt difficiliorem.

In Decembri Tumores circa latus sinistrum (quos antiscorbutica, resolventia, & distentionem ac flaccidatem fibrarum respicientia, juvant,) in hypochondriacis, ac minimè rarò in mulieribus hystericis spectati; molles ii & fungosi, in non paucis ferè universam sinistri abdominis partem obsidebant; ferè sub coctis nothis incipiunt, & quando supini jacent ægri, lineam albam aut transscendunt, aut proximè attingunt, & vacuum spatium inter costas & spinam ilii implent; tacta interprete non obscurè constabat, quod tumefactus lien supra mesenterium, intestina, ventriculi partem,

tem, ac in mulieribus supra uterum emineat.

Phlegmatici & phlegmatico-melancholici, inter 20. & 30. ætatis annum, catarrho correpti, quotiescunque prioribus quinque diebus ex bronchiis rejectio non ritè procedebat, in febrem incidebant catarrhalem, seu continuam periodicam quotidianam veterum; scilicet post quartam pomeridianam, horrore & frigore levi tentantur ferè per horam unam, succedit calor acris, & fermè per noctem durat; lingua est albo & lento humore obducta; non urget magnopere sitis, pulsus est frequens, non adeo magnus, urinæ colorem aurantiorum æmulantur, ac post brevem moram parietibus vitri inducunt cutem ex albo rubentem; lassitudo artuum gravis est; torquet & anorexia ac agrypnia, cum cephalalgia gravativa, aurium susurro, ut & tussi, quæ tamen nec patientes nec Medicum terrere debent; aliquid tamen monstri alunt pleuritides & deliria, periculum autem maximum denunciant anginæ & aphtæ, si quando cum ea complicantur. In qua medicamenta facultate resolvendi mucum, & salia diuretica commodo tempore exhibita votis ægrotorum satisfecerunt.

Nephriticæ passiones etiam, ferè in sanguineis, & hæmorrhagiis antea assuetis, observatæ, sive renum inflammationes, quas non solum dolor & ardor vehemens comitatur, sed & dysuria, fibrosæ excretiones, arenosæ cum sanguine aliquo, subsequâ ordinariò lithogenesi. In quo affectu inprimis decoctum Foresti, & pulvis famigeratissimi nostri quondam Præsidis Volckameri laudantur.

Nec minus podagrici dolores illo tempore satis erant communes; quibus in paroxysmo, horis matutinis, lenia diapnoica, cum nervinis, sine sudore coacto; pomeridiano aperientia, ac sub noctem pulvetes nitrosi, cinnabarini &c. exhibita; externè camphorata omnibus præferri merita fuerant.

Constitutio Epidemica Vratislaviensis, Anno 1700.

IN Januario frigus usque ad Lunam πανσέληνον satis erat remissum, quod nec nerveas fibras spasmodice corrugare, nec glandularum subcutanearum meatus constringere, aut poros cutis coarctare aptum; reliquis verò ejusdem mensis diebus usque ad Interlunium nebulæ corporibus infestæ, aërque humidus, & seri copiam accumulare, hujusque inter glandulas laxiores stagnationi ansam præbere, tonumque relaxare, ac enervare potis erat.

Februarium jam gratum Solis jubar illustrabat, jam pluviis & nivibus exposita torporem corpora ægrè declinare poterant; frigus verò per aliquod dierum intervalla quodammodo adurebat, cum Luna tota nocte luceret. Usque ad medium ferè Martii perpetuæ frigidi & tepidi aëris vicissitudines notabantur, quas ad finem mensis usque turbida

ventis ac pluviis molesta tempestas excipiebat.

Præter morbos superiori Anno enumeratos Variolæ grassabantur, & quidem multò frequentiùs distinctæ, quàm confluentes. Primis ab invasione diebus, seu tempore ebullitionis, nunquam non febris acuta aderat; cujus exacerbationes satis incertæ, nisi quòd tertio die recurrentes aliquibus tertianæ febris suspicionem moverent: præcedebant ferè lassitudo & gravitas corporis, pandiculationes & oscitationes, dorsi lumborumque dolores, pulsus ad spinam dorsi, & sensus pruritus ac punctionis in cute, sed horror & rigor, præsertim recurrens, rariùs vulgò; frequenter vomitus à primo morbi insultu fatigabant, iique interdum immanes, aut si hi abessent, præcordiales anxietates gravissimæ cum inani vomendi conatu conjunctæ ægris negotium facescebant; alvi fluxus rariores observati; in pluribus alvus sine damno ad aliquot dies adstricta; in pauciissimis etiam urina suppressa; vix visi qui sæpe se ad reddendam urinam urgeri conquererentur, Urina varia erat, quorundam flammea, & intensè rubra, nonnullorum turbida, & opaca, qualis jumentorum esse solet, quæ post eruptionem variolarum interdum clarior reddebatur; interdum verò per aliquot dies à prostrusione adhuc turbida excernebatur; aliorum autem pallida, in uno alterove cruenta; nares frequenter sanguinem stillabant. Propensio in sudorem ingens; nonnulli, præprimis qui erant temperamenti phlegmatici, dormituriebant, alii de turbulentis conquerebantur insomniis, ac sæpe expaveścebant; ac altos subinde in illis tollebant clamores; capitis dolores jam gravativi, jam punctorii, cum temporum pulsationibus molesti; facies tumebat, atque maxillæ rubebant; oculi prurientes, rubentes ac splendentes, quinimo aquâ suffusi, palpebræ ac nares dolore pruriginoso vexabantur; anhelitus difficultas; vox rauca; tussis sicca, cordis palpitationes & tandem etiam deliquia non rarò observabantur; in aliquibus habitu corporis densiori præditis etiam saliva in majori quantitate rejiciebatur; pars magna ægrorum corpus variè jactitabat; in genere musculoso subinde motitationes; minimè etiam rarò teneriores invaserunt motus convulsivi, iique vel particulares in labiis, oculis, vel magis universales, in multis deliria. Ordinario die quarto prorumpebant, in quibusdam tardiùs vel citiùs, subrubræ pustulæ tenuissimarum acicularum puncta æquantes, sensim dein subeunte humore agebantur in altum, & evadebant fastigiatæ ac distinctæ, quæ multò erant tutiores, si in basi essent rubræ, supra autem albæ, eminentes & molles, quàm illæ quæ in latum exporrigebantur; mali ominis erant, quanquam non adeò frequentes, lividæ, violaceæ; certi verò lethi prænunciæ, quæ maculâ nigrâ in medio deformabantur. In quibusdam cacochymicis corporibus notatæ fuerunt in interstitiis variolarum petechiæ, aliæque maculæ, nonnunquam etiam vesiculæ aqueæ, cum funesti utplurimum eventus præsagio: Nonnulli etiam post eruptionem nihilominus febri, difficultate spirandi, anxie-

anxietate, cruciatibus insignibus circa lumbos vexabantur; atque hi non erant extra periculum constituti; evasêre nihilominus plerique, modò abessent inexpugnabiles vigiliæ, phrenitis, crebra deliquia, palpitationes cordis, motus convulsivi; urina nigra, vel hæmorrhagiæ enormes, alvi profluvium. In aliquibus admisso frigore, alioque incommodo regimine, retrocedebant, non sine summo discrimine vitæ. Circa octavum diem in facie intervalla pustularum priùs alba rubere incipiebant, in tumorem attolli, & dolore tensivo affici; extendebantur palpebræ, & ut vesica inflata, haut ratò oculos claudebant; proximè dein intumescebant manus, digitique distendebantur. Calamitosum, si pustulæ subitò iterum concíderent. Tandem pus fundebant satis coctum, quod sensim exsiccabatur, variolæque circa diem 14. decidebant. Variolis exsiccatis, majores tumores & abscessus subinde in artubus observati, pus acerrimum plorantes, & nisi in tempore occurreretur, venas exedentes, carnes consumentes ac ipsa ossa vitiantes, membrisque omne robur adimentes. Omissis calidioribus remediis, si motus & agitatio sanguinis jam satis magna in corporibus calidioribus deprehenderetur, ut & V. S. ac purgatione, victus refrigerans, & moderatissimè calidus aër fuit commendatus; in effervescentia justò minori lenis & blanda diaphoresis cardiacis moderatis, matre perlar. coral. ℥ diaphor. C. C. lap. bezoar. utroque, emulsionibus; ægris phlegmaticis etiam calidiora. Tinct. bez. Ess. myrrh. scordii &c. exhibita: appetente exulcerationis tempore, & pustulis non debitè se attollentibus, pulveres bezoardici tantillo myrrhæ, & croci grano uno alterove remixti, suppetias tulêre exoptatas: planè maturæ & pure acriori turgentes quibusdam non malè apertæ: dum exarescerent, pulveribus supra dictis lapides cancr. additi: In Macularum vestigiis certò tutoque sapo Neapolitanus balsamicus profuit.

Variæ morborum spasmodicorum species eodem tempore, ac convulsionum non unum genus visum. In spasmo cynico topica non tantùm in principio nervorum, sed & bono cum successu musculis in latere opposito applicata. Satis communis erat in feminis hystericis ac splenèticis illud deliquium, quo omnium sensuum ac motus exercitio privabantur & concidebant, quod vulgò audit epilepsia uterina, & curabatur methodo à Practicis præscripta. E contrario interdum corpus variis motibus concussum, sensusque maximam partem fuisse integros notatum fuit, ita ut omnium, quæ circumstantes egerant, recordarentur, finito paroxysmo.

Erat etiam hisce diebus Odontalgia non paucis molesta, quemadmodum etiam aliis anni temporibus esse solet, quando aër frigidus, tumidus, & pluviosus existit; quanquam & plurimis aliis à causis eadem aliàs oriabatur. Unde etiam varia opponenda sunt remedia.

In Aprili terra blando tepebat calore, quæ aliquando etiam calidis fovebatur pluviis, de cætero fesè semper grato Solis jubare illustrabatur.

In Majo major aëris inconstantia erat, visus post nubila Phœbus, ac post phœbum fulgur, & nonnunquam tonitrua audita.

Ineunte Junio calor Solis temperatus refocillabat, qui etiam in procedente mense non tamen absque intermixtis pluviis recreabat; circa finem verò turbida fuit tempestas, ac frequentes imbres.

Sub initium hujus trimestris febres petechiales quadantenus remittebant, ac in quotidianas, tertianas, aliquando etiam utut paulò ratiùs, quartanas degenerabant.

Passim verò tum temporis Erysipelate infestabantur, præprimis sanguinei, & sanguineo-cholerici, rarius sanguineo-Phlegmatici, & tantò magis, si consuetæ sanguinis evacuationes ad tempus suppressæ, aut patientes terroribus, aliisve animi pathematibus concussi fuissent: Præcedit ferè horripilatio, sequitur verò calor præternaturalis totius, æquabilis & ferè vaporosus, cum aliqua tamen acredine & morsicatione conjunctus, ac cætera adsunt, quæ aliàs in inflammationibus observantur, rubor, dolor, febris, aliqua partis intumescentia. Cura sine V. S. & purgatione absolvi potest, Solis diaphoreticis, & externè discutientibus.

Purpura alba solitò frequentiùs hisce diebus infantes, pueros ac feminas, & inprimis puerperas cholerico sanguineas &c. corripiebat. Ultimas quidem omni tempore post lochia suppressa invadere suevit, at verò si hæc causa absit, nec iracundia gravior, ac illa quidem ferè suppressa præcesserit, aliis anni partibus non æquè multis infesta est: Typus morbi sequens est: Initio quidem mediocri corripiuntur horripilatione, quam excipit æstus non adeo vehemens; magis molesta est angustia præcordiorum, quàm dolor capitis, qui non acutus, sed ferè turbulentus existit; adest etiam faucium dolor & ardor; Somnus propemodum omnis cessat, & paucæ sunt quæ sub initium morbi, per unam alteramve noctem somno non interrupto fruantur, alvus plerumque officio non satisfacit; pulsus celer est & quasi oppressus: urina cruda ineunte morbo, sub exitum satis copiosum deponit sedimentum; appropinquante die quarto, quanquam interdum etiam citiùs illud fiat, in artubus, collo, pectore, elevantur & extuberant pori cutis cum rubore, instar cutis anserinæ, ac sensim oriuntur numerosissimæ pustulæ magnitudinis exiguæ, pellucentes; aquea quadam humiditate gravidæ, quæ in siccioribus satis maturè ferè intra 24. horas exsiccantur; In humidioribus & junioribus aliquantò diutiùs, erosâ cute, aliquid humoris exstillant, non sine aliquo corporis pruritu & ardore, qui ab initio vix observabatur. Conveniunt nitrosa & salina aliquoties per diem exhibita, præmissis manè diaphoreticis & bezoardicis fixioribus, aut etiam decoctis ex fumaria, sambuco cum sero lactis caprini paratis.

Satis etiam communis erat Fluor albus uterinus in feminis quibuslibet ultra pubertatem annis, frequentiùs tamen paulò provectioribus ætate; cujus mali non ita facilis est cura, quippe in qua & viscerum chyli se-

cre-

cretioni, & seri depurationi inservientium, & lymphæ ratio habenda; ut nempe abundantia seri & excrementitii ac viscosi ex corpore eliminetur, materiæ fluxum hunc constituentis proventus impediatur, & uterus corroboretur; inprimis per nodulos ex stomachicis, uterinis ac purgantibus, & diuterica, succinata, terebenthinata &c. per diaphoretica, ὃ. ♂ lignorum decocta. Salivatio generosum illud remedium est, quo etiam inveterati fluxus debellari possunt &c.

Qui isto tempore in ætate puerili fuerant immunes ab exanthematibus, sub finem Veris, Achoribus & Tineâ infestabantur; ubi optimè conducunt, quæ aliàs in scabie prosunt: non sine fundamento Nicotiana laudatur, at camphoratorum usus noxius, & tantum excitant dolorem, ac si carbones vivi capitibus impositi essent.

In Julio terra per totum mensis cursum benigno Solis calore animabatur, ac simul calidis fovebatur pluviis, subinde tamen etiam tonitru audiebantur. Per Augustum eædem gratæ inter Phœbum & nubila vices durabant. Nec alia aëris in Septembri constitutio, nisi quod frigidior aura post benignum Solis calorem allaberetur corpori ac aliquam ei afferret molestiam.

Hoc tempore grassabantur febres continuæ intermittentes, cum dolore hypochondrii dextri, Pleuritides spuriæ, in infantilibus corporibus excretio miliaris notabatur. Multos choleræ, Diarrhœæ ac Dysenteriæ fatigabunt. Multi Catarris obnoxii degebant, ac perrinacissimis Tussibus concutiebantur.

Vidimus etiam in æstate motus quosdam febriles, qui nullum typum observabant, neque statis exacerbabantur periodis. Mirabilis in istis vicissitudo est, eaque satis crebra: qui hac hora exangustia cordis gemit & trepidat, de fatigatione summa conqueritur, post unius alteriùsve horæ spatium, erecti animi est, & frontis exporrectæ. Propemodum autem febriles ejusmodi excandescentias experiuntur homines scorbuticis maculis, modò rubicundis, modò lividis deformes. Hæ quando numerosiores in corpore comparent, ferè abest ejusmodi ebullitio, sed quando pauciores adsunt præprimis in loco minùs consueto, tum ejusmodi alterationes sentiuntur, præsens quoque est manifesta coloris macularum mutatio. Non carent hæ inordinatæ febres suis symptomatibus; nam & anxietates gravissimæ præcordia premunt, languor totius corporis & offisfraga omnium membrorum lassitudo invadit, ac interdum alii graves impetus ac tumultus corpus affligunt; partes autem maculis obsideri solitas dolor tensivus, gravativus, imò & rigor occupat, adest vertigo, non rarò æstuantem calorem sequuntur horripilationes; pulsus ferè magnus est, interdum aliquo modo inæqualis & parvus; urina ferè crassa est, & statim, postquam reddita est, conturbatur, ac deponit corpora rotunda; instar arenularum, & superior substantia nihilominus crassa manet, & quasi pinguedo quædam vitri parietibus adhæret; vix post sumpta cathartica, ut aliàs fieri solet, clarescit, sed turbida manet. Prodest excretionem macularum promove-

movere, aut materiam earum subigere & corrigere, cum antifebrilia solâ non sufficiant.

Vicissim eodem tempore excruciabantur aliqui dolore artuum, statis horis, singulis diebus per aliquod septimanas redeuntibus, sine ullo febris signo. In cortice Peruviano inventum est remedium.

Viri quidam & mulieres fervido cœlo de tormentis pruritus, interdum ad lipothymiam usque, interdum certis tantùm in partibus, præsertim ano & pudendis, fuerunt conquesti. Quædam gravidæ cum aliquibus exanthematibus tortorem hunc per multas septimanas sustinuerunt. Qui non tam ab humoribus acribus, quàm à vermium morsu excitatus fuisse videtur, præsertim quòd remedia anthelmintica præ cæteris conduxerint, ut topica amara in vino decocta &c.

Cœlo sereno & calenti frequentissimæ erant sternutationes, & jungebantur hæ etiam morbis tum grassantibus. Præter hydragoga, suus sudorificis hîc constat honos; eximiè verò præ cæteris juvant frictiones & ligaturæ extremorum, ut & V. S. nec non Spiritus retentio.

Octobris initia benigno calore grata, reliqui autem mensis hujus dies turbidiores, & propter pluvias ac frigus inamœniores erant. In Novembri temperatus erat aër, usque ad plenilunium, postea autem nebulosus ac pluviosus; mense ad finem vergente, inconstans ingruebat frigus, ut plurimum tamen satis remissum. December inter nebulas, ventos & pluvias transactus. Multi sub hac aëris constitutione tussi infestabantur. Regnabant etiam febres cum mordaci calore, doloribus hypochondriorum, dorsi, siti immodicâ, exanthematibus serosis, purpurâ, pleuritide, ictero, & diarrhœâ, singultuque conjunctæ; & bezoardicis fixis & volatilibus, intermixtis anodynis, oppugnatæ fuerunt. Jungebantur etiam paralyses linguæ, & insultus apoplectici, sine evidenti periculo. Circa solstitium hybernum etiam Asthma convulsivum, aliquando Parotides supervenerunt.

Parturientes in autumno experiebantur dolores & spasmodicas vellicationes ac contorsiones in diversis locis, quas ex fructuum ingurgitatione ortas, suspicio fuit, iisdem autem Essent. carm. D. Mich. D. VVedel. &c. obviam ibatur.

Creber affectus erat inflatio ventriculi, interdum satis enormis, quam ructus, difficultas deglutiendi comitabantur per evacuantia, & carminantia non nimiùm calida facilè curabilis.

Alii Lienteria corripiebantur, & egregiè stomachicis sublevabantur, præprimis ex mentha & absinthio paratis, nisi quod aliquando eveniebat, cum ictero, hydrope, febribus tertianis lentis eadem complicaretur. Quidam cœliaco laborabant fluxu, atque iisdem remediis sanabantur. Exempla etiam Asthmatis stomachalis offerebantur, sive cruditates in flatus resolutæ diaphragma comprimerent, sive ventriculus à contentis suis in spasmum concitatus, contiguum sibi diaphragma simul afficeret; imò unum alterumve datum fuit exemplum febris anhelosæ & asthmaticæ, quam describit Sylvius

vius l. 1. praxi c. 30. Cura in eumetis, ubi circumstantiæ permittunt, vomitorio expediri potest.

Consilium Medicorum hoc tempore à Chirurgis non minus requisitum fuit, quomodo in ulceribus sinuosis inveteratis internè ortis & oblongis, exterius vero callosis, ritè sese gerere deberent. Hæc enim ulcera tum aliis temporibus Uratislaviæ, tum maximè in Autumno Chirurgis crucem figunt. Ubi totum imprimis ductum discindere, callosam cavitatem sepricis tollere, consolidationem balsamicis promovere &c. consultum fuit.

Omni quidem etiam tempore gummia Gallia observantur, maximoperè tamen circa autumnum sæviunt, quæ post sanguinis depurationem, eorundem par emplastrum diachyl. c. Gum. & mercur. &c putrefactione, per causticum apertione, unguento basilico mundificatione, inprimis curata fuerunt.

Constitutio Epidemica Vratislaviensis.

Anni 1701.

IN Januario variæ erant ratione frigoris vicissitudines, modò enim aër liquescere & quodammodo diffluere, ac in ampliora spatia sese diffundere videbatur, modò autem frigore constipatus in angustum cogebatur; finem vero mensis imponebant nebulæ illæ insalubritatum fomites. Februarius tum his, tum etiam nivibus, & variis ventorum mutationibus horridus erat, nonnunquam tamen quodammodo placidus & æquabilis aëris fluxus observabantur. Sub initium Martii frigidiuscula aura subito cum blandiori aëre commutabatur; nec tamen Mensis ad finem sine nimbis, grandine, variis ventorum tumultibus decurrebat, sic tamen, ut blandus solis calor in his aëris varietatibus nonnunquam Silesiæ incolas exhilararet.

Mense Januario febres continuæ periodicæ, variis stipatæ Symptomatibus præprimis autem cardialgia, vomitu, spasmis, hypochondriacis &c. non paucis erant molestæ. Grassabatur etiam Pleuritis Spuria; erant quos Erysipelas capitis in periculum vitæ conjiciebat. Lumbago quoque iis, qui Baccho & Venere delectabantur, molestiam creabat. Nec minus febres petechiales satis erant frequentes, qua etiam ad domesticos incaute cum ægris conversantes, præprimis si hic essent meticuloſiores, per contagium propagabantur. Tractati fuerunt hi morbi non sine felici successu, methodo superius adumbrata.

Catarrhi, Tusses ferinæ &c. etiam grassatæ sunt; in quibus hoc tempore opiata minime profuerunt.

Mense Aprili admodum inclemens erat aëris constitutio, & miris ventorum, frigoris, grandinum, nebularum, nivium, pluviarum vicissitudinibus, etsi ad teporem nonnunquam inclinaret, ingrata. Nec in Majo Veris dabatur frui deliciis, sed sub turbido & nebulis obducto ac plu-

via cœlo major mensis pars agebatur, eoque gratior erat blandus in Junio Solis calor, qui tamen & ipse pluviis & tonitru subinde turbabatur.

Hoc tempore omnis generis febres grassabantur; præprimis crucem figebat illa, quæ typum talem observabat: primo die horror satis gravis homines catarrho obnoxios & crassiori victui assuetos, aëriisque injuriis crebrius expositos, aut ad tabem pronos invadebat, horrorem sequebatur calor valde inæqualis, pulsus autem ferè debilis erat; æstus per horas modò pauciores septem, novem, modò plures, v. g. 12. 14. &c. perseverabat, post quem aliquibus sudores effluebant, quibus manantibus, utut febris remitteret, plenè tamen non cessabat. Erant qui post calorem nondum sopitum, eodem die denuo horrore & frigore concuterentur, ac illis jam dicto die vomitus erant molesti; iis præprimis horis, quibus febris intendebatur; die secundo perseverante adhuc calore, denuo propemodum eâdem horâ, quâ primo, miseros opprimebat alius horror, aliudque frigus, & tandem etiam calor, qui sensim augebatur, sed tamen longè adhuc aberat à ferocia ejus, qui primo die ægros exurebat, sed neque tot horis, quàm illic continuabat; tertio die eadem, quæ primo, ludebatur fabula; quarta iterum secundo respondebat, verbo: semper uno die febris erat gravior & quasi composita ex tertiana & quotidiana, altero autem erat levior, typum unius quotidianæ referens. Solvebatur intra 14. aut 20. dies per diarrhæam, mutabatur etiam in tertianam duplicem, in aliquibus scabies succedebat per totum corpus diffusa. Cedunt etiam hæ febres adhibitâ ordinariâ methodo curandi superiùs adumbratâ. Lenia evacuantia eximiè profuerunt secundo aut quarto die, imò & aliis diebus paribus, etiam repetitis vicibus exhibita. Omnia Symptomata erant leviora, si illis diebus, quibus unus tantum affligit paroxysmus, sub declinationem blanda dabantur alexipharmaca. Ante paroxysmos præcipitantia cum salibus alcalinis & nitro rectè etiam morbo huic opponuntur omissâ venæsectione.

Præter has febres occurrebant etiam, quæ itidem tertio quoque die ut priores ingravescebant, sed absque rigore & horrore stata observantes tempora, nisi quòd rigores ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως inordinatè & erraticè, non unà cum paroxysmo invaderent. Non mali videbantur esse moris ab initio, sed procedente morbo ferè in pejus ruebant, ac criticis præsertim diebus excandescebant; aderat morsus ventriculi, aliaque symptomata maligna, in his lethargus, in aliis vigiliæ cum deliriis conjunctæ; impeditus erat urinæ fluxus eo tempore, quo rigebant. Satis erant contumaces, nec nullos interimebant. In curâ nihil peculiare observatum, nisi quòd è re fuerit, superato rigore, ad æqualem sanguinis distributionem obtinendam diaphoretica & alexipharmaca propinare.

Cæteræ febres ferè omnes conjunctæ erant cum Otalgia, quæ certè & ægris & Medicis faceſſit negotium. Omissis emeticis; purgantibus, & V. S. fuerunt internè exhibita, quæ aliàs in viscerum & meningum inflamma-

mationibus præscribi consueverunt; externè verò potissimùm linimenta spirituosa, & hæc quidem camphorata & crocata sæpius applicata: aliquod etiam in pediluviis solatium, si dolor ille, quod tum temporis observatum, solitariè absque febri affligat.

Primiparæ habitiores lautioris conditionis, imò & aliæ puerperæ partus doloribus defunctæ, hisce diebus ferè omnes conquerebantur de dolore compressivo satis vehementi in dorso, quem nec mulierculæ suis remediis domesticis, nec Medici selectis etiam pharmacis depellere poterant, Acerbiores erant cruciatus earum, quæ jusculis consummatis, ut vocant, lapsas reponere vires gestiebant, præprimis si infantes essent debiliores, & in uberibus solicitandis negligentiores. Nihil æquè his profuit, quàm victus tenuior, & evacuatio lactis ex mammis liberalior, evidati certè argumento, dolorum hunc non aliunde pendere, quàm ex vasorum lacteorum, ipsiusque ductus thoracici chylosam materiam pro lactis generatione advehentium repletione ac nimia distensione.

Præcipuè autem hoc tempore communes de vertigine, tinnitu aurium comitatâ, querelæ audiebantur. Occurrebant satis multi, quibus caput & visus objecta circumagi videbantur. Nec nulli erant, quorum, oculis tenebræ, aut intra tenebras splendida quædam observabantur, & caput in turbinis modum circumduci videbatur. Hoc autem malo vexabantur, qui in otio viventes liberalius subinde se vino invitarunt, aut qui antea hæmorrhagiam narium, vel fluxum hæmorrhoidalem expertî his evacuationibus per tempus aliquod caruerant; aut qui alios catharsi fuerunt assueti eandemque omiserant. In cura V. S. imprimis, frictiones etiam, ligaturæ & pediluvia fuerunt adhibita; post V. S. purgantia, rarò emetica in plethoricis data; inter sudorifera Tinctura bez. D. M. omnium minimè expectationi satisfecit, ut & spirituosa aromatica, aliaque plura. Aliquantò major virtus fuit in Succin. Spec. de hyacinth. maxima autem inter usitatiora in cinnabari nativa.

Præterea multorum infantum corpora hisce diebus motibus convulsivis concutiebantur, quorum non pauci à parentibus suis per mortem avellebantur; nec infrequens in illis erat Ranula.

Sub illud tempus, quo fraga & ribium baccæ passim apponebantur, & avidè, ut fit, ingerebantur, alii Diarthæâ corripiebantur, alii autem Cholerâ, præprimis si vinum in glacie refrigeratum ingurgitarent. Cholerici non tantum sursum & deorsum magno cum impetu humores biliosos egerebant, sed & ingenti siti torquebantur, & assidua corporis jectigatione fatigabantur: mens earum percellebatur, aderant vigiliæ & partium extremarum refrigerationes; quæ symptomata, nisi statim ab initio blanda data abstergentia aut levissima evacuantia ac præcipitantia, cum diaphoreticis & discutientibus, ipsa mors excipiebat.

Varii oculorum affectus tunc etiam occurrebant. Nonnulli laborabant Epiphorâ, & renuis humor calidus & mordax, lachrymarum spe-

cie in oculos irruebat. Ex his aliqui in febres intermittentes lapsi non modò molestiæ levamen ex febre superveniente non senserunt, sed & dolorem augeri, eò quòd fortè acerrimum remaneret, dissipatis humidis & aquosis particulis, crebrò conquesti sunt. Alios acres & salsi humores cum rubore & palpebrarum exulceratione, gravi afficiebant tædio. Inflammationes quoque oculorum aliæ aliis erant pertinaciores. Interdum oculi erant satis squalidi, & vasa supra modum extumescebant & tamen totum malum remediis debitis facilè tollebatur. Nonnunquam verò inflammatio multò minor erat, & tamen quiquid etiam ageretur, frustrà tentabatur. Erat autem hoc in casu cum ophthalmia dolor capitis diuturnus indissolubili nexu conjunctus, qui satis ostendit, inconsortium mali meninges & intimas crebri partes trahi, quod etiam subinde in aliis fieri morbis patet ex Cl. Baglivi scripto de Fibra motr. Visus autem eorum, qui ita affecti erant, indies magis obscurabatur, nec in minimo cœcitatis secuturæ periculo versabantur. Id creberrima docuit experientia, alvi profluvium, sive sponte naturâ motum, sive pharmacis excitatum, ophthalmicis esse admodum utile.

Porrò sæviebant maximopere brachiorum dolores, qui omnem remediorum applicationem eludebant.

Mulieres etiam sanguineæ constitutionis, quæ paulò liberaliùs vinum bibunt, dolebant hypochondrium dextrum, Spirandi aderat difficultas sine tussi, quæ in horas increbescebat; accedebat nonnunquam febricula, quæ dolorem, modò is esset mediocris, ne ad claviculam aut ilià pertingeret, solvebat; de quo ipso dolore loqui videtur Hippocrates l. 6. aph. 40. Nihil æquè profuit, quàm primo quovis tempore sanguinem liberaliter ex venis in pede detrahere, id quod argumento est, aut hepar phlogosi in hoc dolore corripi, aut sanguinem in trunco venæ portæ viciniisque ramis stagnare. Difficilior est cura, si dolor hic sit conjunctus cum tussicula inani, ex hoc enim non vanè colligi potest, etiam diaphragma in societatem doloris rapi, id quod fit, cum gibba hepatis pars inflammatur, ut pote quæ propius diaphragma attingit. Si paulò gravior sit inflammatio, ne digitorum quidem pulsum ægrotantes ferre possunt; jactantur plurimum, lingua arida & scabra est ob ingens in sanguine incendium.

Mensis Julius erat amœnissimus; nam & gratum solis jubar exhilarabat, ac tepidis aliquando pluviis terra refocillabatur. Major æstus erat, in principio Augusti, & crebra audiebantur tonitrua; eoque gratiores erant, quæ subsequebantur pluviæ? Etesiæ quoque gratè spirantes nimium temperabant fervorem. Nec minus blanda & grata erat aëris constitutio in Septembri; nisi quòd circa Novilunium rigidior aër corporibus esset molestus.

Præter morbos æstivales in præcedent. enumeratos, scenam hoc tempore ingrediebantur dejectiones dysentericæ, quas in corporibus cacochymis, tum etiam quando symptomata remittunt, & scybala minus sunt cruenta, nec sedes adeo torminosæ,

nosæ, sed ad legem naturæ accedentes, nec non somnus recurrit, & denuo alimenta appetuntur, adeoque in portu ægri sunt, ex improviso sequebatur diarrhæa, quæ corpus variis humoribus repletum deplens, nihil siniſtri portendebat, sed, etiamsi vires aliquo modo dejiceret, firmiorem impostorum sanitatem pollicebatur; conf. Hipp. sect. 7. aph. 77.

Post propulsas ejus temporis febres, in diversis hinc inde corporis partibus, præsertim autem in volis manuum & plantis pedum, reconvalescentibus epidermis discedebat, & quasi per squamas abradebatur.

Aliàs iisdem diebus multi ex egenis cacochymi deformabantur Porrigine, præter blandam catharsin, diaphoresin, & diuresin, juxta cum diæta laudabili, topicis abstergentibus circumspectè adhibitis curata.

In hac ipsa æstate passim etiam audiebantur querelæ de doloribus artuum & infimi ventris: crurum dolor potissimùm multis infestus erat: hunc alii tensivum, alii obtusum, alii mordicantem, alii autem pungentem & erodentem in profundo circa os experiebantur, qui in motu corporis graviter efferebatur. Alii dolorem hunc ita describebant, ut dicerent, malleolis sibi quasi crura contundi: Nec minùs brachia gravissimis torquebantur doloribus, qui non secus ac à lue venerea oriundi nocturno tempore ingravescebant. Alii per intervalla luctabantur cum doloribus & lancinationibus intestinorum intolerabilibus, qui exhibitis carminantibus & anticolicis remediis magis intendebatur. His autem aliisque variarum partium cruciatibus obnoxii illi erant, qui cibis crassis, salitis, pane non benè à furfuribus purgato, cervisia crassa, turbida & feculenta, aut vino nondum satis benè defecato, vel nescio quibus mangoniis corrupto utebantur. Hic unicè antiscorbutica cum radd. chinæ, sarsaparillæ, & lignis exoticis decocta aliquo modo ægris erant solatio; quibus ipsis etiam remediis sublevabantur ii, qui de languore, nullo etiam præsente morbo, lassitudine totius corporis cum aliqua oris siccitate conquesti fuerunt.

Multi in teneriori ætate constituti, circa dies caniculares, etiamsi nulla dysenteria aut diarrhœa essent correpti, assidua desidendi cupiditate cum torminibus quibusdam conjuncta vexabantur. Post frustra adhibita enemata, lenia evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea, tandem cum ab ascaridibus malum foveri suspicio esset, majori cum successu anthelmintica enematibus addita atque per os data fuerunt.

Initia mensis Octobris blando calore grata, sed plerique sequentium dierum ventis, pluviis & variis aëris mutationibus horrida erant. In Novembri modò pluviæ decidebant, modò nives; & utut aura subinde esset satis temperata, nonnunquam corpora frigore rigebant; hoc autem in Decembri erat intensius, præprimis circa Plenilunium; at paulò post & intercurrentes nebulæ & pluviæ Solisque jubar violentiam frigoris mitigabant.

Inter varios hujus temporis morbos, non raro occurrebat Gonorrhæa virulenta, quæ ab omni tempore Veneris amasios mulctat, autumno tamen, qui exulcerationibus omnibus

minùs favet, inclementiùs sævit.

Porrò inter communiores morbos erant febres, quæ nec statum tempus servabant, nec eodem modo semper invadebant, sed modò diebus singulis, diversis tamen horis, modò alternis homines opprimebant; jam diuturno, jam nocturno tempore ingravescebant; hoc die cum horrore notabili aut rigore, alio autem sine sensu frigoris paroxysmus ingruebat; hodie immanis cardialgia molesta erat, cras ventris tormina affligebant; jam hoc symptoma, jam aliud miseros magis fatigabat. In cura placuit Hippocratis consilium lib. de rat. vict. in acut. *inconstantes & erraticos morbos curare non expedit, priusquam constiterint*, seu certum typum & periodum observaverint, quod circa septimum diem hic evenire solebat; nam tum vel in tertianas vel in continuas degenerabant, & methodo convenienti curabantur.

Quartanæ quoque autumnalium morborum numerum augebant, in quarum cura plebejis quibusdam illa non malè cessit temeritas, qua febricitantes subito terrore graviter percellunt, si vel sedes, ut fit, vel deinceps sudores copiosi, aut alia quædam evacuatio largior succederet. Nec methodus illa, quæ has per anodyna, præmissis lenibus evacuantibus, febres tollit, inutilis deprehensa est.

Præterea urinæ stillicidia, vel ab humorum ad renes per arterias delatorum acrimonia, aut, quod verisimilius, à renum ulcere oriunda exasperabantur. Trichiasis in quibusdam notabatur, incidentibus & purgantibus lenioribus curatæ. Tabidi pejus habebant. Grassabantur etiam iterum ischiatici dolores. Multi qui cœlo pluvio sub dio laboraverant, aut etiam in aquis ac paludosis locis manuum opera exercuerunt, difficili respiratione & orthopnœa sine conchis vexabantur, quibus non tam expectorantia, quam evacuantia, diuretica & sudorifera conducebant. Magnus etiam inter egenos epilepticorum numerus erant. Aliquos passio iliaca horrendo modo afflixit.

Constitutio epidemica Berolinensis

Anni 1702.

JAnuarius biduo gelido paucis nivibus, ventoque valido turbido, 3tium remissiorem nivibus aspersis degelantem substituis. 4tus gelu rigidum redintegravit, sed sequente 5to post gelicidium matutinum in deliquium ac pluvias frequentes nunc uberiores, nunc parciores, 19no tantum & 22do moderato gelu ut & 29no post pruinam matutinam sereno exceptis, solutus toto mensis reliquo degeneravit.

Februarius 1mus frigidus præcedentibus paulò serenior, circa vesperam in pluviam 2do toto durantem & 3tio serenitate âliquali interpolatam desiit. 4tus serenus ac frigidus. 5tus totus paucâ intercedente serenitate pluviosus. 6tus & sequentes [11mo & 17mo manè pruinosis exceptis]

exceptis] ad 18vum uſque Vernâ ſe-renitate ferè & temperie amœnum quarto compares. Reliqui ad finem uſque menſis varii, alii uti 19nus & 20mus ante meridiem ſicci & frigidi, circa veſperam pluvii ſereni uti 21mus, alii turbidi & frigidi, uti 22dus, alii uti 23. cum frigore manè ſereni, poſt turbidi, alii uti 24tus manè udi, à meridie ſereni, alii uti 25tus poſt pluvia rorans mane ſicci & turbidi. Alii mane nebuloſi poſt ſereni, à meridie pluvii, ut 26tus, & 27mus ſuccedente procellâ & 28vo adhuc continuante & admixtâ nive grandine & gelu, redditâ tandem cum meridie ſerenitate menſem terminante.

Martius frigus cum nive continuatum primo biduo, interſperſis de die ſerenitati nivibus interpolavit, 3tio in pluviam maturinam deſcivit, recuperatâ tamen à meridie ſerenitate, 4to quoque continuante ad veſpertinam uſque pluviam, 5tus ſerenus quidem ſed algidus, grandines nonnunquam Favonio flante ſperſit, quatridui ſereni gelidi & pruinoſi prodromus, 10. biduum ſucceſſit, Africo tumultuante turbidum, procelloſum grandinoſum ac nimboſum. 12mus ſerenitatem reſtituit matutinam nivibus à meridie comitatam, atque biduum ſequens gelidum & ſerenum induxit, moxque intercalato 15to remiſſiori, ſereno tamen adhuc, gelu ſatis hactenus rigidum cœlo ſereno Boreâ aſpirante, ac ſuccedente huic poſt Euro, ad 23tium uſque ſerenitate vernâ cum ſequente biduo commendabilem reduxit. 26tum mane turbidum aligidum ac ventoſum cum triduo ſuccedente turbulento, ſecutus pluviolis quidem ſparſis â prioribus diverſis 30mus 31mo ſocio manè quidem pruinoſo, ſerenitate tamen commendabili biduo menſem hunc ſimul ac trimeſtre finiit.

Morbi hoc trimeſtri præter ſcorbutum endemium febres intermittentes nonnullas ardentes quoque & cephalæâ ac hemicraniâ valde moleſtas continuas, malignas paucas, variolis ac purpurâ notata, catharrales & pleuriticas ſporaticas, Epidemici ferè nulli fuere, niſi catharros & tuſſes, hæmoptoes quaſdam & pleuritides, ut & arthritides præſertim vagas ſcorbuticas ob hyberñas aëris variàs turbas indeque naſcentia ſanitatis incommoda, ſatis frequentes iis annumerare velis.

Aprilis primum biduum frigidulum cæterâ ſerenum leni gelu cœpit ad tertii meridiem uſque nubilum in pluviolas circa veſperam ſolutum, cui 4tus compan, 5tus noctu pluvius, de die procelloſus ac nimboſus. 6tus nivibus ſereno cœlo mixtis varius & inconſtans ſucceſſit, Huic congener 7timus, Octavus noctè interſer à nivibus fœta frigidulas & potiſſimam partem turbidus, poſt noctem gelidam, nonum frigidum & ſerenum, poſtquæ nocturnas denuo nives biduum degelaſcens ac pluvioſum induxit. Sequentes, præter 12mum ſic ſatis ſerenum, veſperi tamen ad huc ſpecade rorantem, eique ſimilem 23ium & 24tum totum ſerenum omnes ad finem uſque menſis genio illius conformes, varii, turbidi, frigidi, nivoſi, nimboſi, quandoque & procelloſi fuerunt.

Maji primus vernâ ſerenitate commendabilis, frigidulus tamen adhuc

Euro

Euro noto flante, triduum sequens turbidum paucis aspersis pluviolis udum ac horridum adduxit, succedente vernâ amœnitate integrum mensem reliquum, paucis 11mo nimirum mane turbido à meridie specade grato 17mo vento, 23io procellâ 25. pluviâ vento mistâ 27. grandine ac imbre ut & 31mo seu postremo paululum ventoso exceptis durante.

Junii primus ultimo Maji compar, à biduo sereno ac temperato exceptus, 4tum obscurum in vesperam & noctem pluviam deficientem, cum subsequente biduo sibi non absimili successorem habuit, quos biduum aliud serenum ac temperatum correxit; successit huic 9nus totus turbidus in pluviam vespertinam desinens, quem temperatus ac siccus 11mus atque 12mus sudo æstivo insignis secutus. Huic biduum rursus obscurum ac frigidum in pluviam tandem fatiscens successit, eique quatriduum sudum ac æstivo ardore ferè molestum, subsequente 19mo tonitru temperatum, 20mum pluviâ nocturnâ quandoque & diurna fœcundum, triduum versus serenum ac temperatum secutum in pluviolam vesperi 23tio solutum, quod 24to imber nocturnus, tandemque, 27mum manè obscurum à meridie serenum, & 29num frigidulum sed serenum, si exceperis, reliqui vario cœlo aliquando & nimboso rarius sereno inamœni, mensi tristem addidere colophonem.

Morbos hoc trimestre epidemios præter morbillos & paucas variolas nullos aluit: Sporadici fuerunt febres varii generis, intermittentes tertianæ nonnullæ, & continuæ ardentes Cephalalgiâ & Cardialgiâ infestæ, Catarrhales tussi & Asthmate molestæ, quandoque & anginâ, oculorum & gutturis ac tonsillarum inflammationibus; His hæmorrhagiæ narium, hæmoptoës, Arthritides universales, & vagæ quoque Scorbuticæ, Cachexiæ & Cacochymiæ passionibus hypochondriacis & Hystericis pleuritide, imò & paralysi & apoplexiâ nonnunquam stipatæ accessere.

Julii dies quinque priores æstivo calore insignes, 3tius præsertim fervore æstuoso molestus; Quibus biduum successit ventosum ac subinde pluviosum, huic 8vus obscurus ac ridulus, ut & 9nus sudo & temperato calore amœnus. 10mus post pluvias nocturnas cum septem subsequentibus sudo ac æstu genium hujus mensis exprimentibus 16to subvesperam, ac 18vo à meridie, 19mo, mane pluvio à meridie tonitru addidit. Sequens triduum sudo pluvias miscuit, succedente quatriduo imbroso. Unde ad finem usque mensis sereni & æstivo sudo grati succedere dies.

Augusti primus sudo æstuoso gravis, vesperi tonitru leve cum pluviâ moderatâ, sequenti vero triduo post pluviam matutinam modicam temperiem amœnam substituit. Quæ triduo alio ob temperatum sudum commendabili succedente, ac octavo ante & post meridiem lene stillicidium intercalante à biduo pluvioso excepta. Cui aliud rursus biduum verè æstivum ac serenum successit atque huic 13tus mane specade rorans, 14tus præter tonitru breve imbre comitatum cætera serenus. 15tus manè serenus, circa vesperam tonitru horrendum procellosum ac nimbosum tulit.

16tus

16tus manè serenus post fusas à meridie pluvias frigidior. 17mus serenus ac temperatus 18mus âpluviâ matutinâ septem subsequentes dies serenos, ac nonnunquam satis æstuosos, si 25tum excluseris manè pluviolis madentem, adduxit. 27. cæteroquin serenus pluviam vespertinam in noctem usque intempestam protraxit, 28vum frigidulum, licet sereno, 29num totum pluvium & imbrosum ac sub frigidum 30mum pluviolis quandoque rorantem tandemque 31mum & postremum mensis siccum quidem & serenum sed frigidum pariter successores habuit.

Septembris primordium 1. & 2dâ die serenâ & amœnâ temperie acceptum circa vesperam in tonitru horrendum & imbrem degeneravit; â 3tio ad 24tum vario, quandoque subfrigido, quandoque æstivo calore, plerumque sudo pluviis ac specade interpolato, temperatoque æthere continuavit. 25to ventosiori paulo & pluvio biduum successit procellosum & nimbosum, atque huic aliud sedatius, sed ad vesperam usque pluviosum; inde serenitas gratâ comitata temperie 31mum simulque mensem & trimestre tertium absolvit.

Morbos æstiva Ætheris cum temperie cambiens subinde intemperies præcedentis æstatis frequens æstus præter endemios penè scorbutum illique affinem veneream luem, epidemios genuit varias febres tam intermittentes quam continuas, causos aliasque ardentes paroxysmis interpolatas, quasdam plenè inordinatas nullum typum servantes, catharrales nonnullas malignas quoque exanthematis variis, miliaribus præsertim semet prodentes, pleuriticas insuper, alias Cephalæâ, cardialgiâ, colica, hæmoptoë, defluxionibus in buccam gulam, dentes, ut & inflammationibus oculorum indeque ophthalmiis gutturis tussibus porro variis, quibusdam etiam ex illarum numero, quas convulsivas VVillisius appellat; Præterea Epilepsias præsertim infantum; Arthritides tam uniuersales quàm particulares, unius lateris, Ischiadicas, vagas scorbuticas satis frequentes, omnium tamen frequentissimas ob fructuum immaturorum ingluviem intemperantem, & immoderatum aliarum illecebrarum gulæ usum, Choleras, diarrhæas, Lienterias & dysenterias copiosissimas, easque satis vehementes, pertinaces, periculosas ac sæpe numero lethales.

October post pluviam 1mo matutinam, triduo sereno ac gratâ temperie amœno æstu successit triduum nimbosum, subinde grandinosum, tandem & pluviis, nivibus pruina vacuum ac frigidum. Illi rursus quatriduum, autumnalis temporis ratione satis temperatum ac gratum. 14tus manè ad meridiem usque nebulosus, inde serenus fuit. 15mus serenus ac temperatus à meridie paucas sparsit pluvias? A. 16to ad 20mum æstivo ferè calore serenum & amœnum quatriduum, â 20mo, 28vo sereno ac temperato excepto, obscuri ac frigiduli, interspersis 23io, 24. 26to, utut rarius pluviis ad 31: adeoque extremum usque mensis, dies secuti mensem terminarunt.

November â siccitate ac frigore aliquali auspicatus, ad serenitatem

ac rigorem satis validum sed ephemerum transiit triduum obscurum ac specade subinde udum inducens. Quod quatriduum â siccitate ac temperie ad aliqualem algorem, mox & gelu satis rigidum pergens, secutum. Cui 9nus nivem copiosam aspersit, perseverante 10mo adhuc gelu atque post densam 11mo nebulam, & subsequentem serenitatem, ad 14mum usque paulò mitiorem in persecadem à meridie fatiscentem continuante. 15tus præcedenti ferè similis specade pariter udus, 16tus ad vesperam usque siccus, postea pluviosus 17mum procellosum & nimbosum ascivit. 18vus à pluvia modica matutinâ in serenitatem, 19mo adhuc ad vesperam usque pluviam durantem transiit succedente 20mo sereno ac temperato, in turbidum temperatum tamen adhuc nunc siccum ut 21mo & 23tio, nunc pluviis & nivibus quibusdam, ut 22do, 24to & 25to mutato cœlo, succedente biduo paulo gelidiore & nebuloso, asperta tandem quoque nive, alioque rursus biduo pluvioso totæ ad vesperam usque 29mi à pluvia inclarescentem, sicque 30mo Æthere sic satis sereno & frigido mensem simul claudentem.

December subfrigido, vernâ tamen ferè temperie præter morem accepto biduo orsus 3tium manè pluvium, cætera turbidum sed siccum, postea que triduum temperatum attulit, sub vesperâ 6ti nive parcâ aspersum. 7timus à gelu nocturno serenus triduum sibi quadantenus excepta serenitate nivibus & nubibus interpolatâ conforme adduxit. 11mo obscuro in pluvias deliquescenti, ac 12mo sereno post specades subsituenti, biduum turbidum ac algidum successit, mox post 15tum manè pluviosum, postea triduum, à nive ac gelu moderato & Æthere sereno in horridum mutatum substituit; sed 19no ac 20mo rursus post geliciduum & nivem cœlo sereno remittente, 21mo magè specade rorante à serenitate Aeris 22do in gelu satis rigidum abiit, rursusque 23tio post gelicidium matutinum in pluvias 24to à procellâ, aëre turbido sicco tamen ad vesperam in pluvias, 25tum totum durantes fatiscentem. 27mo nivem noctu diuque spargit, 28vum moderatum gelu & circa vesperam nix pauca excepit. 29nus totâ die gelu rigidus fuit; 30mus à gelu in nivem, à nive in gelicidium à gelicidio in pluviam toto ferè 31mo durantem sicque Æthere nimboso hunc mensem simulque trimestre ultimum adeoque annum hunc 1702. dum finientem desiit.

Morbi hoc ultimo trimestri occurerunt satis frequentes, Febres intermittentes variæ, continuæ, hæque sæpius intermittentibus sociatæ, simulque ardentes, malignæ quoque exanthematis varii generis conspicuæ; præterea Catarrhales, pleuritide nonnunquam comitatæ, Erysipelatodes, aliæque diversis & periculosis nonnunquam symtomatis, alia inter Paralysi linguæ, aliarumque partium, inflammatione gutturis, Rheumatismo, Cardialgiâ, Cephalæâ periodicâ nonnunquam; Hemicraniâ, Hæmorrhagiâ narium vehementi & periculosa comitatæ. Prætereaque uteri quoque hæmorrhagiæ graves & pertinaces solitatiæ aut aliis morbis sociatæ. Diarrhœæ & Dysenteriæ mali-

malignitatis nonnunquam participes excessuum autumnalium reliquiæ : Colicæ & hystericæ passiones scorbuto sæpius complicatæ, tandem & Epilepsiæ cum primis Infantum, nonnunquam & adultorum Hemiplegiæ & Apoplexiæ vehementes & ut plurimum lethales.

Constitutio Epidemica AVGVSTANA.

Ann. 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

LUCÆ SCHROECKII.

Licet initium Anni 1701. *frigidum comparuisse &c. &c. &c. In hisce quoque deprehensum fuisse animadverto.*

QUalem Anni præcedentis exitus habuit aëris constitutionem, talis per biduum etiam primum Anni 1703. continuavit ; & quamvis Zephyrus prædominium porrò obtineret, ac tolerabiliorem utcunque temperiem redderet, sæpius tamen ab iis diversis ventis excipiebatur, Euruſque inprimis ante Solis in Aquarium ingressum, à die 18. Januarii usque ad d. 26. frigore intento molestus erat, multis subinde interea nebulis, & nive, pauciori-bus serenis diebus observatis ; à quo dein tempore inconstans admodum aëris ventorumque Austro tamen prævalente, alternatio, usque dum Sol in Piscium signo versaretur, ubi post nivosum Boream Zephyrus temperatiorem utplurimum & pluviosam auram redderet ; quæ post Æquinoctium vernale variis mutationibus, præsertim frigidis humidisque obnoxia, vernali amœnitati multum obstitit, ac tardiorem plantarum vegetationem effecit : Quæ eò felicior postea succesſit, cum grata temperies fertilitatem admodum promoveret. Interea morbi, præter Tusses in hyeme non insolitas, & omnibus ferè aliis morbis se complicantes, multas inducias concedebant ; Arthriticis tamen doloribus obnoxii novas invasiones contumacioresque patiebantur, nec non Febres quotidianæ, non intermittente calore suo continuas sæpe in principio æmulantes, pauciores etiam tertianæ (post sumtum vel purgans, vel vomitorium, quod solum quandoque febrilem fomitem expellebat, arcano duplicato ubi bilioſa impuritas, unicornu fossili ubi acidæ particulæ, chinachina verò dum viscidior pituita prævalebant, utræque facilè curabiles, in primis mensibus deprehendebatur, in pueris potissimum, vermium suspicionem ob victum prægressum, calorem faciei luridum, ventris morsicationes, deliria nocturna &c. Sæpe præbentibus, & præter medicamenta recensita, cinnabaris nativæ, terræ signatæ, mithridatii &c. usum salutarem ideo expertis. Subinde quoque continuæ catarrhales notatæ fuerunt, majori vehementia, post horrores,

rores, magno calore circa veſperam increſcente, nec non cephalalgia & virium languore periodum ſuam decurrentes, ſed continuato blandorum diaphoreticorum & alexipharmacorum uſui cedentes. Intermittentes illæ præſertim tertianæ, in æſtate ſe in plures utriusque ſexus, omniumque ætatum diffundebant; imò in autumnum uſque paſſim ſe exſerebant; nec deerant in diebus caniculatibus, calore non admodum moleſtis, ſed per primũ decendium inprimis frigidiuſculis & humidis, poſtea ſerenis & calidis, circa finem autem pluvioſis, quos malignæ, puſtulis cryſtallinis ſtipatæ, & niſi alexipharmacis mox atque ſedulò obuiam ipſis iretur, letales invaderent.

Poſt caniculares varia aëris temperies, Zephyrique & Euri alternatio, illo autem circa d. 8. Septembris prævalente, plurima pluvia & horridiuſcula aura per aliquot dies infeſta erant; cui fortaſſe Dyſenteria tum ingruens non male adſcribenda fuerat; quanquam & metum ex turbis bellicis, quæ Urbem ubique cingebant, & ultimam incolis internecionem minitabantur, inceſſum, quin & cereviſiæ recenter coctæ nec ſatis defecatæ potum contuliſſe ſuum ſymbolum, ſit credibile; quibus tonum ventriculi atque inteſtinorum labefactari, ſuccosque naturales viſciditatem & acorem contrahere, non eſt dubium. Quamvis illa rarò graviori inſultu noceret, atque ex chyli acrioris vellicatione potius inducta videretur, cum ſine prævio vel notabili calore aliisve ſymptomatibus, præter tormina tolerabiliora & ſtomachi gravitatem, mox in principio cruentæ dejectiones contingerent; facile etiam, poſt rhabarbari toſti [quod ſolum quandoque curæ ſufficiebat,] & moderatum ſtypticorum vel traumaticorum, catechu, tormentillæ &c. cum pauculo opii acceſſu, uſum recederet: in nonnullis, ubi ſtomachus cruditatibus oneratus indicabatur unicum lene vomitorium, quale vel unicum tartari emetici granum ſuppeditabat, opem tuliſſe obſervatum fuit. Præter hunc cruentum fluxum, poſtea Diarrhœa quoque frequenter ingruebat, eadem fere methodo curata. In Autumno inſuper Morbilli frequentiſſimi, & ſolitis ſymptomatibus febrili nempe, quandoque ad delirium uſque intenſa ſanguinis effervescentia, tuſſi, oculorum inflammatione ſtipati, cæterum ſine magno diſcrimine [ita ut non pauci etiam ſine decubitu, & pharmacis eosdem paterentur,] ſuum decurſum intra breve tempus, octiduum utplurimum, ſub pulveris Pannonici, antimonii diaphoretici &c. uſu feliciter abſolverant, adultiores etiam ac juvenilem ætatem frequenter, pari ſed intenſiori inſultu tractaverant.

Æquinoctium autumnale cum Zephyro auſtrinam utplurimum conſtitutionem adducebat, uſque ad Novembris initium, ubi Eurus crebrior ſerenos ac nebuloſos dies aliquandiu interponebat; quem poſt medium Novembrem excipiens Auſter plures ſerenos dies quoque producebat. Tandem verò December multas nebulas & magnos Zephyri impetus, cum vario aëris, nebuloſo tamen potiſſimum ac nubiloſo ſtatu adferebat; poſt Solſtitium autem hyemale Eurus horridio-

ridiorem auram ac frigus intensum pariebat, sicque cum anni fine præsentiam hyemis ostendebat. Interea febres malignæ superius indicatæ in plures se diffundebant, multosque trucidabant, præcipue cum Urbs diuturna quasi è longinquo obsidione cincta, vario infortunio quin & postea hostili insultu, [ubi cives insueta continua per aliquot dies sub Jove frigido & humido in excubiis statione plurimum defatigabantur,] atque fatali præcipue igne graviſſimo premeretur, ac subsequa infelici deditione multi varie torqueretur ac enervaretur: quanta verò ab externa hac aëris & fati iniquitate sanguini labes fuerit impressa, vix opus erit pluribus exprimere: Omnes maligna febri decumbentes, atque ut pyrobolorum periculum evaderent, in tutiorem Urbis partem deportati, quantum scio, perierunt; infantes etiam morbillosi eandem ob causam ignis metui subducti, diuturniori postea tussi & hecticæ discrimine salutem hanc suam redemerunt.

In Anno 1704. hyemali frigori continuando Eurus multum perrexit, usque dum post Solis in signum Aquarii ingressum Zephyrus, pluviis crebrioribus, cum nive tamen & serenitate alternantibus, gravidus, temperatiorem auram produceret; quæ equidem temperies ita continuavit, ut vernalis constitutio deinde citius, quàm pluribus aliis præcedentibus Annis compareret, atque cum aëris ac ventorum non adeò ingrata mutatione diu, usque in mensem Junium perduraret: quamvis circa Solstitium æstivum pluviæ frequentiores essent, major tamen serenitas, silentibus ut plurimum ventis, cum ineunte Julio redibat; quæ ipsa continuans, caniculares dies admodum calidos, grato tamen pluviarum interventu subinde mitigatos efficeret; usque dum occidente Sirio, à d. 19. Augusti ad finem usque ejusdem mensis, Solis nunquam à nubibus interrupti radii fervorem intenderent; sed cum d. 2. Septembris acrior insurgens Zephyrus frigidiusculum ac pluviosum aërem per quintiduum produxisset, & succedens ipsi Eurus quatriduum serenitate ornasset, Zephyrus tamen mox iterum dominio potitus, frigidos ac pluviosos dies (serenis tamen quandoque intercurrentibus,) reproduxit. Interea Febrium punctcularium malignitas (horrore, virium lapsu, adpetitu prostrato capitisque ac dorsi dolore primò se prodens, in nonnullis amaritie oris, anxietate præcordiorum, fluxu alvi seroso, bilioso, quandoque sanguinolento, tussi &c. concurrente,) magnam cica anni principium incolarum stragem dare continuavit, ut quinque primis mensibus ultra mille ducentos homines, (quos inter equidem plures quàm centum & quinquaginta milites Galli fuerant,) tum aliis morbis, tum hac febri potissimum demortuos numerare licuerit; cum aliàs per integrum annum tot Urbs non videbat. Ubi quidem tantæ cladis causam non tam morbi atrociam, quàm ægrotorum in prima morbi invasione ab ipsis parum æstimati negligentiam, atque ob prægressas ac indies renascentes, quin majores subinde ab infensissimo inquilino hoste pertimescenda calamitas, vitalium succorum enervationem ac depravationem accusare

possum. Quæ ipsæ etiam miseriæ aliis morbis, Ictero inprimis, verno tempore multos invadenti, ansam suppeditare, bilemque justo viscidiorem, atque ita ad obstructiones excitandas proniorem reddere potuerunt; prout non minus eodem ex fonte Tertianas ac quotidianas febres frequenter tum, & reliquis etiam anni partibus se exerentes profluxisse credibile est: Unde etiam haud differentibus remediis utplurimum, & quidem facilè tolli potuerunt; quæ inter arcanum duplicatum non saltem vi qua pollet incidendi & aperiendi, sed quoque correctas hac ratione biliosas impuritates in multis per alvum educendi, egregie profuisse expertus sum. Cæterum mense Junio Dysenteriæ in scenam prodire, & usque in Octobrem observari, in Augusto inprimis plures invadere ceperunt, ut non facile domus, quæ immunis ab ea foret, inveniretur; atque licet malignitate carere viderentur, plurimos tamen, minoris æque ac profectioris ætatis homines trucidarunt, ut defunctorum numeros, qui mense Junio & Julio nonnihil decrescere inceperat, in Augusto & Septembri admodum augeretur; quod equidem non morbi truculentiæ, sed incauto in cura regimini adscribendum arbitror; cum variis domesticis, ut vocant, præter rationem propinatis remediis unice confidens incauta plebecula, vel etiam multivarie diætam negligendo, aut justo tardius medici opem implorando, vehementer peccaverit; neque tamen negari potest, aliquot ægrotantes brevi tempore, deglutito ex. gr. cochleari Spiritus vini cum pulvere nucis moschatæ, morbi primordia elusisse; ubi nempe non tam Dysenteria, quàm simplicior Diarrhœa, à ventriculo cruditatibus labefactato, adesset; prout etiam non paucos sumto mox rhabarbaro nonnihil tosto, vel sibi relicto, immunes esse factos scio. Quod etiam rhabarbarum in principio curæ, vel durante morbo, ubi stomachus gravari sentiretur, profuit. Radice Ipecacoanha non fui usus, neque ejusdem vi emetica opus habui; aliquibus verò, quibus vomendi conatus erat molestus, cum convulsivi quid adesse ostenderet, præter externa calefacientia spirituosa, idem rhabarbarum in pauca quantitate ad gr. xij. xx. cum coraliis rubris, vel terra sig. &c mixtum, felici cum successu propinavi. Reliquum curæ per absorbentia, & acredinem humorum temperantia potissimum fuit peractum; ubi præter dictam terram sigillatam, coralia, flores ferri, crystallus imprimis montana egregiam opem attulit; quibus ubi nimiæ dejectiones molestæ erant, adstringentia ex catechu, radice tormentillæ &c. in pulvere, electuario, pilulis; tinctura, dosi non nimis larga, sed sæpius repetita, & quando dolores admodum urgebant, laudanum cydoniatum, extractum opii, vel theriacæ cœlestis moderate addita, profuerunt: potum eadem radix tormentillæ, caro cydoniorum sicca, cum pauco cinamomo & saccharo in aqua cocta, convenientem præbuit; neque vinum Neccarinum, aut Tirolense antiquum rubrum noxam attulit, cum rarò febrilis calor jungeretur. Undenam verò origo hujus mali sit deducenda, anceps hæreo,

reo. Fructuum horrœrum immoderatum esum multis nocuisse non dubito; cerevisiæ haud probe defecatæ potum plurimos in hunc morbum præcipitasse, eo magis est credibile, cum non paucos jam convalescentes, vel cum malo adhuc conflictantes, unico etiam haustu cerevisiæ in recidivam lethalem incidisse, aut doloribus auctis, gangrenâ intestinorum obiisse noverem; contagium insuper non rarò ægrorum numerum auxisse, successiva in una eademque domo invasio suadere posset; bellicæ vix tolerabiles adversitates, cum fœtoribus ex varia militis Galli spurcitie, & excrementis equinis stramini semiputrefacto immixtis, quorum copiam insignis equorum multitudo indies publice in plateis, nec non in ædibus cumulaverat, quid efficere valuerint, neminem fugere potest; intensus ille aëris calor, spirituum & sanguinis vigorem minuendo, quantum obesse queat, in me ipso sum expertus, qui nullo in cibo potuve errore commisso, ob continuas tamen per integros dies Sirio urente, ægrotorum visitationes, & sudorum inde largiores effusiones, defatigatus, post biduanam levem diarrhœam, eundem cruentum fluxum pati coactus fui, qui licet magnopere me non adfligeret, vires tamen mox adeo debilitaverat, ut diuturniori earum recollectioni opus habuerim, ad roscidas nempe & balsamicas lymphæ particulas restituendas, ac segnius per vasa circulantes vitales humores ad naturalem motum reducendos, cum lymphæ depauperationem & crassitiem ex variis signis colligere licuerit, unde salinæ acriores in ea particulæ concentratæ per tubulos minimos intestinales segnius moveri, spiculisque suis pungendo nocere potuerunt. Erant quibus inconsuetæ muscarum multitudini causam adscribere placuit, quarum nempe excrementis cibus potusvè contaminatus turbas hasce in corpore concitaverit, quod suis domesticis ut persuaderet curiosior aliquis paterfamilias, carnem spurcitie tali imbutam cani devorandam dederat, qui ipse mox fœdo isto morbo correptus fuerat. Neque tamen alii etiam morbi per æstatem & autumnum aberant: Ut Variolas pueris æque ac adolescentibus magis molestas quàm periculosas, adultiores etiam non paucos in exigua copia & ferè sine morbi sensu invadentes, Febres insuper petechiales, nec non puerorum verminosas, & cum uterinis malis sociatas M. Julio observatas taceam, M. Augusto Arthritis vaga masculinum præsertim sexum satis obstinata, multos etiam Angina notha prompte remediis cedens, excruciaverant. In adulto autem Septembri, nec non Octobris initio Febres continuæ pustulosæ plurimos in adulta æque ac puerili ætate constitutos cum præcordiorum angustia, inquietudine, deliriis, angina spuria, pustulis albicantibus universam corporis peripheriam occupantibus, rarius inferiorem saltem abdominis partem occupantibus, invaserunt, in cuticulæ tandem desquamationem, prævio tædioso pruritu, abeuntes. Quas (præter Icterum, martiatis remediis, acidulis præsertim & Essentiæ Martis D. Ludovici haud ægre cedentem,) Tertianæ & Quotidianæ irregularibus

bus paroxysmis Medicorum exercentes patientiam, exceperant; ibi alexipharmacis temperatis, hic pro diversa morbi natura, bilioſam tamen intemperiem ut plurimum oſtendente, arcano duplicato & cortice Peruviano officium ſuum egregie præſtantibus.

Reliquum anni, ſub moderato aëris & ventorum alternantium ſtatu, tranquillius fuit peractum, morbis epidemicis ceſſantibus, ac reliquis etiam, quos ſporadicos vocamus, rarius occurrentibus; cum cœli non tantum clementia, ſed etiam ob hoſtes ex Urbe profugos, totaque vicinia expulſos, civium animi novo vigore animali, morboſas diſpoſitiones feliciter averterent.

Cum Zephyrus, Anno 1705. illuceſcente, moderatis nivibus terram conſperſiſſet, Eurus ſuccedens, die duodecimo frigus hyemata induxit, aëremque per biduum ſerenavit, mox tamen iterum nubibus texit; quibus circa finem primi menſis denuo diſcuſſis, d. 8. Februarii, poſt nebulas, cum Zephyro crebriores nives deciderunt; & aliis quandoque ventis, Euronoto inprimis, Auſtro, & Zephyro borea interpolatus Zephyrus diverſas aëri temperies impreſſit donec circa finem menſis Eurus ſerenitati favens nivium liquationem ſucceſſive promoveret; Quæ ſerenitas ad vernale uſque Æquinoctium continuavit rarius nebulis, & ſemel nive interrupta, frigore autem comitata.

Poſt Æquinoctium variæ ſubinde ventorum mutationes, & frequentiores pluviæ vernalem gratiam retardarunt, atque Aprilem potiſſimum (cujus dies decimus nonus veſperi alta, ſed paulo poſt rurſus linquata nive; ſine Cereris & Pomonæ noxa, terram oneraverat, (nec non Majum valde inamœnum atque frigidiuſculum reddiderant, ſicque morboſas corporibus humanis diſpoſitiones, & tertianas præcipue febres procrearunt; quæ licet jam in Januario ſparſim comparerent, in Martio tamen, Aprili & Majo plures invadere ceperunt, gravi cephalalgia & præcordiorum preſſione, rarius præcedaneo horrore, moleſtæ, ſed poſt cholagogi aut emetici uſum, chinchinatis medicamentis utplurimum non difficulter ſuperari potuerunt; quod obſervare etiam licuit, cum circa finem Maji vires ſumendo, plurimos in Urbe; quin & vicino agro invaderent, poſt horrorem magno atque ſæpe ad deliria uſque intenſo calore ægros torquentes. In Martio quoque Pleuritides veræ, non admodum vehementes & exquiſitæ, blandioribusque diaphoreticis & pectoralibus, ſine venæſectione, interdum etiam abſque ſuppuratione, curabiles; circa Aprilis autem finem Apoplexiæ lethales paſſim obſervatæ fuerunt. Febris porrò ſcarlatina in Aprili, Majo & Junio in plurimos variæ ætatis, ſexus & conditionis homines, quin totas etiam in familias ſeſe diffudit, poſt exiguum, aut nullum horroris ſenſum, faciem primo inflans & rubore ſuffundens, poſtea univerſam cutem maculis vel tuberculis rubris; crebrioribus, latioribus, interdum magis, quandoque minus quam in Morbillis rubentibus, interdum quoque totam cutem unica quaſi macula tingens, ad duas treſve potiſſimum dies

perſe-

perſiſtens, quin diutius quandoque & per octiduum durans, modo in ſquamulas abiens, modo inſenſibiliter diſcuſſa. Nullum equidem vidi qui periculoſe ex ea ægrotaret, nonnullis tamen, ob majorem ſanguinis efferveſcentiam, diaphoreticis temperatioribus, antimonio diaph. terra ſigillata unicornu foſſili &c. ſuccurrere opus fuit; aliquibus libero ſe expoſuiſſe aëri, & ſine medicamentorum uſu, nunquam decubuiſſe haud nocuit. Quo in morbo licet Clariſſ. *Th. Sydenham* in *obſc. med. circa morb. acut. hiſtoriam ſect.* 6. *cap.* 2. omnem medicamentorum uſum intermittat, in libello tamen, qui ejus nomen præ ſe fert, & *Proceſſus integras in morbis curandis* ab eo conſcriptos exibet, atque Londini typis prodiit, medicamenta ſupra memoratis ſimilia non improbari deprehenditur; cujus eo lubentius mentionem facio, cum Libellus iſte in *Ephemeridum noſtrar. Dec.* 2. *Ann.* 10. *Appendice* recuſus cenſuram acerbiorem cujuſdam Anonymi ſubierit, qui Anno 1693. Londini eundem denuo impreſſum publicare voluit, noſtrum *inepta mole inutilem*, neſcio quo jure vocans, cum tamen idem omnino cum Anonymi ſpecimine ſit, atque juxta exemplar [cujus viginti circiter tantum Londini primo fuerunt impreſſa,] ab Exc. *D. D. Mich. Fauſto*, Argentoratenſi, jam Medico Francofurtenſi ad Mœnum dexterrimo, Acad. N. Curioſo, cum ex Anglia redux Norimbergam tranſiret, beato noſtro Præſidi, incomparabili *D. Volckamero*, tunc temporis in edenda prædicta Appendice occupato, communicatum, ingenue recuſum fuerat; ut ita quo pacto non irrepſiſſe, ſed acceſſiſſe Ephemeridibus noſtris dicendus ſit, Lector benevolus inde cognoſcere valeat.

Menſis Junius multam ventorum omnium viciſſitudinem oſtendere pergens, ſerenitate quidem urplurimum gaudens, cerebriori tamen frigore inamœnus comparuit; elapſo autem primo octiduo, conſtantior Zephyrus, poſt pluviarum frequentiam, temperatiorem auram reddidit; quam ante Solſtitium æſtivum calores, circa finem menſis remiſſiores facti, inſequebatur; cum interea ſerenos dies pluvioſi ſæpius interpolarent, ideoque tolerabili ſæpius temperiei ac telluris fœcunditati faverent; uſque dum una cum ſirii ortu calores ingraveſcerent, & uſque poſt ejus occaſum continuarent, multamque terræ ſiccitatem adferrent; niſi quod ſextiduum ante occaſum caniculæ deciduis cum tonitru & fulgure pluviis eadem refocillaret; quas eo uberiores poſtea per ſeptembrem Zephyrus adduxerat, poſt intentiores illos calores temperiem admodum humidam & frigore horridiuſculam reddiderat, ſimulque catarrhis glanduloſas inprimis & muſculoſas colli exteriori partes obnoxias fecerat, temperatiori tamen aëris regimini non difficulter cedentibus.

Poſt æſtivum Æquinoctium continuante ventorum varietate, ſerenos dies plures uſque ad Novembris initium vidimus, quos dein multa hyemis indicia à ſecuta, & juxta cum aura frigida, nubibus & nebulis aër turbidus, atque modo in pluvias, modo nives reſolutus, humidam admodum conſtitutionem effecerat, uſ-

que dum tandem post hyemale solstitium, prævalente æteris ventis Austro, quæ ab eo denominatur austrina temperies succederet. Interea lymphæ viscidæ & salsæ (ab humida aëris post magnos æstivos calores intemperie probabiliter coacervatæ,) stagnationes non deerant, Odontalgiæ præcipue, sed tolerabilis, in pluribus ob conjunctam cephalalgiam magis molestæ; quin & tussis humidæ contumacioris, nec facile sine absorbentibus abigendæ feraces. A qua etiam Hecticæ febris, quæ nonnullis insidiabatur, & non minus medicamentis potissimum acredinem temperantibus haud difficulter cedebant, originem derivare licebat.

EPISTOLA RESPONSORIA SECUNDA

A THOMA SYDENHAM M. D.

DE LUIS VENEREÆ HISTORIA ET CVRATIONE

Ad HENRICUM PAMAN M. D.

Doctissimo Amicissimoque Viro

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

Magnum rei medicæ exortum est & lumen, & commodum, Vir Clarissime, ex consummatâ tuâ de Morbis Acutis historiâ, eâque sedulâ observatione, & fidâ experientiâ stabilitâ, non lucri aut famæ aucupio scriptâ, sed sincerâ fide, & mente honestâ; Cùm tibi amplum satis theatrum sit officium fecisse, & præsenti seculo quovis modo profuisse. Ipse hactenus celavi penitus quod volui, at fortasse quid jam parem tibi è longinquo subolet. Qui laudat quod facis, urget ut facias quod adhuc laudetur. De morbis Acutis scribere summa difficultas est, utpote quos tam rapida volvit rota, ut nisi opportuno sistatur sufflamine, in præceps ruat vita, nullis in posterum auxiliis, nullis suppetiis redimenda. Tu singula eorum momenta notas, & quid quovis temporis articulo fieri necesse sit. Opus quidem perfectum, & absolutum, cui nihil addi poterat, nisi majus promiseras, De Morbis scilicet Chronicis. Hi inducias ferent, & tutiores examinandi, & judicandi moras.

Sape

Sæpe nobis incidit sermo de propudio illo Morbi Veneréi, cujus ignominiosam originem Gentes Europæ à se invicem sedulo satagunt propellere, & ut ejus magis adhuc occultentur vestigia ad ipsos Indos remotissimos amandant. Scortatorum audit flagellum, furiosæ, & indomitæ libidini aptissimè respondens pœna, eo fortasse fine tardius remota, ut tanti constet pœnitere. Et humanitatis, & peccati simul sensu tactus videbatur, qui palam optavit impurissimam hanc luem semel tantùm curari posse. Cùm jam autem ad Agyrtas, Tonsores, & infimos quosque sciolos ejus sæpè devoluta sit curatio, illi aut fraude, aut imperitiâ magno eam sumptu, majori etiam molestiâ tamdiu differunt, & protollunt, ut vitæ planè tædeat inter carnificum tormenta, & longissimas Medicinæ moras protractæ, & ferè levius sit ægrotasse, quàm sanari. Ius igitur promisisti, amicè tamen, exigo; præmittas oro, in arrhabonem reliquorum, si quid habes hâc in re confectum. Humaniter, & sincerè explices quâ methodo, quibus auxiliis hoc morbo captus se redimat quàm queat minimo. Satis est ut æger sub Deo, non etiam pejus sub Medico vapulet. Hoc gratum pluribus fiet, & ad me aliqualis saltem pars gloriæ redibit, utpote cujus precibus desideratissimum hoc opus in lucem æderis.

Tibi omni officio addictissimus,

Ex Ædib. Lambeth.
Febr. 12. 1679. 80.

H. PAMAN.

Ornatissimo Eruditissimoque Viro

HENRICO PAMAN, M. D.

Divi Iohannis Cantabrigiensis Socio, Academiæ Oratori Publico, & in Collegio Greshamensi apud Londinenses in Medicina Professori.

QUanquam eum, quem de *Acutis Morbis*, Vir Spectatissime, nuper edidi Tractatum, quæ est tua tàm humanitas, quàm animi in me propensio, ceu opus undique consummatum deprædicare digneris; usque adeò tamen tenuitatis tùm meæ, tùm istius opellæ mihi sum conscius, ut me nihil aliud egisse existimem, quàm viam præmonstrasse, quâ qui ingenio magis valent, dictorum Morborum & Historiam & Curationem queant investigare.

——Fungor vice Cuti, Acutum

Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Et profectò ita multiplex, incerta, & delicata, ut ita dicam, est natura, atque ita ludit in his morbis producendis, ut unius non sit hominis, utut vivacis, varia eorum φαινόμενα, & curationes iisdem accommodatas graphicè depingere. Unum hominem dixi? quid quod vel decem quidem homines per tot sæcula sibi invicem succenturiati, atque iidem tum maximâ ingenii vi, tum indefessâ industria præditi, tum etiam in Praxi quæ numerosas observationes suppeditaret versatissimi, perpulchrè hîc operam suam collocare possint? Tantum abest ut ad Artem Medicam vel pervenerim ipse, vel me putem perveniisse.

Mecum habito, & novi quàm sit mihi curta supellex.

Morbos istos *Chronicos* quod attinet, quorum Historiæ perscribendæ spem tibi feceram, ita penitus animo meo insedit ejus rei studium, ut non tam aliâ de causâ, si bene me novi, vitam mihi prorogari exoptem, quàm ut istiusmodi aliquo conamine communi hominum utilitati inserviam: At verò singuli me dies docent quàm sit arduum cœptum id, & quàm periculosæ plenum aleæ (mihi præ cæteris qui isto ingenii acumine atque solertiâ, quibus hîc est opus, non satis valeo,) cùm apud Scriptores rei Medicæ, (Divinum *Hippocratem* si demas, atque alios pauciissimos numero) vix ulla deprehendi queant vestigia, quibus adjutus per rerum avia spinis & sentibus impedita iter faciam; cùm quæ promittunt subsidia Authores & lumina ostentant, magis Ignes Fatui sint, quàm veræ faces, & in salebras potius ac præcipitia sequentem agant, quàm mentem fideliter & rectà dirigant in genuina naturæ Methodo indaganda atque invenienda: utpote quorum scripta ferè omnia *Hypothesibus* innituntur, quas peperit lascivientis ingenii & Phantasiæ luxuria; ipsaque adeò Morborum Phænomena (in quibus eorundem Historia vertitur) prout ab iis describuntur, ex eadem Hypothesεων officina prodeunt; quin & ipsa Praxis qua Morbos aggrediuntur (quod humani generis Pestis est certissima & pernicies) ad hujusmodi Postulata componitur, non ad rei veritatem. Usque adeò grassantur, & regnant ferè in singulis paginis Cerebrosorum hominum commenta, jacent interim naturæ judicia. Quibus non obstantibus, si vitam Deus atque otium concesserit, experiar fortasis aliquando quid valeant humeri. Impræsentiarum, ut animum agnoscas in tui obsequia paratissimum, en tibi offero, ceu ejus quod molior operis specimen, dissertationem hanc, brevem illam quidem de *Lue Venereâ*, & quam solam adhuc prælo adornavi.

Primùm autem id attingere volo, me haud paucos convenisse, qui sive præ studio honesto quidem eo, incontinentiores à peccato coercendi metu insecuturæ pœnæ, sive ut Castimoniæ laudem sibi arrogarent, non dubitabant asserere *Luis Venereæ* Curationem docendam non esse. His ego non assentior, utpote qui existimem nullum ferè locum Charitati atque operæ mutuæ relictum iri, nisi ea quæ sibi suâ ipsorum culpâ improvidi accersunt mala, humaniorum officiis farciantur. Omnipotentis Dei est fontes castigare, nostrum

nostrum verò miseris pro virili succurrere ; atque ægris opem ferre ; non autem curiosâ causarum indagatione illos acriùs urgere aut censorio vexare fastu. Tradam itaque quæ in hoc morbo observavi atque expertus sum: non quo hominum animos deteriores efficiam, sed ut corpora [quod mihi negotii datum est] reddam saniora.

* *Lues Venerea* ex *India* primùm *Occidentali* An. Dom. 1493. *Europam* appulit ; cùm ante id tempus ne quidem nomine tenus, quantum scire licet, nostro orbi innotuerit : Undè etiam Morbus vulgò censetur iis tractibus, *Americæ Endemius* in quos nos primi Colonias deduximus. Mihi verò potiùs è regione aliquâ *Nigratarum Guineæ* conterminorum originem traxisse videtur ; cùm à plurimis nostratium, iisque fide dignis, qui *Insulas Caribes* dictas incolunt, didicerim, mancipia recens à *Guineâ* allata, etiam antequam in terram descenderint, tum alia ibidem degentia hoc morbo tentari, nullâ copulâ imputa prægressâ ; ita ut non rarò universam aliquam eorum familiam, viros scilicet, mulieres, liberosque malè mulctet. Neque ista Lues quæ afflictissimos hosce sæpe sæpius invadit, vel hilum à *Venereâ* nobis dictâ, quantum ego quidem intelligo, quoad symptomata, *Dolores* scilicet, *Ulcera*, *&c.* habitâ nempè diversorum Climatum ratione, videtur discrepare, licèt nomine prorsus abludat, cùm *The Yavvs* ab illis dicatur. At nec medendi methodus quâ utuntur illi, à nostrâ abhorret, utrobique enim *Salivatio* ex *Hydrargyro* utramque facit paginam ; non obstante eo quod hîc apud nos dicicur de eximiâ *Guaiaci* & *Sarsaparillæ* vi quam in natali solo exerant, quæ ex longo ad nos itinere tantùm non exhausta putatur. Probabile itaque mihi videtur *Hispanos* qui in Europam primi hunc morbum traduxere, eodem infectos fuisse ex contagio *Nigrorum* emptorum in *Africa*, quorum genti alicui [multi enim sunt populi *Guineæ* confines, apud quos invaluit mos ille barbarus homines Europæis mercibus permutandi] *Endemius* esse potest. Ut ut sit, contagiosa ista Lues paulatim serpens, has orbis terrarum partes eo usque inquinavit, ut si eâ celeritate grassaretur adhuc qua primùm invasit, intra sæcula aliquot actum esset de genere humano, vel saltem Nosocomiis de cætero addictum, prorsus impar esset iis rebus gerendis quibus continetur hominum societas : nisi quòd, Vegetabilium instar, in alienum a patrio solum quasi transplantata, Europæo nostro non perinde lætatur, sed languet indies, & mitioribus Phænomenis satisfcit. Novus apud nos hospes cùm esset, si quem arripuerat, mox omnem sanguinis massam contaminabat, & diris capitis atque artuum doloribus, tum etiam ulceribus variis in partibus se prodebat. At verò Centum retrò annis *Gonorrhœæ Virulentæ* specie se primùm ostendebat, ostenditque adhuc, hâc sibi portâ exitum quærens ; nullo alio manifesto symptomate, nisi quòd in perpaucis ulcusculum in pudendo (vulgò *a Shanker*) primum morbi est indicium ; cujus virus cum per Gonorrœam non ejiciatur, sanguinis massam dicto citius pervadit inficitque.

Propagatur autem Venerea hæc Lues vel per *generationem*, undè misel-

lus Infans ab inquinato parentum altero mala ducit stamina vitæ; vel per *contactum mollioris alicujus partis*, quo virulentia atque inflammatio corpori insinuantur ex occasionibus hoc in loco dicendis. Primò in lactatione v. gr. vel *Infans* Nutricem per rariores mammillarum poros, vel *Nutrix* Infantem per os tenerum inficere potest. Secundò Infantes si nudi cum inquinatis in eodem lecto dormiant. Licèt enim Adulti quorum caro jam firmior ætate obduruit, vix nisi intercedente impuro coitu, quamvis simul dormiant, possint infici, Infantium tamen laxior caro & texturæ rationis venenum facilè excipit, quod non semel observavi Infantibus à genitoribus, quibuscum dormiebant, infectis contigisse. Tertiò autem, partis mollioris contactus maximè in Coitu impuro fit, ac proinde eo pro cæteris modo serpit Lues; cùm scilicet penis Spiritibus Generationi dicatis turgidus, à Venereo sive ulcere, sive etiam pustulâ in uteri vagina stabulante noxam de facili haurit, quorum alterutro intus latente Mulier nihilominus sana videri potest; veneno nempe vel istarum partium illuvie ita detento ut segniùs invadat sanguinem, vel per menstruas purgationes diluto sæpius, & quadantenus exterminato. Contagio hæc carnosam virgæ substantiam, quantum ego judico, primum adoritur, quam quidem corrumpens, eidemque primò inflammationem, mox ulcerosam διάθεσιν sensim inducens, efficit ut sanies, qualem in *Gonorrhœâ* cernimus, in urethram lentè extillet: quod ut credam hâc ratione promoveor, ipse scilicet vidi virulentam hujusmodi materiam per substantiam glandis porosam exudare, non per urethram ejectam, nulloque ulcere vel glandem occupante, vel præputium. Tandem verò altiùs penetrans, glandulas *Prostatas* efferato ulcere solet depascere; quod haut rarò cernitur in eorum cadaveribus quos hic morbus è medio sustulit.

Gradibus mox dicendis procedit hic morbus, Æger, [ocyùs aut seriùs, prout mulier quâcum consuevit magis minusve fuerit inquinata, pro ratione etiam temperaturæ μιάσματι excipiendo magis minusve idoneæ] primùm dolore genitalium insolito cruciatur cum quâdam rotatione quasi testiculorum; posteà, si recutitus non sit, macula primò Morbillum jam erumpentem magnitudine & colore æmulans glandis partem aliquam invadit. Statim ab hujus maculæ exortu, liquor quidam lentè extillat, seminis instar, qui quotidie à seminis tam colore, quàm consistentiâ recedens, flavescit tandem aliquanto dilutius ovi vitello; & in Lue virulentiore intensioreque non modò virescit, sed & aqueo humori permiscetur sanguine affatim tincto. Pustula jam dicta *ulcus* tandem fit, primò haud absimile, ἄφθῃ Infantium ora obsidentibus, quod indies latiùs & profundius depascatur, supervenientibus orificii callo & duritie. Animadvertendum est autem quòd memorata pustula rarò Gonorrhœam comitem habet in iis qui aut jam pridem Gonorrhœâ laborarunt, aut recutiti sunt; utpote quorum Glans tum ab aere cui exposita est, tum à frequenti linteorum attritu indurescens, non jam non ita facilè suscipit. Hujusmodi Verpi igitur glandis ulcere ferè non

tene

tentantur, sola *Gonorrhœa* dicto modo nascitur. Hanc alia mox symptomata excipiunt, ut primò magnus doloris sensus in pene quoties erigitur, perinde ac si validâ manu transversus fortiter constringeretur, qui noctu præcipue urget, quoties in lecto æger cœpit incalescere: quam quidem constrictionem penis dolorificam morbi hujus in hoc statu existentis signum παθογνωμονικώτατον existimo. Incurvatur etiam veretrum à fræno jam contractiore, quòd cùm in erectione extenditur pro natura sua, acutissimum dolorem adfert. Accedit etiam *ardor urinæ*, qui plerumque inter mingendum vix percipitur, at verò æger jam à mictu cessans per omnem urethræ ductum acriter admodum uritur, maximè qua in glandem desinit. Non-nunquam etiam erosâ atque excoriatâ urethra jugi puris actioris fluxu, natura in carne nova vice jam deperditæ justo occupatior laxam quandam & spongiosam substituit, quæ mole quotidie aucta & sensim indurata *Caruncularum* excrescentiis ita meatum urinarium infercit, ut tandem lotio non detur exitus; quæ quidem carunculæ nihilominus ex ulceribus sibi adnatis ichorem quendam evomunt, & tum Medico crucem figunt inter curandum, tum ægro magis ipsâ morte timendum malum. Quinimò sæpè accidit ut sanies quæ per Gonorrhœam deplenda erat, vel à motu violentiori, vel Astringentium usu in Scrotum deposita, atrocissimum dolorem & Scroti inflammationem accersat, nunc alterutro, nunc utroque ejus latere in molem ingentem elato; Gonorrhœa interim progreditur tardiùs, at verò urinæ ardor non minùs urget. Atque hæc sunt communiora morbi hujus symptomata, manente hoc ejus statu.

At vero quoties sive Morbi diuturnitate & in dictis partibus morâ contagio sursum fertur & sensim sanguini labem imprimit, aut materiâ virulentâ indebito Adstringentium usu in corpore retentâ humores putrescunt, *vera Lues* exoritur, in quâ Tumores sive *Bubones* sæpe in inguine comparentes primum ejus gradum constituunt. *Dolores* tum caput, tum artus [in articulorum intersitiis, humeros scilicet, brachia, & talos crudeliter laniant, nullo ordine invadentes, & per intervalla, licèt noctu ægrum lecluli calore perfusum rarissimè destituant, nec nisi sub auroram libenter evanescant, Crustulæ etiam & *porrigines* varias corporis partes deturpant. lavescunt hæ fermè ad instar favi, quo signo à cæteris omnibus queant internosci. Quandoque superficie latiore varia occupant corporis spatia ad eum modum, quo *Lepræ* in Medicorum scriptis depingitur. Quanto autem magis scabies hæc diffunditur: tanto minùs æger discrutiatur. Universa symptomata pedetentim increscunt, dolor præ reliquis, qui tandem eò usque exacerbatur, ut se nequeat miser diutius in lecto continere, sed protinus exiliens, huc illuc in cubiculo cursitet irrequietus fermè, donec illucescat. Adde quod præ doloris vehementia Cranium atque ossa tibiarum brachiorumque hinc inde attolluntur in perdura tubera, *Exostoses* dicta, excrescentiæ osseæ in equorum tibiis (vulgò *a Spavin*) haud absimilia: quæ quidem ossa tuberculis obsessa jugi dolore ac inflammatione tandem

dem carioſa redduntur & putreſcunt. *Vlcera* etiam *Phagedænica* varias corporis partes depopulantur, quæ fauces utplurimum primò aggredientia, ſenſim per palatum in naſi cartilaginem propagantur, quam mox abſumunt, ita ut is jam fulcro deſtitutus planè concidat. Creſcentibus indies ulceribus, & dolore aucto, æger partim indefinenti carnificinâ enectus, partim ulceribus confectus & putredine, vitam trahi cruciatu, fœtore, carie, opprobrio moleſtiſſimam, & quavis morte longo intervallo miſeriorem, donec tandem, pereuntibus per vices membris, lacerum cadaver, & jam ſuperis grave, humo condatur.

Intrinſecam hujus morbi naturam, Eſſentialem quam vocant, niſi quatenus ea ex iſtis, quæ jam depinximus, ſymptomatis eluceſcat, non mihi magis perſpectam eſſe arbitror, quàm eſt Eſſentia ſive Plantæ cujuslibet, ſive Animalis: Quicquid verò de ea ſit, certò mihi conſtat humorem hunc committentem inflammationis haud mediocris participem eſſe, unde hæc tot malorum Ilias: conſtat etiam dictum humorem evacuandum eſſe, idque iis mediis, quorum efficaciæ Experientia, medicorum Magiſtra, ſuffragatur. Cùm nondum inveniatur immediatum aliquod *Specificum*, cujus ope ſine evacuatione prægreſſâ Lues debellari queat. Neque enim vel *Mercurius*, vel *Ligna Exiccantia* dicta, Specificorum titulo ſunt donanda, niſi exemplis in medium allatis probare quis poſſit; vel Mercurium abſque Salivatione, vel Lignorum Decoctum nullo ſubſequente ſudore Luis Venereæ curationem quandoque abſolviſſe. Utque experientiâ didici ſudorifica vulgaria haud minùs profeciſſe in hoc morbo quàm lignorum decoctum, ita nullus dubito quin ſi reperiri poſſit aliud quid, ſive in Regno Vegetabili, ſive Animali, quod in excitandâ ſalivatione pares cum Mercurio vires haberet, pariter etiam ad ſanandam Luem valeret. Quandoquidem autem hic morbus adhuc intra Gonorrhœæ limites ſubſiſtens, longè ab eadem diſtat cùm jam omnem ſanguinis maſſam contaminaverit, & Venereæ Luis nomen præciſè mereatur, ita etiam Evacuatio quâ Gonorrhœæ materia ejicitur, alia prorſus eſt atque illa, quâ Lues jam formata eliminanda eſt.

* *Gonorrhœam* itaque quod attinet de quâ primò agemus, in remediis *Catharticis*, quantum huc uſque uſu comperimus, Curationis omnis cardo vertitur, quorum auxilio vel educitur humor peccans, vel procuratur diverſio ſuccorum corporis naturalium qui aliter hoſti in pabulum cederent. Quamvis autem tum ratio, tum experientia mihi dictant hunc morbum [illegible] quolibet demum Cathartico ſæpe diuque exhibito ſanatum iri, ea tamen cæteris δραστικώτερα mihi videntur quæ bilem, maximè verò quæ ichorem ſeroſum fortiter è ſanguine expurgant & ſubducunt. Ac proinde ſolâ *Jalapii radice* pauperibus aliquoties ſubveni, quorum tenuitati & rebus domi anguſtis conſulendum erat. Cùm verò & morbus conſpicuam ſecum trahat inflammationem, & medicamenta purgantia quibus expugnandus is eſt, calida etiam ſint, *Diæta refrigerans* omnino eſt imperanda â carceribus, quod dicitur, ad metas.

* *Gonorrœæ virulentæ Curatio.* Sic

Sic itaque soleo præscribere. ℞. *mass. Pilul. cochiar. maj.* ʒiij. *Extract. Rudii* ʒj. *resin. Jalap. & diagryd. an.* ʒß. *cum s. q. Opobalsami f. Pil. e singulis Drachm.* vi. Quatuor ex his singulis auroris deglutiendæ sunt horâ quarta vel quinta (ita ut æger superdormiat) ad dies 12 vel 14, vel etiam plures, donec sc. urinæ ardor & materiæ semini formis color flavus admodum imminuantur; quæ cum pro voto successerint, satis esse autumo, si æger interjecto semper die uno, easdem repetat ad septimanas adhuc duas; quo tempore elapso, sufficit ut bis in septimana sumantur Pilulæ, donec humor ex urethra stillare solitus prorsus evanescat, quod ut plurimum non nisi post multos dies contingit. Quamvis enim vulgò affirmetur, quòd ejusmodi ichor qui ardore urinæ & flavo materiæ extillantis colore disparentibus, manè præsertim, in summitate colis digitis compressi ad guttulam unam alteramve cernitur, à debilitate tantùm & à laxitate partium ob diutinam viros fomitis in eis moram oriatur; miseri tamen experiuntur magno suo malo reliquias has esse contagii non penitus deleti; quod licèt quadantenus subactum, ex leviſſima quaque occasione [à potu scilicet nimio, aut exercitio quolibet vehementiori aut simili alia) novas excitat tragœdias, Gonorrhæa postliminiò recrudescente, si nempe æger catharseôs molestiam defugerit, nondum extirpato radicitùs morbo.

Si post hujusmodi purgationem Gonorrhœa nondum cedat, ex usu erit loco pilularum, maximè in iis, qui difficilius purgantur, potentius aliquod medicamentum subinde intercalare, cujusmodi est Potio sequens, quæ semel tantùm hausta magis aliquando fecit ad sistendam Gonorrhœam, quàm leniora Cathartica sæpenumero ingesta. ℞. *Tamarind.* ʒß. *fol. sen.* ʒij. *Rhei* ʒiß. *Coq. s. q. aq. Colaturæ* ʒiij. *dissolv. Mannæ, & syr. Rosar. solut. an* ʒj. *syr. de spinâ Cervin.* ʒ. *Electuar. è succo Rosar. an.* ʒij. *M. s. f. potio.* Vel curatione tardiùs procedente detur *Turbith. minerale ad gr.* viij. tantùm bis vel ter, (idque interpositio debito temporis spatio, ne fortè oboriatur Ptyalismus; quod quidem remedium in eradicanda Gonorrhæa pervicaciori facilè primas fert. Vel bis in septimana pil. sequentes exhiberi poterunt. ℞. *pil. ex duobus* ʒß. *Mercur. dulc.* ℈j. *cum s. q. Opobalsami f. pil.* iiij. *sumenda summo mane.*

Est autem ubi æger à Catharsi dicto modo repetitâ usque adeo abhorret, ut ne conspectum quidem, vel odorem solum remediorum ferre queat. Est etiam ubi corpus ex ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam ita pertinaciter purgantibus refragatur, ut debita peccantis humoris quantitas nequeat educi; atque ita dum impensiùs in hoc laboratur nullo cum fructu Lues tandem obrepit, quæ eos sæpissimè, ægros adoritur, quorum corpora catharticis fortiùs obsistunt: cùm ita se res habeat, *Enematis* agendum est, quibus injectis utrique indicationi, humoris scilicet tum expurgandi, tum ab affecta parte derivandi satis fieri potest. Quin etiam hæc Methodus expeditior est nonnunquam præmemorata ista, at non æquè tuta, me judice, cùm prior illa licèt diuturnitate molestior, minùs tamen habeat periculi ne qua

contagiosi fomitis particula in viscéribus hæreat, novos datura tumultus; Hoc verò incommodum facillimè evitatur, si Cathartica per os assumpta diebus ab usu Clysterum liberis, mutuam iis operam commodent.

Hâc itaque viâ incedo, *Pilulas* jam prædictas, aut alias ejusmodi duabus tribusve auroris continuis exhibendas curo; posteà *Enema* sequens manè, & horâ quintâ pomeridianâ quotidiè injiciendum, donec penitùs cessaverit symptomata; nisi quod semel aut bis in hebdomade Catharticum impero, misso die isto Clystere. ℞. *Electuar. è succo Rosar.* ℥vj. *Terebint. Venet. vitello ovi solut.* ʒß. *dissolvantur in aq. Hordei* ℔j. *Colaturæ adde El. Diacathol.* ʒij. *m. f. Enema:* Singulis etiam noctibus *Opobalsmi* vel *Balsami è Mecha gut.* xxv. sacchari frustulo exceptas concedo, sub lecti ingressu; quod quidem medicamentum, cum *Terebinthinæ* quoddam genus sit liquidum ac purum, iisdem quibus illa facultatibus pollet, & ulcerosæ genitalium diathesi apprimè succurrit; hujus itaque defectu *Terebinthina Cypria* ad quantitatem avellanæ dictis temporibus devoranda substitui possit.

Procedente Curatione, quâcunque ea demum methodo tentetur, ægro cibis omnibus sale conditis, vel alias dyspeptis [quales sunt carnes Bovinæ, Porcinæ, Pisces, Caseus, Radices, Olera] & fructibus horariis quibuscunque interdico; quibus substituo carnem Vervecinam, Vitulinam, Pullorum, Cuniculorum, & cætera ὑπτια Volo etiam ut vel his paciissimè utatur, tantùm ut ægri vires non labascant. *Potus*, vino in genere abdicato, ut & liquore omni sive spirituoso, sive acescente, *Hydrogala* esto, ex tribus aquæ coctæ partibus & lactis unâ, nisi quòd in prandio & cœna Cerevisa tenuis in parvâ quantitate possit indulgeri. Ad contemperandam insuper inflammationem, & mitigandum ardorem urinæ, refrigerantem aliquam *Emulsionem* ad sequentis normam compono, in Purgationum interstitio frequenter potandum. ℞. *Sem. Melon. & Pepon. an.* ʒß. *Sem. Papav. albi* ʒij. *Amygdal. dulc. excorticat. n.* viij. *contund. simul in mortario marmoreo, sensim affundendo aq. Hord.* ℔. iß. *Colaturæ adde sacchari Crystallini q. s. m. f. s. a. Emulsio.*

In temperamento admodum sanguineo, & affectu pertinaciore, post mensem catharsi datum, aut circiter, ut plurimùm *sanguinis Uncias octo vel novem* è brachio dextro detrahendas suadeo; ut maturiùs celebretur venæsectio author non sum, ne hâc προφάσει contagium penitiùs inseratur. *Injectiones* in urethram non magni facio, utpote quæ sive acrimoniâ suâ mordaci, sive stipticitate non rarò magis officere soleant, quàm prodesse: veruntamen sub morbi exitu *Aqua Rosacea* in pauca quantitate potest injici.

Hâc methodo, quæ mihi semper pro voto cessit in Gonorrhœâ sanandâ, meliorem nondum comperi; maximè in iis qui facile purgantur. In iis enim qui purgantur ægriùs, curatio, licèt nunquam fallax, tamen non nisi post longum temporis spatium perficitur. In his itaque sanguis iterum mittendus, & acuenda sunt Cathartica, tum etiam repetenda sæpiùs, atque in eorum usu diutiùs est perseverandum, aut Clysteres modo jam signato usurpandi

pandi. Etenim *Catharsis* hîc ad instar omnium est. Atque in hoc affectu, si in alio quopiam, verè asseritur, quòd qui mundificat bene, bene sanat: modò ab *Aquis Mineralibus* sibi temperet, quas certò mihi constat morbi reliquias è corpore eliminandas vi astringente & plus satis sanativâ arctiùs constringere, & quasi clavo figere trabali; unde quòd sæpius observavi, *Scroti tumores* enascebantur quoties in morbi principio, vel statu, pejoraque adhuc symptomata ut *Caruncula*, si quando sub ejus exitu potarentur. Quod quidem ego fidenter assero, quantumlibet ex more hodiè recepto Aquæ Minarales in dicto casu haud rarò præscribantur.

Neque sum nescius quantum se ventitent Practicorum nonnulli in hujus symptomatis curatione, quà breviore temporis spatio, quà remediis magni nominis & tituli absolvendâ; interim observatione plus satis frequenti certò deprehendi, materiam, quæ eliminanda fuit, astringentium vi in corpore detentam maximum ægris dedisse malum, ex quo persæpe sanguinis massam de novo subiens ipsam demum Luem parit. Nec majore cum fructu, licèt periculo minore, decoctum *Lignorum exiccantium* usurpatum comperi; quo scilicet, sub prætextu *Specificorum*, tum universum ægri corpus, tum præ cæteris affecta pars jampridem nimis incalescentia ulteriùs adhuc inflammabantur; nonnunquam etiam *Gonorrhœa* quæ paulo antè evanuerat, quod me observasse memini, denuò in conspectum prodiit.

Animadvertendum est autem, quòd si ægri glans Præputio undiquaque contegatur, atque ejusdem ora præ inflammatione usque adeò tumida, dura, ac calloſa reddantur ut nullo modo queat reduci; laterem lavat quisquis Gonorrhœam remediis purgantibus, fortissimis licèt, & quotidie ad nauseam repetitis, aggreditur, nisi eodem tempore id agatur ut pars ita affecta ad statum sibi naturalem redeat, sublatis & duritie & tumore, undè Gonorrhœæ novus utique fomes subministratur. Quod quidem ego admolior *Fotu* sequente. ℞. *Rad. Althææ, & liliorum an.* ℥ij. ß. *fol. Malv. Verbasc. Sambuc. Hyoscyam. flor. Chamæmel. & Melilot. an. M. j. sem. lini & Fœnugræci an.* ℥ß. *Coq. s. q. aq. font. ut f. Fotus, parti affectæ admovendus per horæ unius spatium bis vel ter in die.* Peractâ fomentatione partem affectam *Oleo è semine lini* recenter extracto perungendam curo, deinde *Emplastrum è Mucilaginibus* aluræ agninæ inductum labiis præputii tumidis circumponendum. Quòd si *Vlcus* vel in ipsius præputii labiis, vel in subjectâ glande hærens suâ callositate facit ut illud non nisi ægrè possit retrahi, præter fotum jam dictum sequens etiam *Linimentum* præscribo. ℞ *Vnguent. Basilici* ℥vj. *Vnguent. è Nicotianâ* ℥ij. *Præcipitat. aq. Ros. lot. & optimè lævigat.* ℥ß. *m. f. Linimentum, quo lintei rasura imbuatur, & ulcusculo admoveatur semper post Fotûs præscripti usum.*

Ubi verò sive quòd justo maturiùs Gonorrhœa sistatur, sive ab exercitio vehementiori, aut aliâ quacunque de causa, Scrotum jam morbi sedes ab eadem in tumorem insigniorem attollitur, prædictum *Fotum* bis in die parti affectæ admoveo, modò non imminuantur & dolor & tumor *Cataplasmate* vulgò

noto *ex Oxycrato & farinâ Fabarum*. Hæc dum foras peraguntur, non desino remediis & Catharticis, & Refrigerantibus, quæ modò præscripsimus, introsumptis, tum etiam Diætâ supradictâ hostem urgere; neque mihi religio est quovis hujusce mali tempore sanguinis ℥jx, vel x. è brachio isto detrahere quod testiculo tumefacto respondet, si tumoris magnitudo & vehementia doloris id mihi suadeant. Atquæ hæc hactenus de *Gonorrhœâ*.

* Cùm verò eò usque invaluerit morbus, ut jam *Venerea Lues*, vel *Lues confirmata* præcisè dici mereatur, alia omnino porta quærenda est, & duriori huic nodo cuneus itidem durior est adhibendus: quandoquidem nullum adhuc experimentum, quod sciam, adferri possit extirpati hujusce morbi, nisi per *Salivationem* ab *Hydrargyro* excitatam: quicquid tam doctorum nonnulli, quàm indoctorum de aliis sanandi modis satis temerè & audacter effutiverint. Cùm itaque *Salivatio* omnem hîc numerum absolvat, id tantùm mihi incumbit, ut quæ in ea excitanda, tum etiam regenda, & ratio (qualis qualis ea demum fuerit,) & observatio rationi suffragata mihi dictaverint, edisseram.

In principio autem ne conjectura quidem assequi possum, quid sibi velint crebra ista monita, quibus de corpore remediis *Catharticis* & *Digerentibus*, Balneo putà & cæteris id genus, ritè præparando, ita seriò cavetur; Ut de Venæ-sectione jam taceam, cui nonnulli hîc loci primas deferunt. Quum enim, si veritati sit litandum, eò res redigatur, ut *Veneno* Salivatio procuranda sit, (neque enim adhuc innotescit salubre aliquod medicamentum, quo possit excitari, neque æger sine ejus ope in tuto collocari potest,) quæritur utrum corpori constantibus adhuc viribus, vegeto & valenti, ac proinde frangendis inimici conatibus haud impari; an eidem missione sanguinis & tenui diæta jam debilitato rectius committatur Venenum. Haud dubiè satiùs esse duxerit æquus rerum æstimator nihil agere, quàm ita importunè satagendo nocere. Quid quòd experientia testatur, nullis evacuationibus, aut alio modo infirmatos salivationis impetum multò melius sustinere, quàm eos, quorum quasi ante prælium incisi sunt nervi?

Misso itaque damnoso omni hujusmodi præludio, statim atque accersor *Unguentum* præscribo ex *Axungiæ Porcinæ* ℥ij. *& Mercurii crudi* ℥j. Neque oleum aliquod è calidioribus, neque aliud quid admisceo; cum deterius fiat Ungentum, si quod adjecta ista frænum injiciant, & nihilo efficacius, si nihil prorsus agant: Et fortasse additamenta ejusmodi sub nomine *Correctivorum*, idem hîc præstant [si quid tamen præstant] quod *Catharticis* adjuncta judice experientia, solent præstare; tormina nempe excitant, & catharsin reddunt laboriosiorem, à lucta scilicet inter Antidotum & Catharticum, cujus vis omnis purgans in eo posita est quod naturæ hominis inimicetur. Verùm ut *tertiâ parte* dicti *Unguenti* brachia, crura, & tibias ad tres noctes continuas (primam qua accersor includendo) manibus suis æger perungat injungo; ita tamen, ut neque axillas, neque inguina attingat uspiam, & ab-

* *Luis confirmatæ Curatio.*

& abdomen panno laneo tenuiore circumpositò & posteriùs consuto, à linimenti contactu diligenter muniat. Post tertiam inunctionem gingivæ ut plurimum intumescunt, & *Ptyalismus* suboritur. Si verò intra tres dies post ultimam inunctionem idem haud procedat, tum gr. viij. *Turbith. Mineral. in Conserv. ros. rubr.* exhibeantur ægro, qui post singulas vomitiones aut sedes sumat haustum liquoris possetici calidè. Cùm expuere inceperit, id jam medico negocii tantùm est, ut gradum salivationis scrupulosè expendat, ne invocatis temerè suppetiis, salivationem eò usque evehat, ut æger de vita periclitetur. Ubi jam Ptyalismus statum debitum fuerit adeptus (in quo expuuntur ut plurimùm libræ quatuor spatio Nycthemeri,) vel symptomata, etiamsi parciùs expuat æger, evanuerint (quod plerumque contingit post quartam diem à statu salivationis;) & indusium & tori lintea aliis, quæ à quo ultimò lavabantur usurpata aliquandiu fuere, sunt permutanda: cùm priora ista unguento infecta salivationem & magis quàm erat opus intendere, & longius protrahere, quàm ægro expediat, apta nata sint. Quod si fortè priùs elangueſcat salivatio quàm symptomata penitus disparuerint, extimulanda subinde est *Mercurio dulci ad* ℈j. pro dosi exibito.

Nonnunquam accidit, præsertim in corporibus ἰυμεταβλήτοις, quòd post unam vel alteram inunctionem [nempè simul ac Hydrargyro sanguis affici inceperit] natura illicò per intestina hunc hostem expellere satagat, undè non solùm dejectiones mucosæ & tormina ventris, ut in iis qui dysenteria laborant, eveniunt, verùm etiam curatio morbi impeditur, utpote qui salivationi tantummodò cedere soleat. In hoc casu à Mercurio sive extra applicito, sive intrà assumpto, prorsus absistendum, donec hæc symptomata penitùs evanuerint; atquè portò dictus alvi fluxus (qui plerumque accidit, antequam salivatio bene assurgat] sistendus est usu *laudani liquidi*, ita dosim augendo atque repetendo prout urgeat symptoma; aut *Diascordii sesquidrachma*, aliquoties prout opus fuerit, devorata. Diarrhœa tandem cohibita, salivatio debito modo procedere solet, quæ antea vix appareret.

Convalescente de cæteris ægro, nisi quod os adhuc exulceretur [qui genuinus est ptyalismi fructus] salivatio quæ jam indies imminuitur, nec purgatione nec alio modo quocunque sistenda est: fieri enim potest ut etiam post consopitum dolorem, atque exiccata ulcera aliquid de morbi fomite adhuc in corpore deliteſcat, bella denuò moturum, nisi sibi permittatur sputatio illa moderata, quæ postquam redintegrata sanitate homo se auræ liberiori aliquandiu exposuerit, desitura est. Periculosum itaque esse arbitror ptyalismi jam abiturientis & mox evanituri reliquias vel *Catharsi* deducere, vel *Lignorum decocto* exiccare velle; à qua Praxi, quæ vulgò obtinet specie vel Mercurii è corpore eliminandi, vel corrigendæ ejus malignitatis, nascuntur sine dubio frequentes istæ *Recidivæ* quæ miseris accidunt, sanitatem tandem aliquando post tantùm impensarum, tot exantlatos labores, tantum tædii devoratum anhelantibus, ad quam etiam certò perveniſſent, si salivatio

non nisi suo tempore determinaretur. Longè itaque consultius esset, Ptyalismum promovere *Mercurio dulci* semel in hebdomade exhibito, etiam postquam omninò convaluerit & jam sub dio versetur (quod & ego per menses aliquot fieri aliquando jussi,) quàm eundem præmaturiùs inhibere.

Quantumlibet autem à cathartsi in salivationis declinatione ob jam dictas causus abhorream, fieri tamen potest ut in ejusdem statu ea nec prætermitti possit, nec debeat, quoties scilicet re malè gesta eousque fuerit evecta salivatio, ut jam ægri vitæ metuatur: quo in casu non tutum modò est, sed & necessarium etiam Cathartico ingesto Ptyalismum ad eum gradum deprimere, ut cum ægri εὐφορίᾳ procedat qui deindè suo juri relinquendus.

Si quis jam quærat, an nudâ Salivatione contenti esse debeamus, nec Catharticis, nec aliis remediis solennibus in usum, post eam peractam, revocatis? Respondeo, præter jam dicta, quibus & ratio astipulatur, & experientia, me velle doceri quam ob causam magis sit necessarium purgare post Salivationem, quàm Salivationem excitare post Cathartsin, cùm remedia purgantia (*Scammoniata* maximè & id genus acria) malignitatis quidpiam in corpore relinquant, quod naturæ tamen committimus, cujus vi tandem subjugatur istud, quicquid est veneni, eo scilicet qui purgatus fuit ad regimen consuetum, exercitium, & liberiorem aëris usum se recipiente. Atque id porrò libenter scire velim, quâ demum arte freti Mercurii reliquias per Cathartsin expellere conamur, cùm genuinam illam ac propè unicam methodum [per salivationem scilicet] quâ natura id efficere solet ac debet, non solùm negligamus, sed etiam impediamus? Hujusmodi autem hallucinationes minimis istis rationis scintillulis imputandæ sunt, quibus nos miseri mortales tantùm præditi, ad veritatem in profundo demersam non penetrantes, quamlibet ejus umbram & speciem amplectimur, pro Junone, quod ajunt, captantes nubem; mox colloquia miscentes, præjudicia malè fundata ita penitus nobis invicem infigimus, ut tandem phantasmata nostra & delirantium insomnia pro principiis Apodicticis haberi velimus; cujus specimen, ni fallor, præ manibus nobis est.

Quamvis autem in plerisque Curatio modo jam dicto absolvatur, *viz. Inunctione* per tres noctes continuas, & exhibito *Turbith Minerali*, Ptyalismo haud ritè procedente, *Mercurio* item *dulci* ad vices aliquot, eodem justo citiùs fatiscente; seriò tamen animadvertendum est, in quibusdam repertiri idiosincrasiam sive temperamentum quoddam peculiare tàm salivationis respectu, quàm purgationis (atque eadem plerumque in iisdem, ut qui ægrè pugantur, ægrè etiam ad Ptyalismum perducuntur,) ita ut in nonnullis Methodus laudata vix gingivarum exulcerationem queat efficere, multò minùs salivationem eam procurare, quæ malo eradicando par sit. In hujusmodi ægris Medico summopere cavendum est, ne animo nimiùm obstinato salivationem importunius urgeat, recalcitrante naturâ, atque ab isto evacuationis genere prorsus abhorrente; quod qui minùs intellexere ægros haud paucos letho dederunt: Etenim in corporibus ita factis, quotiescunque medicamenta, sive externa illa

illa fuerint, sive interna, pertinaciter ingeminaveris, loco salivationis perfectæ nil præter ventris tormina, & dejectiones dysentericas obtinebis, naturâ per hanc portam Hydrargyri virus amoliente; vel dolores ventriculi & ægritudines, sudores frigidos, horrendaque alia symptomata accersès, ita ut æger tantùm non agat animam, fortè etiam mox eam evomat. In his licet Medico concedi possit, ut postquam ad dies quatuor vel quinque à postremâ inunctione salivationem frustrà præstolatus fuerit, inunctionem jam sæpè dictam, & *Turbith Minerale* denuò repetat [interjectis inter singulas inunctionum vices diebus aliquot;] religiosè tamen cavere debet, ne cùm tanto conamine salivationem incassum sollicitaverit, eam per vim invitæ naturæ extorquere pergat. Hic itaque modus, quantùm ego judicio valeo, Medico tenendus est, ut ubi primùm vel ægritudo ventriculi, vel ventris tormina succedant, statim sibi temperet à remediis adhibendis donec ea penitus evanuerint symptomata; pluribus enim & fortioribus remediis ad cogendum φύσεως ἀντιπαράστασις salivationem accumulatis, *Dysenteria* certò certiùs tormina ventris, & ventriculi ægritudinem Mors excipiet. Cùm ex adverso si lentè festinet, & moras trahat. *Mercurii dulcis* ℈j. semel aut bis in septimanâ exhibendo, vel per se, vel cum ʒj. *Diascordii*, si æger in Diarrhœam propensior sit, tandem aliquando cum bonis ægri rebus optata potietur arenâ. Quamtumvis enim Ptyalismus ad plenum nunquam assurget, æger tamen copiosiùs quàm pro more solito expuet, & fœtor justæ salivationis comes neque immunitiorem hanc destituet: unde evincitur sanguinem & humores eam sive putrefactionem sive alterationem, quæcunque ea demum sit, attigisse, quæ vel parit salivationem, vel cum ea nascitur. Atque hâc Methodo universa hujus morbi symptomata tandem expugnabis, concesso utique debito temporis spatio.

Observandum est autem, quòd licèt salivatio remedia alia, qualiacunque ea fuerint, in extirpandâ *Lue confirmatâ* longe exuperet, *Gonorrhœam* tamen cum Lue concurrentem neutiquam valet sanare; nec sistetur illa, hâc jam penitus devictâ: undè rectè colligitur nullam vim specificam Mercurio inesse qua Venerea Lues immediatè debellari possit; quamlibet *Specificum mediatum* fortè dici mereatur, in quantum mediante ptyalismo morbum expellat; pari fermè καταχρήσει [quod aliàs subinnui] atque scalpellum Chirurgicum Laterali morbo Specificum queat appellari. Sed ut ad rem tedeam. Quoties *Lues* & *Gonorrhœa* unà stabulantur, vel ante Salivationem, vel ea jam peracta, Gonorrhœæ curatio tentanda est; quod & tutiùs fit, me judice, & faciliùs etiam post finitam salivationem, cùm Luem habens comitem Gonorrhœa ægriùs dometur; quæ verò à prægressa salivatione quadantenus subacta fuit, minori negotio expugnari soleat. At verò Catharticis religiosè abstinendum est quousque vel minimæ salivationis reliquiæ supersint; Quamobrem *Turbith Minerali* semel aut bis in hebdomade exhibito securiùs rem committemus, quàm aliis Purgantibus, quibuslibet, cujus vi promovebitur aliquantulum ptyalismus, dum interim materia Gonorrhœam commitens paulatim excernatur.

Por-

Porrò observandum est, si tumor ossi alicui, *Exostosis* vulgo dictus, insideat, qui etiam tamdiu permanserit, ut os jam carie afficiatur; incassum prorsus erit sive salivatione, sive alia aliqua methodo curationem aggredi, nisi etiam huic malo obviam eatur; ac proinde os ope *Caustici* denudandum, & quamprimùm idem, quod ajunt, *exfoliandum*, usu scilicet remediorum quæ intentionem hanc implere solent.

In *Ore exulcerato*, quod Salivationem passis ita familiare, si vel æger dolori ferendo par non sit, vel eo usque illud excorietur ut sanguine diffluat, idem nocte dieque vel *aquâ Rosarum Damascenarum*, vel *lacte aquæ permisto*, vel *hordei*, *radic. Althææ*, & *semin. Cydoniorum decocto* sæpissimè proluendum est. Unicum hoc symptomata memorabile, quod scio, salivationi accidit, saltem quoties ea more debito administratur; & sanè si *dolor* & *oris exulceratio* arte aliqua protelari potuerit, haud multo esset molestior morbi hujus curatio, quàm est aliorum aliquot longè minus famigeratorum.

Diætam quod spectat & reliquum ægri regimen, eadem prorsus in *Salivatione*, saltem donec ad finem jam ferè vergat, ac in *Catharsi* imperanda censeo: Cùmque ei qui medicamentum aliquod purgans assumpsit, id tantum incumbat, ut se in cubiculo à vi frigoris defendat, & cibis εὐπεπέστοις moderatè vescatur, nondum mihi constat quo nomine vel lecto semper addicatur qui Ptyalismum subit, vel à victu modico arceatur, qui scilicet naturæ cum veneno conflictanti vires animumque addat; unde etiam naturâ tanto oneri succumbente, haud pauci, spiritibus, atque omni vitæ robore, diaphoresi, purgationibus, & jejuniis supervacuis (præter vulnus ab *Hydrargyro* inflictum) tandem penitus exhaustis, miserè confecti sunt: Persæpè etiam morbo jam pulso, æger eâ spirituum copiâ quâ erat opus ad redintegrandam sanitatem destitutus, præ imbecillitate concidit; aut si forte *Libitinam* valeat effugere, tot tantisque cruciatibus vitam redimit, ut tanti non sit vivere. De quibus Poeta è Neotericis haud ineleganter:

Graviora morbis patimur remedia;
Nec vita tanti est, vivere ut possis, mori.

Hîc autem in promptu est istam objectionem diluere, qui fit ut nonnulli hoc morbo, (scilicet in statu ejus modò dicto) malè multati in *Galliam* commigrare cogantur ut ab eo liberentur? Cujus rei hanc esse rationem, quantum judicare possum, existimo; Hujusmodi ægris, œconomia illorum corporum eversâ ac viribus prostratis, apud nos aer crassus ac humidus refarciendis minùs idoneus est, cùm iste *Galliæ*, utpotè qui salubrior ac magis serenus, spiritus corporis & vires deperditas instaurare aptus sit: Non quod Practici ibidem degentes, utut docti quidem, methodum qua hic morbus devinci possit, meliùs calleant, quàm nos hîc in *Angliâ*. Sed ut ad Diætam revertar.

Existimo itaque (& experientia mecum facit) quòd præter jusculum Avenaceum, Panatellam, Lac cerevisiatum, & Cerevisiam tenuem tepefactam,

ctam, *&c.* jusculà insuper è carne Vitulinâ, Pullorum, atque alia ejusmodi in mediocri quantitate ægro & possent concedi, & debeant; atque ut, ubi primùm eousque subsederit gingivarum tumor ut dentes conferere valeat, Cuniculorum, Pullorum, Agnorum carnes, atque ejusmodi teneriores, at parcâ manu, sint indulgendæ; ut vel in lecto se contineat, vel ad ignem sedeat, prout hoc vel illud magis allubescat animo: Cùm enim *Ptyalismo* expugnetur hic morbus, non *Diaphoresi*, hariolando non sum, quorsum æger, nulla urgente necessitate, nimio calore mactetur.

Dicta Methodus uti expeditior est, cùm neque tot dies corpori ante salivationem præparando inutiliter insumendos, nec frequentes istas purgationes, aut decocta solennia post salivationem, ægris imponat; ita certissimus sum eandem longe faciliorem esse, minùs itidem periculosam, & minùs recidivæ obnoxiam: quod experimento suo discet quisquis in altera praxi versatus, ad hanc se demum conferet. Mihi saltem ex animi sententiâ successit in quamplurimis ægris; quorum nonnulli salivationis tædium & laborem plus semel irrito conatu exantlaverant, recidivam semper denuò passi, ex occasionibus, & propter causas quas suprà memoravimus.

Non est autem, Vir Candidissime, cur tuam fidem verborum ambagibus anxiè sollicitem, qui jamdudum de probitate mea persuasissimus exiguari stimationi etiam nostræ favere dignaris. Plura itaque de hoc morbo non addo, cùm mihi neutiquam placeat, nec placebit unquam, longis verborum ambagibus & sermonibus ἀπροσδιονύσοις nucleum involvere, quo rei caput, seu *Nili* fons, ægriùs innotescat. Quantulicunque autem sit hoc opusculum sive pretii, sive molis, id ut boni consulas rogo; cùm illud eo præcipuè fine elaboraverim, ut & in bonum publicum cederet, & quo in te essem animo palàm testarer: quantumlibet autem magni te faciam, major tamen adhuc tibi honos debetur & à me, & ab iis quibus summa illa tua eruditio, morum suavitas, animique candor, cæteræque virtutes laude dignissimæ ita clarè eluceścunt. Haud equidem tibi assentor, quoties profiteor me tuam amicitiam, ex quo me primùm ea condecorabas, inter illa, quæ mihi comparavi, pretiosissima luculentissimaque semper habuisse. Inter alia enim in brevi vitæ curriculo à me observata eximium est istud, [quod etiam filio meo commendatissimum esse volo] hominum sc. probitate cæterisque virtutibus præcellentium consuetudinem semper mihi commodo vertisse atque emolumento; atque ex adverso pravorum amicitiam [nisi ea potiùs, combinatio, sive etiam conjuratio dicenda sit, quæ in virtute non fundatur] quamvis nec dictu, nec vultu quidem me læserint unquam, tamen nescio quo pacto, tandem aliquando aut mihi, aut rebus meis mali, aut damni quippiam afficasse. Vale, Vir Humanissime, & amare perge.

Tui semper Observantissimum

THOM. SYDENHAM.

INnumeri propè Autores scripsere, de Lue venereâ, quam paucis explicat Clariss. noster Autor. Longum nimis foret illorum vel partem aliquam hic recensere, pro pleniori fœdi ejusce morbi, ac ipsius curæ, illustratione. Sufficiat itaque Doctissimi alius Angli perbrevem, sed verè accuratam, eódem in argumentô Dissertationem, cujus hæc est inscriptio.

GUALTERI HARRIS, M. D.

Celeberrimi Medicorum Londinensium Collegii, Socii

DE

LUE VENEREA *Ejusque* Origine, Naturâ & Curatione, DISSERTATIO.

HIC morbus tàm gravis & acerbus est; tàm latè serpit, & perniciem suam undique spargit; tantis cruciatibus miseros plerumque opprimit; & pristina sanitas tàm difficulter restituitur, ut ab annectendo quædam eò spectantia non potuerim prorsùs abstinere. Primordia hujus mali quæ pudendis solis labem inurunt, contemptui & ludicro habeant, si ita placet, ganeones & Belli nostri, & petulantibus facetiis, tanquam nugas & crepundia, ea excipiant; sed quandocunque aut prima illa inquinamenta aut succedentia, in sanguinem denuò transferentur, atque per totum corpus virus distribuetur, pœnas insipientiæ debitas illi abundè persolvent.

De Origine hujus morbi ambigitur, an ab omni ævo, post homines natos, extiterit; an superiori ferè sæculo in *Europam* ex *Indiâ* Occidentali fuerit advecta. Multa sunt testimonia, aut saltem suspiciones non contemnendæ, de antiquitate hujus Luis, quanquam tot ferè Regna non ità pridem contrà ejus Natales probrosos decertarunt, alterum in alterum illud opprobrium rejiciens, quot urbes olim *Homerum* sibi gloriosè vendicarunt. Certè nomen ejus legitimum usque ad nostra hæc sæcula in tenebris latuit. Nec forma & figura hujus Monstri à prioribus Medicis satis clarè & distinctè sunt descripta, neque ante novam suam denominationem nisi confusè admodùm cognita. Hoc autem proculdubiò scimus, plurima olim apud nos Nosocomia

comia leprosis recipiendis fuisse extructa; & multùm fallor, si unica & singularis domus apud nos etiamnùm maneat, Leprosis vulgò recipiendis peculiariter dicata. Porrò Venerei contagii eadem semper causa tyrannidem exercuit, nempè vaga & promiscua scortatio; nullisque sæculis defuerunt meretrices infames, quæ corpore prostituto vilem quæstum facerent: *posita* verò *causa ponitur* etiam *effectus*, quemadmodùm *& sublatâ* semper *tollitur*. Quibuscunque enim in regionibus, quibuscunque demùm locis prostibulæ istæ, ac corruptelæ juventutis vulgares prorsùs exulant; legumque asperitas scortationem omnem coercet, deest etiam unà cum impuris scortis Lues hæc Venerea. Ubicunque verò lupanaria palam permittuntur, remisso magistratu aut dissimulante; vel ubicunque meretriculæ latebras aliquas fædas securè nanciscuntur; eadem Lues cum horridâ malorum turbâ, cumque omni suo miseriarum famulitio, longè latéque dominatur. Atque, ut mihi quidem videtur, in utero impuro meretricum vulgarium, quæ plurimis viris, quantumlibet sanis, sese prostant & comiscent, certò & naturaliter progignitur Lues, perindè atque in nido ex ovis nascuntur volucres. Et quoniam *corruptio optimi* est *omnium* semper pessima, cur non ex seminis prolifici, & in tantos naturæ usus destinati, corruptione pravâ & incongruâ venenata illa Lues possit Φυσικῶς propagari? Et nullus dubito, pauciissimos uspiam esse scortatores, qui, quantumvis pœnas meritas alîquamdiu effugerint, non seriùs aut citiùs in laqueos illos inciderint, qui non turpi & funesto illo veneno fuerint tandem aliquando contaminati.

Sanè Lues hæc pernicioſa est Supremi Judicis tremendum quoddam flagellum, instar ensis illius stricti capitis Damoclis inter epulandum impendentis, omnibus scortatoribus semper interminans, quod sapientes ab impuris amplexibus facilè deterrebit, quodque insipientes severissimis flagris aliquando cædet. Quis enim mulierosus certus esse potest, meretriculam qualemcunque sibi uni, ut videtur stipandia facientem, non aliis pluribus fuisse priùs aut denuò fore pervulgatam, atque ideò obnoxiam venereo inquinamento, utcunque ista mendaciis suis, perjuriisque usitatis, pudorem aliquem comminiscatur?

Neapolitanus hic morbus vulgò nuncupatus est, & ab obsidione *Neapolitanâ* primùm eius contagium originem traduxisse utplurimùm creditur, anno scilicet post *Christum* millesimo, quadringentesimo, nonagesimo tertio; cùm *Neapolim* castris suis circumdaret *Carolus* octavus, Gallorum Rex. Sed cùm rumorum popularium tanta sit incertitudo, ut sapientes vix quicquam pro certo pronuncient, quod non manifestis & sibi notis testimoniis confirmatur; cùm aliorum morborum primus exortus in tenebris æquè permaneat; cùm ita constitutum sit rebus humanis, ut in singulis sæculis quædam continuò pereant, oblivionique tradantur, & alia quædam rursùm emergant & suscitentur; cùm virus Venereum in omnes ferè regiones totius orbis, quantum nobis innotescit, ab oriente ad occidentem, à septentrione ad

meridiem, jam liuspargatur, & usquequaque diffundatur; cùm denique Medici aliquot gravissimi Luem istam infamem ante obsidionem illam Neapolitanam contagio suo virulento *Europam* jamdudùm invasisse constanter affirment, sanè difficile est aliquid certi & indubitati in re ita obscurà stabilire & decernere; quanquam antiquam Luis prosapiam admodùm apertè indicare videatur antiqua, ac permanens causæ existentia, nempè scortatio illicita, vaga, & promiscua, primordiis fortè rerum humanarum, aut saltem effræni hominum libidini, ac corruptelæ meretriciæ coæva.

Sed ut hanc rem paulò altiùs perscrutemur, *Hippocrates*, cujus autoritas apud omnes doctos plurimùm valet, libro tertio de Morbis Epidemicis plurima horrenda symptomata enumerat, quæ ad formam Venereorum quam proximè accedunt: ut, *pustulas magnas, & pustulas corpore universo erumpentes, maximèque caput impetentes, ulcera fœdissima circà pubem & pudenda, inflammationes Erysipelatodes malignas & depascentes, diarrhœas & cibi fastidia, tabes multas*, aut atrophias, *nunc sine febre nunc cum febre contingentes*; *carnium, nervorum, & ossium mutilationes ex decidentiâ magnas*. à carie præcedente, *prolapsus partium absceſſibus corruptarum, & denudationes femoris integri, tibiæ, aut pedis totius, prolapsus brachii, aut cubiti totius*, & *omnium miserrimas carnium jacturas, cùm pubem pudendaque malum affecerit; ichores ulcerum & abcessuum puri absimiles, & pure omni deteriores, capillorum defluvia fluxiones ad pudenda multas, dolores gravissimos cum vigiliis, ulcera oris serpentia, & tubercula tàm interna quàm externa circa inguina*, aut bubones, *tubercula faucium, ulcerationes pudendorum*, & similia, quæ quidem breviter tradit, & more suo conciso. An verò hæc omnia à Peste verâ, an à Pestiferâ hâc Lue oriantur, in utramque partem ut differant par est doctis liberum relinquere.

Quicquid verò de turpibus Luis natalibus sit statuendum, certè dolendum est maximè, Curationem tantæ Ægritudinis, omnes corporis partes, tàm internas quàm externas, à capite ad calcem, polluentis, è manibus Medicorum doctorum & peritorum ità profugisse, atque Chirurgis, nec non tonsoribus imperitis, ignarisque quibuslibet vulgò concedi. Quis enim tàm fatuus & insulsus, quis tàm illiteratus ardelio, qui non Medicaster in hoc morbo circumforaneus facilè evadat, sine instituto, sine sumptu, & sine arte; qui non curationem Luis, aut saltem Gonorrhœæ Infallibilem perfrictâ fronte polliceatur? Quales autem hi sunt Medici? Sartores ut plurimùm & fabri, similesque artifices, popinatores inertes & decoctores, qui in officinis suis fidem priùs labefactaverant. Quam infælix igitur & misera est Infectorum conditio, qui duplices sustinent pœnas, damnanturque tùm atrociſſimi morbi cruciatibus, tùm rudis agyrtæ ignorantiæ periculosæ! Quasi leviſſimi quilibet affectus peritiam Medi-

dicam jure efflagitarent, morbus verò maximè anceps, medulliſque penitùs infixus, cuivis illiterato poſſit tutò demandari!

Ut autem ſummum diſcrimen Lue Infectorum manifeſtiùs appareat, conſiderandum eſt, hunc morbum frequenter eſſe Protei-formem, & poſt primam ejus ſubjugationem, ſæpè novas poſteà induere facies. Illud equidem facilè adducor ut credam, propterea quòd tot tabidos, & atrophiâ confectos, pulmonibus ferè intactis, nec niſi ſecundariò læſis, viderim perire. Et niſi ex acuto aliquo morbo illos contigerit extingui, marcore & atrophiâ vix intellectâ tandem contabeſcere ſemper obſervavi. His lac Aſininum, pectoralia, narcotica, & ſimilia, primam venenatam cauſam nihil reſpicientia, ad ſupremum uſque diem fruſtrà exhibentur. Chirurgi ſalivatione abſolutâ, & mercede laborum acceptâ, integram ſanitatem audacter promittebant; atque denuò ægrotantes, longè diverſis ſymptomatis quàm priùs affecti, neutiquam ſomniant de reliquiis fomitis venenati, aliquamdiu conſopiti, & intùs deliteſcentis, ſed ſub novâ formâ revireſcentis. Interim Medicus quantumlibet peritus, nihil cauſæ Venereæ facilè ſuſpicabitur, atque ægrotus partim ex verecundiâ, partim præteritæ curationis ſecurus, de priſtinis rebus oblivioni jam traditis nullam mentionem facit. Heu quanto igitur diſcrimine verſantur hujuſmodi ægrotantes, cùm nec ipſi de causâ ægritudinis primariâ nè verbum muſſitent, cùmque Medici contrà morbum incognitum, Andabatarum more, cœcutientes militent! Certè Autores nonnulli, magis emunctæ naris, veritatem horum ſuboluerunt, cùm ita prudenter illi conſulerent, quoties aut dolor Iſchiaticus, aut Rheumaticus, aut alius valdè pertinax, remediis propriis & uſitatis nequaquam cederet, ut ad Diætam ſudorificam, è Ligno ſancto, Sarſaparillâ, & conſimilibus, tanquam ad ſacram Anchoram confugeremus.

Ex his Luis reliquiis ſpretis, & aliquamdiu abditis, non ſolummodò pendet valetudinaria, & miſella parentum, æquè ac aliorum ſcortatorum conditio; ſed & hinc morbi aliquot puerorum tralaritii, & fermè immedicabiles, & quos nominare minimè convenit, nè nati inſontes, viri tandem facti, contumeliam, mæſtitiam, atque animi perturbationem aliquam exindè immeritò patiantur. Quamlibet enim majus eſt reverà dedecus à vitiorum ſuorum, quàm natalium, turpitudine & infamiâ, tamen novi viros eximios & fortes, clarâ & illuſtri ſtirpe, ſed illegitimè prognatos, qui præter modum dolore opprimebantur, quoties de natalibus ſuis ſpuriis mentionem aliquam factam ex ſuſurris clancularibus in communi hominum conſortio illi ſuſpicarentur. Atque in eâ re major eſt Turcarum juſtitia & ſapientia, apud quos nemo parentum culpam in filios iniquè transfert, & nulla eſt ignominia natis ex partu illegitimo prodiiſſe.

Porrò ſtatuendum eſt Luem Veneream eſſe morbum venenatum, & maximè deleterium. Et quanquam non ità repentè interficiat, ut ictus

& morsus animalium venenatorum, tamen temporis aliquo spatio, modò longiore, modò breviore, vitam infectis certissimè adimit, nisi remediis propriis & salutaribus sanitati pristinæ tempestivè restituantur. Paucis igitur agamus de veneni hujus, cæterorumque naturâ, & breviusculâ comparatione. Inter alias notas sunt signa venenorum, insignis faciei totiusque corporis pallor, & extremorum perfrigeratio, quæ in Venereis sunt maximè conspicua. In venenis assumptis, natura materiam venenatam omni vi expellere nititur in superficiem corporis & partes externas, undè maculæ variæ, papulæ, & exanthemata oriuntur: Similiter in Luæ Venereâ prodeunt maculæ, interdum parvæ, lentiginum instar, interdùm latiores; eæque modò rubræ, modò flavescentes; & primùm circà frontem ac tempora, deindè caput reliquum, tandemque per totum corpus diffusæ; nec solummodò maculæ, sed & pustulæ & tubercula in cute erumpunt. Venenis per os assumptis, calidis dico & erodentibus, magnum exoritur incendium in faucibus, & ventriculo, atque intestina doloribus aut torminibus exquisitis cruciantur: Lue infecti faucium inflammatione, & paulatim exulceratione, semper corripiuntur; ventriculus illorum sensim prosternitur; & quanquam artus dolorum sæviriam & atrocitatem utplurimùm ferunt, tamen plus semel novi, aut intestina, aut hypochondria eisdem diris cruciatibus affecta, iisque tempore vespertino recrudescentibus, quos artus utplurimùm & magis regulariter sustinent. Denique Venena propria sua & peculiaria medicamenta, sive Antidota, ut ritè expellantur, requirunt: Lues, nisi propriis & quasi specificis Antidotis pernicies ejus virulenta depellatur, vulgaria omnia pharmaca, & methodos omnes quantumlibet doctas, solet aspernari.

Sed natura hujus Veneni est alia atque alia, tum secundùm regiones magis ad Septentrionem aut Meridiem positas, tùm secundùm Temperamentorum varietates. Etenim in Hispaniâ & Lusitaniâ, de hoc morbo [sæpe tàm mitis iste est illic] vulgò colloquuntur, quemadmodùm nostri solent de Liene & Scorbuto. Siquidem illorum Medici ad febricitantes matronas nobilissimas ac virtute præditas accersiti, solenniter quærunt, an Lue Venereâ laborent, sicut nostri de Catameniis, quanquam & verecundè interrogant. Et in illis regionibus, ubi Veneni aliqua portio indesinenter perspirat, Infecti multi sese totam vitam hoc morbo comite satis placidè traducere nonnunquam posse, sæpè confitentur. Apud nos verò longè aliter se res habet, & hæc Lues ferocem & immanem tyrannidem exercet. Nullus hic symptomatum & cruciatuum finis, nisi aspera aliqua, aut diuturna mitior, medicatio interponatur, donec aut dolores contorquendo, aut ulcera depascendo, aut ichor venenatus ossa corrumpendo, miseriis finem imponant, & lacerum putridumque cadaver tandem abjiciatur, pabulum sanè ingratum, & vix vermibus acceptum.

Quinetiam juxtà Temperamentorum diversitatem Venenum hoc dissimiles

miles vires apud nos obtinet. Temperies Melancholica, & Bilioſa ejus exterminationem ægriùs ſuſtinent, quàm Sanguinea, & Phlegmatica. Multò faciliùs reſtituuntur juvenes quàm ætate provecti. Idemque eſt dicendum, de Scabie, Herpete, & nonnullis aliis morbis varia temperamenta affligentibus. Et ſicut Temperamentorum differentia efficit, ut Cathartica longè diſpares effectus obtineant; hoc corpore mitiſſimis medicamentis facilè purgato, illo fortiſſimis ægrè cedenti; utque idem dejectorium medicamentum eodem pondere diverſis hominibus exhibitum, in uno celerem ac violentam, in alio tardam ac mitem, & in alio nullam omninò operationem concitaverit: ità & de Venenis dicendum eſt, quòd illa citiùs aut ſeriùs interimere ſoleant, non modò ex propriâ & innatâ vi perniciosâ, ſed ſecundùm fortiorem aut debiliorem repugnantiam naturæ ejus, qui venenum accepit. Nam opinio iſta vulgaris ficta eſt & falſa, quæ *Indos*, ab iiſque *Italos*, ita artem veneficam ſtatuit calluiſſe; ut in ſtatum diem, aut tempus prædeterminatum, ſive fuerit ſeptimana, ſive menſis, ſive annus, Venenatos omnes certò conficere poſſint. Natura enim unius quàm alterius, quemadmodùm dictum eſt de catharticis, veneno magis ſe opponit, & lethale virus reprimit, aut fruſtratur.

Sunt qui Luem arbitrantur, fractis & attritis ſenio viribus tyrannidem ſuam fermè omnem jam depoſuiſſe, & ad interitum ſuum cum ſenectâ demùm vergere. Eademque apud plures doctos ſententia jamdiu obtinuit, quandoquidem blanditiis verborum tàm literati quàm aulici ſpe vana ductis nonnunquam ſe accommodant, & gratiam lenociniis ſolent ſibi conciliare. Qui verò ſic ſentiunt, noſocomia hodierna pauliſper adeant, aut Chirurgos probos ac exercitatos conſulant; videant ulcera multiplicia, cancroſa, & depaſcentia, tophos & gummata, oſſium caries, & carnium putrilagines; videant tabes, lipothymias, cachexias, denique totam Pandoræ pyxidem ibidem apertam; exaudiant etiam horrendas miſerorum execrationes, gemitus acerbos, & ululatus permoleſtos; tandemque dicant, an Venus egregiâ illâ manſuetudine mancipia ſua hodierna excipiat; dijudicentque patiter, utrùm Mars an Venus plures ex numero viventium tollat; uter denique iſtorum amaſiorum exitium pejus & frequentius cultoribus ſuis inferat.

Quod ad Therapeiam attinet Luis, alii Salivatione curationem moliuntur; alii ſinè Hydrargyro, & neſcio quibus ineptis Arcanis eandem audacter pollicentur; alii denique emèticis, & catharticis Mercurialibus, & Diærâ Sudorificâ intercalatâ, ſimilibuſque, venenum illud penitùs ſubigere annituntur.

Medici fermè omnes, totumque Chirurgorum ſodalitium, uno conſenſu, Salivatione tanquam breviſſimâ, & maximè efficaci methodo, Luis curationem aggrediuntur. Nec denegandum eſt cuiquam in Arte Medicâ mediocriter verſato, Salivationem eſſe omnium Methodarum quas hactenus excogitavit peritia Medica, maximè expeditam, atque efficacem, ad

ad virus illud Venereum valdè obtundendum, & malignitatem ejus perniciosam abundè frangendam, si minùs ea valeat non rarò ad venenum istud penitùs delendum. Certè in his regionibus Borealibus, frigoris prædominio obnoxiis, ubi labes Venerea tantâ immanitate sævit, Salivatio præ aliis adhuc notis inducias maximè veloces, perniciei dilationem, & symptomatum omnium vehementium cessationem obtinet celerrimam; nec non in quibusdam infectis, & potissimùm in junioribus, curationem perfectam aliquando complet. Sed si consideretur horrenda illa, terribilis, & nonnunquam intolerabilis medicatio, tantis cruciatibus & periculis extremis stipata, saltem exoptanda est, & omnium votis exposcenda, alia aliqua jucundior methodus, tutior illâ minusque molesta.

Potentissimum, & efficacissimum Salivandi genus est id, quod per inunctionem Mercurialem excitatur, & quod solum, tanquam *clonum nodo cuneum* Sidenhamius noster præclariffimus laudat. Sed refert scire, attentèque contemplari, in quot vitæ discrimina Salivatio ista conjicit infectos; quot ex eâ solent vulgò interire; quàm horrendas capitis, fauciumque efficit intumescentias, suffocationem repentinam frequenter minitantes, & vix fræno manûs peritissimæ rectè gubernandas. Nôrunt quidem aliptæ quàm periculosas diarrhæas, dysenterias, lipothymias, in temperamentis maximè Mercurio repugnantibus, ista crebrò producit; sed aliam vix exercebunt artem, vix quærent aliptæ, nisi quam in tyrocinio à Magistris suis didicerunt. Tanta verò est in hoc Salivationis genere humorum fusio, tanta succorum omnium corporis sæpè exantlatio, ut nil mirum sit, si spiritus vitales unà dissipentur; & maximè si in hâc terrâ, aliter fælicissimâ, ubi Melancholia tantum obtinet imperium, complures ex tàm rapidâ fluidorum profusione succumbant ac pereant. Quàm fugax scilicet voluptas acerbissimas sustinet sæpenumerò pœnas! Quantâ curâ & industriâ Sirenum illarum veneficarum blanditiæ sunt ab omnibus fugiendæ, quicunque aut sanum corporis temperamentum conservare volunt, aut vitam longævam jucundâ lenique senectute finiendam cupiunt.

Porrò si facultates Hydrargyri tantâ copiâ in corpus intromissi, ac sanguinis motu circulari omnes corporis partes pervadentis, velut in Salivatione vulgari contingit; si illius vires naturæ humanæ tàm noxias, ac inimicas; si virus ejusdem nervis & cerebro peculiariter adversum, attestante id paralysi, & tremoribus frequentibus; si onus & tormina, quæ ventriculo & intestinis vulgò infert; si pallidissimum plumbeumque colorem, quem vultui impertit; si denique quòd à veteribus omnibus medicis Hydrargyrum in catalogo Venenorum annumeretur, diligenter perpendamus: sanè Medico probo incumbit, quando duobus Venenis tàm Morbi quam remedii unà convenientibus sit necessariò occurrendum, de Antidoto aliquâ propriâ, salutari, & excellenti, sollicitum esse. Et si tela ad hunc morbum

ritè

ritè expugnandum magis apta & idonea unquam reperiantur, è Medicorum pharetrâ magis magisque denuò instructâ, potiùs quàm ex aliorum quorumcunque sive armamentario, sive officinâ, nî plurimùm fallor, certò extrahentur.

Et quicquid delirum vulgus, aliique nonnunquam saniore judicio præditi, contrà sentiant, sanè nescio, an quisquam omnium morborum qui miseros mortales solent excruciare, judicium acerrimum, Medici periti & exercitati, potiùs quàm agyrtæ aut indocti alicujus artificis, requirat ac mereatur, quàm Lues ista immanis & venenata.

Quanquam verò Salivatio omnibus aliis Methodis ubique palmam præripuit, tamen notatu dignum est, quod *Julius Palmarius*, Medicus Parisiensis clarissimus, & eruditissimus copiosiùs disseruit, qui Magni illius *Fernelii* fuit discipulus, & qui librum de Morbis Contagiosis tùm doctè tùm eleganter scripsit. Ille Salivatione, quantumlibet tunc populari, quantumlibet nunc vulgò usitatâ, *vix contesimum quemque* Lue correptum, perfectè sanari tradit; sed recidivo illos morbo, ex scintillis aliquamdiu consopitis recrudescente, nonnunquam citiùs, nonnunquam post plures annos affici, & langueſcere. Atque *alii*, inquit, *decies*, *alii duodecies* suo tempore *Salivationem frustrà sunt experti*, tantâ interim cum doloris acerbitate, malorumque miserrimorum acervo, ut forti viro multò satius sit semel mori, quàm vitam morte pejorem sic proferre.

Ego itaque hæc animo diu multùmque evolvens, nunquam complecti potui, quamobrem *Fernelii*, *Palmarii*, aliorumque medicorum doctissimorum methodi tutiores ac jucundiores tàm paucos sectatores consequutæ sint, & praxi hodiernâ ita proscribantur, nisi ob has potissimùm rationes:

1. Medici illi præclarissimi odio adversus Hydrargyrum nimis acri flagrabant, propter noxas illas gravissimas quas sæpiùs infert corpori. Et *Fernelius*, primus omnium Medicorum, curationem Luis sine quocunque Mercurialium usu interno, & fortè nimis temerè suscipiebat, & palam pollicebatur; Amuletis suis selectis ac salubertimis, Diætæ Sudorificæ, victui tenui & frugi, & catharsi intercalatæ solummodò confisus. Et certè propter ausum ac tentamen tantum, tamque salubre generi humano, si fortè minùs fælix fuisset successus, omni laude dignissimus est egregius ille Medicus, quanquam in pestifero hoc morbo usus illius medicamenti periculosi, quod à Plinio vocatur *Venenum omnium rerum*, summè necessarius nobis hactenùs videtur. Nam *malum ovum malo corvo* apprimè convenit. *Palmarius* autem Hydrargyrosi vulgari infensus fuit, tùm ob perniciem ejus, tùm propter extremos cruciatus, doloresque asperrimos quos inuncti sustinere necessariò damnantur; tùm denique, quia proposita sua curatio per Guaiacum & Amuletum, aut per Alexipharmaca sua Hydrargyro conjuncta, tutior fuit, & longè salubrior inunctione vulgari, spurantium vires exhaurienti. Quocircà aliàs Luem extirpandi methodos, tutiores, ac magis salutares, necnon

jucundiores, licet nonnunquam paulò cunctabundas, fusè proponebat.

2. Chirurgi uno ore Salivationi præ aliis curandi modis favere videntur, aut quia præmiis donantur majoribus, isto modo valetudini prospicientes, summâ cum assiduitate, infectumque sub imperio quodam despotico vitæ ac mortis clanculum in conclavi, remotis aliis plerumque arbitris præterquam nutrice, tamdiu tenentes; aut quia durante tyrocinio nullam aliam æquè certam Lui medendi artem illi hactenùs didicerunt; aut quia aliam discere vix unquam volunt.

3. Quoniam Chirurgi technis suis hanc Medicinæ partem, quantum in illis fuit, tanquam sibi jure propriam ubique arripuerunt; & Medici, sive ob molestias tàm fædæ curationis, sive aliis negotiis impediti, illam provinciam quasi derelictam nimis neglexerunt, ac vilipendêrunt.

4. Quia curationes temporaneæ & Palliativæ in hoc morbo, ut in aliis nonnullis, magis placent, ægrisque gratificantur, quàm Eradicativæ, quæ magis operosæ sunt, & exercitatione non parvâ egent. Quam ob rationem induciæ multorum dolorum gravissimorum Narcoticis derepentè comparatæ, & ægrotantibus sæpè magis placent, & medicis nonnunquam præferuntur, quàm quæcunque alia, permanentibus interim aliquamdiu doloribus, salutaris medicatio. His adde, Salivationem symptomata omnia Venerea ita utplurimùm tollere, ut nulla recidivæ suspicio impræsentiarum restet, aut præmii procrastinandi ratio convalescentibus ampliùs appareat.

Quod ad Impostores illos imperitos, turpissimos lucriones, ac nebulones vulgares attinet, qui sine Mercurio, sine regimine, sine quâcunque molestiâ, & nescio quibus *Arcanis* insulsis, curationem brevissimam, nec non infallibilem, omnibus Lue infectis cum insigni impudentiâ publicè pollicentur, argumento sunt Bacillino quàm Medico digniores, & fascibus Magistratuum aut collistrigio, prout veteratores perfidi, sunt potiùs castigandi, quàm disceptationibus, aut ullis rationum momentis accipiendi.

Denique tertium Lui Venereæ medendi genus, quod posthabitâ Salivatione solenni per inunctionem institutâ, & spretis deceptorum insciorum fallaciis, cathartico rum aut emeticorum Mercurialium vi & efficacia, cum Diætâ è Lignis & Radicibus exiccantibus, ac regimine debito, conjunctorum nititur, fusiorem orationis copiam planè requirit. Sed nè tot impostores & agyrtæ dolis & insidiis suis hinc ansam aliquam avidè arripiant, vela dicendorum contraham, & pauca haud prorsus inutilia jam dictis adjiciam.

Et 1. Notandum est, Ligna exiccantia, Gummi, corticem, & lignum Guaiaci, lignum Sassafras, atque Radices Sarsaparillæ & Chinæ, tantum ferè emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ suppetias salutares præbere, quantum damni & nocumenti Hydrargyrum corpori infligit. Sunt hæc salubria quædam hujus morbi venenati, licet imperfecta, pariter atque Mercurii ipsius Alexipharmaca, quandoquidem & citrà Mercurii auxilium ope-

ra &

ra & oleum noſtrum ſine fructu perdi ſolent. Et quanquam illa ex ſe nunquam apud nos ſcopum attingunt, Hydrargiro prætermiſſo, venenumque Venereum nequeunt penitùs delere & extinguere, tamen robur nativum erigunt & fovent, palloremque huic morbo congenitum, in vividum ac ſanum colorem certocertiùs immutant.

2. Notandum eſt Cathartica deleteria dicta huic morbo expugnando, qui vires corporis validiſſimas ipſe infringit, & robur ſummum facilè comminuit, quandoque minùs convenire, quàm mitiora & blandiora medicamenta. Et quoties fortior & validior requiritur catharſis, illa longè tutiùs obtinenda eſt, in debilibus ſcilicet naturis, ſennâ, rhabarbaro, agarico, jalappâ, epithymo, polypodio, mannâ, hermodactylis, aut eorum quibuſdam, additis etiam ceu ſtimulis, ſale mirabili, cathartico amaro, polychreſto, prunellæ, aut cryſtallis tartari; his, inquam, ſæpè ſecuriùs & commodiùs alvus movetur; neque plura eorum identidem repetita ita corpori imbellium nocent, quemadmodùm ſcammonium, colocynthis, & helleborus, quæ aut ventriculum conturbant, aut inteſtina corradunt, gravibuſque torſionibus excruciant, aut viſceribus omnibus, partibuſque principibus, malignâ ſuâ qualitate ſunt infenſa.

3. Quanquam Mercurialia, & Hydrargyroſis, in omnibus temperamentis Lue inquinatis indiſcriminatim vulgò uſurpentur, tamen notandum eſt, corpora craſſa, obeſa, phlegmatica, & frigida, ab illis maximè omnium lædi, & conſtat injurias inſignes quas Hydrargyroſis talibus facit, vix unquam poſteà deleri, adeò ut non minus diſcriminis à medicamento quàm ab ipſo morbo illis contigerit. Atqui Sanguinea, Bilioſa, & præfervido calore redundantia corpora, incommodo minore Hydrargyri uſum paulò copioſiorem ſuſtinent, quàm aut priùs nuncupata, aut Melancholica Temperamenta. Etenim calida & ſicca viſcerum intemperies, contrariis quibus pollet facultatibus Hydrargyrum, corrigitur, emendatur, & nonnunquam inſigniter juvatur, atque bilis ferocientis acrimonia plurimùm demulcetur.

4. Quotieſcunque Lue jam pridem infecti, qui Ptyaliſmum priùs ſubierunt, aut qui aliis modis ad tempus tantummodò ſunt reſtituti, morbo recidivo è latibulis erumpente, aut novam formam ſortito, turbas novas commovente; quoties, inquam, illi in atrophiam, neque à Pulmonibus tabidis, neque à Lumbricis pendentem, inciderint, quanquam Diarrhæâ admodùm violentâ exhauriantur, à Narcoticis quibuſcunque abhorrendum eſt Medico, & reſtringentibus interdicendum. Nam Malignitate veneni Venerei intùs deliteſcentis ſic imminutâ, & per ſentinam corporis depoſitâ, propria Antivenerea optato eventu non diu fruſtrabuntur, & corpuſculum ſtrigoſum deleteriâ Lue pænè confectum, præter expectationem rurſùm pingueſcet.

5. Cùm virus Venereum ſit benè retuſum ac fractum, omniſque ſymptomatum ferocia refrænata; at fomes venenatus haud penitùs extinctus

sub-cineribus delitescat, novos posteà tumultus suscitaturus: quemadmodùm & in aliis nonnunquam casibus, ubi symptomata anomala, doloresque vagi infirmos detinent, Medicamenta nervina, arthritica, amara, & antiscorbutica *salubria*, aliquamdiu usurpata, catharthicis blandis identidem intercalatis, reliquias Veneni istius infracti tutò profligabunt, integramque tandem sanitatem præ aliis restituere valebunt. Siquidem talia corruptelæ humorum deleteriæ contraria, sanitati tuendæ, amissæque recuperandæ, vitæ producendæ, staminibusque vitalibus tenuioribus confirmandis apprimè conducunt.

6. Infantes à nutricibus lactantibus infecti, quanquam maculis, pustulis, ulceribusque scatent, quanquam & nocturnis illis doloribus erunt excruciati, facillimè omnium restituuntur. Farina sarsaparillæ ferè insipida, saltem nullo gustu ingrato, aut fastidioso prædita, panatellis aut pulticulis suis, ut par est, *commista*, addito etiam, ventriculi gratiâ, Santali citrini polline, nullâ pariter nauseâ donati, catharticisque debitis intercalatis, tenerrimæ ætati, ut lætè nonnunquam observavi, salutem perfectam reddidit. Quòd verò infantuli à contaminatâ nutrice infecti, tanquam à Peste quâdam, sint ante incœptam curationem quamprimùm amovendi, non opus est ut admoneamus.

Denique 7. infectis, cùm curatio modis mitioribus magisque benignis ac salutaribus quàm Salivatione illâ acerbâ & excrucianti instituatur, non est iis persistendum ad certum quendam ac determinatum dierum numerum, sed nunc breviùs, nunc diutiùs, pro ratione veneni, naturæque reluctantis, remediis immorandum, quousque sub regimine debito venenum penitùs subigatur, & symptomata omnia prorsùs evanescant.

Antequam finiam, nequeo tacitè prætermittere errorem popularem insulsum, at valdè pernicioſum, qui longè latèque inauspicatò increbuit. Nimirùm didicit, aut fortè audivit ignarum vulgus, si quispiam infectus cum sanâ muliere mutuis amplexibus se commiscuerit, à labe omni Veneteâ se confestim fore tutos & immunes. Quot innocuæ virgines inter alias ex hoc stupido errore perierunt! Sed cùm sanguinem pervaserit virus pestilens, & viscera afflatu illo impuro imbuantur, credat etiam plebecula insipiens pari ratione, se clavam *Herculi*, quod aiunt, & fulmen *Jovi*, extorquere posse, & se montes excelsos, virtute cujusdam incantamenti, posse radicitùs avellere, & aliovorsùm transferre.

Ut verò finem faciam, nonnullis videri possam nimis acriter perstrinxisse morbum Venere clementi prognatum, Deâ scilicet illâ amabili, cui tàm principes summi, quàm vulgus infimum, vota sua nimis frequenter faciunt, & cujus illecebræ pectora ferè omnium æstu quodam impotenti facilè percellunt. Acrius, inquam, hujus morbi sævitiam perstrinxisse videar, quàm plurimi medicastri, qui eundem in postremis habere solent, ac pro nihilo, ut aiunt, ducunt; ut scilicet artis cujusdam exquisitæ, quam alicubi dicerunt, ostentationem glorioſè faciant,

ciant; atqui ut reverà crumenas incautorum aliquando emungant, ut familiares suos opprimant, omniaque ad quæstum commodumque proprium iniquè referant. Atverò longè præstat medico probo, liberalibusque disciplinis instituto, verum dicere, quàm quæstu quovis duci, communique utilitati quàm suæ consulere. Modici rerum status, modò res sint benè partæ, nemini pœniteat. Nam pauca nonnunquam desiderium explent, permulta animum ratissimè satiunt. Paucitas rerum commodè benéque vivendo necessariarum facilè suppletur, virisque bonis ratiùs deest. Sed in Superfluis accumulandis nullus vulgò finis gravissimarum sollicitudinum, nullum molestiarum maximarum tædium rapinarum terminus; quasi dira illa execratio, aut fascinatio, avaros injustosque semper comitaretur, ut in opulentiâ inopes, in abundantiâ egeni vitam prorsùs inquietam traducere damnarentur. Præcipiti cursu breviuscula labitur vita. Nec magna pompa impedimentorum necessaria est, ut amæna sit profectio, neque requiritur tanta viatici copia, ut breve iter conficiatur. Præclarè illis actum puto, quibus in benè agendo deponitur vita. Nec sapientibus *lugendam esse* corporis *mortem*, *quam* animæ *immortalitas consequitur*. Etenim *tum demùm nos verè victuros* constat, *cùm è vitâ hâc excesserimus*. Quid eò olim eximiè dixerit Philosophus, [pectore spe tumido, consolationis pleno, animoque futuris gaudiis admodùm aspirante] in senectam vergens, & *Senectutem* ornatissimè laudans? *Si in hoc*, inquit, *erro, quòd animas hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.*

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AD

GUILIELMUM COLE, M. D.

DE

Obſervationibus nuperis circa curationem VARIOLARUM Confluentium;

Nec-non

DE AFFECTIONE HYSTERICA.

Humaniſſimo Viro.

THOMÆ SYDENHAM, M. D.

Miraberis fortaſſe, *Clariſſime Vir*, *quiſnam importunus interpellator graviora tua interturbet negotia: ſed veniam, confido, dabis, poſtquam intellexeris, eâ potiſſimùm de cauſâ hanc tibi moleſtiam creari, ut grati animi ſenſa exprimat venerabundus Tui cultor. Quippe tantos ex elaboratiſſimis tuis circa Morbos acutos commentarus, agnoſco me accepiſſe fructus, ut ad grates authori perſolvendas me prorſus obligatum teneam. Tam accuratè ſingulas annorum, aeriſque quas tractandas ſuſcepiſti, Conſtitutiones, cœpto antehàc inaudito, obſervaſti; tam genuinas, facilêque obvias, pro ſingulis, qui in illis occurrebant, affectibus ſanandis, indicationes excogitaſti; tantoque ingenii nitore totum opus exornaſti, ut meritò tantam ſagacitatem, tam indefeſſo labori junctam, ſuſpiciamus: unde & ægrotos, & medicos tibi æternùm devincis.*

Quanquam verò cuncta, quæ pertractas, accuratè adeò abſolviſti, ut pronum ſit de ſingulis in laudes tuas erumpere; præ cæteris tamen haud

haud mihi temperare possum, quin impensè tibi gratuler methodum tuam circa Variolarum curationem; cujus ope, quin feralis ille hactenus affectus terrificam suam exuat larvam, interque facillimè curabiles (nisi malignitas, vel quiddam valde insolitum accesserit) se sistat, nullus ambigerem, si per nutriculas (turbam raro non inimicissimam hominum saluti) liceret, quæ calido suo regimine, & medicamentis omnia usque adeò pessum dant, totque ubivis in sepulchrum ante tempus præcipitant, ut meritò Tu, Doctissime Vir, humani generis Vindex audire merearis, qui ægrotis, miserè, cumque extremo vitæ discrimine palantibus, te ducem fidissimum præbes, ut in salutis viam, si ductum tuum sequi volent, redeant. Vt de me loquar, quanquam meis fidere ratiociniis aliquatenus reformidarim, diu tamen credidi, Variolarum eruptionem, sicut non ipsum esse morbum, sed febris crisim, sic par reliquis crisibus desiderare regimen, in quibus, omnium Medicorum effatis sancitur, totum negotium naturæ committendum, si cuncta rectè procedant; id quod plerumque in isto affectu cernitur, nisi plus justo priùs exagitatus fuerit sanguis. Post quam verò, per lecto aureo tuo libro, senseram tandem panicos esse, qui me aliosque tam diu detinuerunt, timores, aususque fueram juxta tui præcepta (reclamantibus licèt quandoque non solum vulgò; sed etiam Medicis) ægros regere, tantum inde emolumenti iis, ubi in obtemperantes incidi, obvenisse comperi, ut, quicquid alii senserint, me felicissimum reputem, cujus in manus tantus devenit thesaurus. Porrò & ubi ad Variolis confluentibus laborantes (quòd tamen haud admodum sæpè contigit) accitus fuerim, non dubitavi, quanquam animam jam agere viderentur, ad paregorica, tuâ fretus authoritate, confugere, idque successu haud pœnitendo, imò verò stupendo. Tam multum equidem hâc in parte præstitisse mihi videris, ut nil supereresse, quod vel aliorum, vel etiam Tui industriam exerceat, facilè crederem, nisi nuperrimè à doctissimo Viro, amicoque meo integerrimo, D. Kendrickio (qui humanitatem tuam plurimùm celebrat) audivissem, te innuisse novas quasdam (quas & ad praxin ritè exercendam perutiles fore non possum non augurari, utpote à te factas) circa idem subjectum tibi occurrisse Observationes, quas nisi publico impertias, & in Tui famam, & in humanum genus injurius eris. Proinde (si quid apud te ignoti valeant preces) haud graveris, obsecro,

cio, Celeberrime Vir, eas in lucem emittere.

Sed nec hîc subsistam: Nempe ab eodem accepi, rariora quædam tibi observata fuisse circa Affectus, Hystericos dictos; qui sanè sicut doctissimorum Medicorum, ab omni memoriâ, exercuerunt, imò lassarunt ingenia, sic (proh numis sæpe:) & medicandi traditas methodos eludunt; documentaque dant, quàm parùm tutum sit, in Philosophicis, nostræ rationi nimium fidere, nisi iis in rebus, quarum certitudinem à sensuum testimonio petere valemus. Plurimum, Dignissime Vir, ulteriùs & à præsenti sæculo, & à posteris, haud dubiè mereberis, si & quæ circa hanc materiam meditatus es, propalare dignatus fueris. Hoc saltem à te mihi impetrare liceat, ut æqui bonique consulas, quòd, non mei solùm, sed publici etiam causâ, ignotus tibi licèt, petere non erubuerim; utque me inter innumeros eos habeas, qui tibi se quam maximè devotos profitentur,

Devotissimum

Vigorniæ,
Novemb. 17. 1681.

GVILIELMVM COLE.

Spectatissimo Doctissimoque Viro

GUILIELMO COLE, M. D.

SI usque adeò Philautiæ indulgerem, Ornatissime Vir, ut eas quæ ad me nihil attinent laudes mihi arriperem, ægrè admodum me ab aliquali animi elatione continere valeam, laudatus tantopere à laudato viro, qui eruditissimis suis lucubrationibus orbi literario, mihi verò nec de facie, quod sciam, innotescit. At verò quòd me tanto, licet immerentem, honore dignatus fueris, id demum humanitati tuæ acceptum refero; cùm maximos quosque & præstantissimos viros ita natura comparaverit, ut non tantùm leviter errantibus, ut fit, æquiores sint, sed etiam in mediocrium studiis deprædicandis, datâ vel quâlibet ansâ, ingenuo suo candori morem lubentes gerant. Cujus quòd & in ipso me, & meis istis conatibus, ut ut tenuibus, publico tamen commodo destinatis, præclarum ediderit specimen, gratus agnosco.

Ea

Ea quod spectat, quæ à me præstolaris, sive jam editis de *Variolis* observationibus addenda, sive etiam de *Passione Hysterica* de novo tradenda, ita habe. Horum primum idcirco aggressus sum, ut quæ olim deficere viderentur, ex iis quæ experientia jam annosior mihi suggesserat, posslim sarcire. Alterum verò ideo in me recipiendum duxi, tum quoniam *Affectus Hystericos* omnium, post Febres, morborum frequentissimos occurrere, tum quia emolumenti aliquid è levidensibus meis observationibus capi posse existimarem. Neque tamen diffiteor aliam quandam, præter hanc publicum juvandi spem, mihi causam subfuisse, ut otium scilicet benè locarem, & tædium brumalium noctium honestiùs fallerem; cùm jam ingravescente ætate non amplius Congerrones foras quærtam. At quicquid id fuerit, quòd me primùm instigaverit, me non ita atque speraveram incœptis ac votis meis parem esse sentio, cùm continua illa cogitationum series, quâ mens obstinatius defigenda est, mihi jam à multis annis παρεγχωροῦντι nunquam non officiat, maximè verò, jam appetente Senectâ. Cum itaque tàm opportunæ appulerint humanissimæ tuæ literæ, brevi Responsionis limite expediam eorum summam, quæ prius fusius deducenda meditabar.

Sumpto itaque à *Variolis* exordio, illud prælibandum censeo, quòd scilicet ea Febrium Intermittentium species, quæ primùm Anno 1677, uti alibi diximus; caput extulit, atque etiamnum regnat, Anno videlicet, quo hæc conscribo, 1681; hæ Febres, inquam, pro more Epidemicorum omnium, iis maximè tempestatibus grassabantur, quæ cum earum indole magis faciebant, per annos istos omnes, quibus vigebant; alienâ autem tempestate appetente, iis protinus Epidemicis cedebant, quibus illa magis favebat. Exempli gratiâ, ingruente hyeme, nunquam non *Tussi*, & *Febribus Peripneumonicis* ab illa pendentibus locum dabant, ut & *Variolis*. Redeunte autem Vere dicta Febris postliminiò reversa est. Ita Anno 1680, postquam Febris hæc per Autumnum omnia fuerat depopulata, *Variolæ* brumali tempore eam excipiebant, ubique locorum grassantes. Anno autem vertente, 1681 sc. Febres intermittentes denuò recrudescebant, haud usquequaque Epidemicæ, fractis jam & succisis earum viribus; unde etiam Variolæ, hîc illic sparsæ, unâ cum illis subpullulabant. Æstate verò jam ingressâ Variolæ increbrescere quotidiè, tandemque ἐπιδημικώτατας factæ stragem haud vulgarem edebant.

Hoc anno, sc. 1681. luce meridianâ, quod ajunt, clarius mihi constabat, quod jam olim ratio suadere videbatur, ægrum scil. lectulo noctes atque dies continuos non prius addicendum esse, quàm Variolarum examen omne in conspectum se dederit: Etenim tum Veris, tum etiam Æstatis temperie sicciore diutiùs, quàm post eorum, qui nunc sunt homines, memoriam invalescente (adeò ut omnis fermè ubique locorum herba exaruerit) sanguinem ferè omnis illa humiditas, quam aer aliàs solebat suppeditare, destituebat; ex quo Variolas jam grassantes major quàm pro morbi indole

inflammatio accendebat, cæteraque exinde nata symptomata præter modum sæviebant. Atque hanc ob causam, si quid ego judico, *Maculæ Purpureæ* plenam Exanthematum eruptionem haud rarò præveniebant, & quæ eas extrudebat vehementior inflammatio, debitam sanguinis crasin interturbans atque disperdens, etiam ante justam materiæ morbificæ expulsionem, præmaturam mortem accersebat. Id verò maximè fatorum sevitiam promovebat, quòd jam exanthemata ob supra dictam causam ita facillimè confluerent, vel ipsa aeris intemperie id mali sponte suâ procurante, quod aliàs ferè solent Scioli & Medicastri, regimine & Cardiacis calidioribus in ipso morbi limine inauspicatò imperatis atque admotis. Etenim (quod diligenter animadvertendum est) post omnium vel exquisitissimas observationes, rei cardo in hoc vertitur, ut in Variolosis salutis spes omnis in *Exanthematum paucitate* reponatur; discrimen in eorundem *multitudine*: & prout plura sunt hæc, vel pauciora, aut moritur, aut vivit æger. Interea fatendum est, & *sanguinis mictum*, & *maculas purpureas*, quæ ita certe mortem prænunciant, quandoque accidere, vix ullo adhuc comparente Variolarum indicio, vel etiam paucissimis pustulis erumpentibus; hæc verò ut Variolas denso agmine confluentes ut plurimum comitantur, ita aliquando tàm præproperè invadunt, ut ægrum ante plenam eruptionem è medio tollant, sicut jam prænonuimus.

In proclivi est autem, ut mihi videtur, rationem reddere, quare æger plus minusve periclitetur pro majore minoreve exanthematum numero; cùm enim quælibet Pustula *Phlegmone* primò sit, licet sub exigua mole, mox in *Apostema* evadat, fieri non potest, quin *Febris secundaria* a *Pure* jam in fieri pendens, magis minusve exacerbetur, pro puris excoquendi quantitate jam in morbi statu; quod in mitissimo confluentium genere, die à primo morbi insultu *undecimo*, in mediocri *decimo quarto*, in crudissima verò & ægriùs domabili specie, *decimo septimo* fieri consuevit. Quemadmodum enim (quod est notandum) *Confluentium Variolarum* genus, *Distinctum* quod dicitur, ratione periculi imminentis, in tantum superat, quantum ab ipsa *Peste* superatur, ita etiam supra dictæ tres Confluentium species aliæ aliis præsentiùs discrimen adferunt. Quòd insuper tàm in ætate quàm sexu locum habet; cum nemini non sit notissimum, Adolescentem in ipso iuventutis flore multò magis periclitari ab hoc morbo, quàm vel fœminam vel impubem. Sed hæc obiter.

Neque sanè mirabitur tam ingens discrimen à majori pustularum numero pendere, qui secum reputaverit, quòd si cujuslibet sive humeros, sive brachia, sive aliam quamlibet partem *Phlegmone* (vulgò *a Boyle* fortè invaserit, idem tempore maturationis, quâ jam Pus fit, febricitavit; cum scili. sanguis à purulentis particulis, per venas ex lege circulationis in ejus massam resorptis, incitatus, Febriculæ fomitem subministret. Quanto magis Medicus ubi primis morbi diebus ægrum invisens, faciem ad instar pulveris è limatura acicularum undique respersam contemplabitur, mortem

præ-

prædicet uno aliquò è diebus jam memoratis involutarum ; idque præ indomita vi Febris succedaneæ, quam, pro ratione quantitatis puris ex innumeris istis apostematis in sanguinem rejecti, desævire necesse est. Quæ quidem hominis funesta ruina aliquot diebus antequam ingruat, facilè prævideri potest, utut bellè se habere æger, & sibi videatur, & astantibus etiam in hujus morbi Historia minus exercitatis.

Quocirca si non aliunde periclitetur æger (purpureis maculis & sanguinis mictu jam sepositis) quàm ex pustularum frequentia, seriò mihi perpendendum est, quibus potissimùm de causis ita densæ protruduntur, & si tutò fieri potest, iisdem omni ope coercendis incumbendum. Quod quidem rei caput est, & in quo præcipuè ægro suppetias ferre queam; cum periculosæ plenum sit aleæ quicquid moliamur, jam constituto in hac specie morbo; nec si tandem mortem æger evaserit; id tàm meæ debetur solertiæ, quam vel insigni narium Hæmorrhagiæ, vel fortuitæ alicui, quæ morbo accidebat, mutationi. Profusissima autem illa crebrarum pustularum eruptio, si quid ego conjicere possum, à præcipiti nimis materiæ Varioloſæ assimilatione ortum ducit; quæ quidem præcipitatio maximè videtur contingere, vel quod ægri natura medicamenti ad instar *Cardiaci*, calore & spiritu plus satis turgeat, vel quòd ipse æger, sive præmaturè se lectulo includendo, sive adhibitis Cardiacis calidioribus, aut liquore quovis spirituoso, fermentum plus debito exaltaverit; quibus omnibus modis disponitur sanguis ad excipiendas & intimiùs admittendas morbi impressiones, ipsaque natura, seu furiis agitata, præ exuberanti materiæ Varioloſæ copia & plenitudine, omnem ferè succorum & carnium molem in exanthemata evomere satagit.

Nullâ verò magis προφάσει promovetur immodica materiæ Varioloſæ assimilatio, quàm si æger intempestivè se lecto addicat, *viz.* ante diem sextum à prima invasione, vel quartum inclusivè ab eruptione, quo tempore jam omnis pustularum cohors in conspectu est, nec sunt plures expectandæ.

Et licet moderatus lecti calor etiam post elapsos dies istos Phreneſi, vigiliis, aliisque symptomatis accersendis nonnihil conferat, ea tamen ejusmodi sunt, quæ à medicamentis cum judicio propinatis vinci possint: cum ingens illud vitæ periculum, quod die undecimo instat, ab innumeris istis pustulis prognatum, omnem medicam opem respuat & aspernetur.

Hìc itaque seriò monendum est, ægrum nullo pacto se lectulo interdiu debere committere, si sibi cavere velit à nimio pustularum confluxu, nisi sexto die jam advesperacente, unde se plurimum usque refocillari sentiet: à quo tempore vix se continebit à jugi in lecto decubitu, si insignior fuerit pustularum συνοχωκὴ, tum ob acriorem jam pustularum molestiam, tum quod ab ipso sessionis habitu in animi deliquium sit propensior: quod cùm sæpenumero animadvertendum, in mentem mihi venit, ex communi hujus morbi lege naturam ipsam quasi digito mihi monstrasse, quo

primùm morbi tempore æger lectulo continuò adjudicandus est.

Sed ut non solùm dicti Problematis veritatem adstruam, quod tanti est momenti ad minuendum à Variolis impendens periculum, verùm etiam ut in iisdem à carceribus, ut ita dicam, ad metam pertractandis, rationem nostram quasi manu ducam, non abs re fuerit, opinor, quoddam quasi Schema totius morbi animo depingere, & diligenter expendere, quæ sit ejus natura, ac qualis methodus; quo demum ex certo sensu hominum, fidissimis observationibus utentium, non ex opinione incerto Phantasiæ fundo innixâ, rem clarè dijudicare valeamus.

Imprimis itaque ejus essentia [quantum nos rerum essentias conjecturâ assequi valemus] in peculiari quadam sanguinis *inflammatione* comprehendi videtur, in qua, Natura primis aliquot diebus id negotii habet, ut particulas inflammatas præparet subigatque, quo facilius in corporis ambitum eliminentur; quo tempore, motâ seditione, & perturbato jam sanguinis statu, Febris ut accedat omninò necesse est: quinimo incensæ ac jam furentes particulæ, per omnem circulantis sanguinis ditionem tumultuantes, ventriculi ægritudines, dolores capitis lancinantes, & quæcunque alia Symptomata præcedunt expulsionem, necessariò excitant, prout has vel illas partes motu agitatæ appellant. At cum jam victrix Natura rebelles particulas in corporis habitum propulsaverit, ut priùs in sanguine, ita deinceps in carnea mole id quod superest Tragœdiæ peragitur. Et sicuti Natura non alia quidem methodo quam accensa Febre materiam in sanguine peccantem novit amoliri, ita etiam non nisi facto Apostemate massam carneam à re qualibet extranea liberat: ut si forte sentis aut quippiam ejusmodi carni inhæserit, partes circumjacentes mox Apostemate obsidentur, nisi id quicquid est molesti protinus extrahatur. Hæ itaque particulæ in carnibus demum stabulantes, primùm *Phlegmonas* haud ita spectabiles excitant, in quibus latitant; quæ quidem augescentes in horas, atque efferatiores & inflammatiores redditæ, tandem in *pus* & vomicas desinunt; quo quidem tempore fieri non potest, quin aliquid ex illa Apostematum colluvie, in massam sanguinis, per venas circulari motu reducti, resorbeatur; quòd si sanies ista nimia copia sanguini ingeratur, non tantùm febrem accersit, qui ægri vires planè sunt impares, sed etiam omnem ejus massam putredine, ceu veneno quodam, inquinat. Sed neque hoc mali caput est: quinetiam ab intensiore Febris calore, postremis hisce diebus à nimia puris vi excitato, *Ptyalismus*; qui variolis confluentibus comes indivisus esse debet, præproperè sistitur, unde ægro spiritus continuò intercluditur. Quòd si dicta materia purulenta parciùs sanguini infundatur, insurgens Naturæ robur secundariæ hujus Febris impetum nullo negotio reprimit, & absconsulis indies magis, magisque exarescentibus, æger brevi convalescit.

Si vera sit hæc & justa hujus morbi Historia, cœcus sit oportet qui non videat, omnem ejusdem in utramque partem eventum, à Curationis fundamento rectè aut secus primis in diebus jacto, pendere. Nam si calidorum, & præcipuè jugi lecturi usu, calentes hæ ac spirituosæ particulæ acuantur, ne-

necesse est ut assimilandi facultas [quâ jamdiu plus satis pollent] adhuc intendatur & augescat.

Adde quòd sanguis & reliqui humores his modis excalefacti, fortiori particularum impressioni promptiùs cedunt, unde plures quàm respostulabat, emergunt pustulæ, & æger nullâ necessitate cogente in vitæ discrimen conjicitur. Quando oppositum huic regimen, & modicè frigidiusculum, atque aeris usus liberior, non tantum fervidarum ac ferocientium particularum vim retundit, sed etiam condensat obfirmatque humores, quo se validius spiritibus morbificis opponant, atque eorundem sustineant impetum, unde non major materiæ Varioloſæ copia conflatur, quàm pro genuina morbi indole.

Sed nec unico hoc incommodo, quòd scilic. nimia materiæ morbificæ quantitas assimiletur, & superexaltetur fermentum morbi, mulratur is, qui justo citiùs ad lectum damnatur: at ex eodem fonte sæpissimè profluunt tum mictus sanguineus, tum etiam maculæ purpureæ, æstivo maximè tempore, atque in juventa adhuc florentibus. Utraque hæc symptomata, nisi fallor ego, ortum ducunt ab æstu & furore, in quem agitur sanguis à ferventibus & spirituosis particulis, â quibus exagitatus atque insigniter attenuatus, vasorum claustra diffringit, nunc in mictu sanguineo, quoties in renes irruit, nunc purpureis in maculis, quoties per arteriatum extremitates in musculos & cutem terminatas, percolatur, unde totidem quasi *sphaceli* oboriuntur iis in partibus, in quibus extravasatus sanguis coagulatur. Atque ut præcaveri facilè poterant duo hæc symptomata primis morbi diebus, quibus plerumque emicant, regimine & diætâ in frigidum vergentibus, ita ubi jam actu comparuerint, pariter operam ludet, qui iisdem mederi conabitur, ægrum lecto includendo & Cardiaca exhibendo, ac luderet anicula, quæ nimiam aquæ in olla ebullitionem, igni fomitem subministrando, sufflaminare saragat.

Sed ut verum fateamur, utut offendantur Dogmatici & hujus rei ignari, ac proinde iniqui judices, non solùm malè tutum fuerit, ægrum primis diebus lectulo jugiter affigi, verum enim verò est ubi æger libero aeri omninò est exponendus, si æstas scilicet fuerit, atque æger ætatis florem nondum prætergressus, aut liquoribus spirituosis assuetus, præsertim si morbus nimiæ compotationi originem debeat: His inquam in casibus, præcipitem nimis pustularum eruptionem haud equidem arbitror satis coerceri posse, tum à lectulo abstinendo, tum etiam à Cardiacis; at sanguis etiam sine horum subsidio, spirituum præfervidorum & morbo congenerum largo penu auctus, magno cum impetu, ut explodatur quasi, necesse habet; atque insuper tanta humorum congeries in exanthemata faceret, ut præ nimia puris copia in sanguinem regurgitantis sub fine morbi, æger quasi obrutus, fato omnino succumbat.

Quamvis haud rarò fermentum immodicè exaltatum tantam colluvici Varioloſæ vim conficiat, ut æger incipiente adhuc morbo è medio tollatur; cum scilicet materia morbum committens, tum præ nimiâ sui copiâ, tum præ motu inordinato ac confuso in sanguinis massa excitato, se nequit extricare

& foras educére, cujus loco mictus sanguineus & purpureæ maculæ tragœdiæ catastrophe fiunt. Quod etiam & in Morbilis, & in Febre, Scarlatinâ dictâ, sæpiusculè occurrit, ubi scilicet intempestiva opera in iisdem ad eruptionem vehementius sollicitandis infeliciter collocatur.

Neque sanguinis missio, quantum mihi videtur, licet maturè celebrata, ita efficaciter præproperam materiæ Variolosæ assimilationem cohibere valet, ac sanguinis contemperatio ab aere intromisso, maximè si statim ab emisso sanguine æger lectulo committatur, & cardiacis calidioribus mactetur, his etenim modis, sanguis propensior redditur excipiendis adventitii caloris impressionibus, quàm ante venæ sectionem fuerat. Et sanctè assero, insignissimum ferè omnium, quos mihi unquam videre contigit, è Confluentium genere morbum, & qui ægram undecimo die jugulaverit, juvenculæ superveniſſe, ubi primùm à Rheumatismo usitatâ illa methodo copiosæ & iteratæ venesectionis fuerat liberata. Atque hinc mihi primum innotuit, Phlebotomiam non perinde, atque ego prius arbitrabar, Variolis intra justos limites coercendis conducere: Tametsi sæpenumero observaverim, reiteratam catharsin sanguine nondum inquinato, subsequentes Variolas laudabiles & distinctas ut plurimùm reddidisse.

Neque verò me fallit permulta esse, quæ contra sententiam hanc nostram, quâ ægrum interdiu lecto eximimus, possint objici; eaque haud exigui, tum apud hominum vulgus momenti, tum etiam apud minus hac in palæstra exercitatos; quos Judices appellare solet vulgus medicorum, ut eorum authoritate malè fundata theoremata statuminent, utpote quæ magis, & quasi ad amussim horum captui quadrent, quàm quæ ab ingeniis penetrantioribus maturè sunt excogitata; unde sequitur, ut cum pars hominum longè maxima exteriori tantùm rerum cortici contemplando apta nata sit, paucissimi autem veritati in profundo latitanti inde extrahendæ pares sint, Scioli isti τῶν πολλῶν suffragio adjuti primas facilè ferant, hi autem perspicaciores calumniantium maledicentiâ excipiantur, Πολλοὶ γὰρ ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι. Qui tamen æquo id animo ferunt, veritate freti, & saniorum, paucorum licet, consensu. Primò itaque objicietur, quòd lecto abesse primis morbi diebus pustularum eruptioni officiet, & ex consequenti ægritudinem, aliaque symptomata ab impedita eruptione pendentia, in longum ducet. Hoc verum esse minimè nego, cùm experientia ferè quotidiana ei suffragetur. Quærendum est autem, ubi gravius periculum, vel in sufflaminanda pauliſper materia Variolosa, atque ea de causa ægritudinem à non eruptione pendentem aliquantisper protrahendo; vel ex altera parte nimis urgendo morbi fermentum, & tam insignem materiæ Variolosæ quantitatem assimilando, ut æger ad orci fauces sistatur à Febre secunda, die morbi undecimo. Si rem rectè expendamus, liquebit, opinor, paucissimos ideò fato defunctos, quod exanthemata seriùs ocyus non efflorescerent, nisi fortè ex iis aliquot, quorum sanguis præ nimia excalefactione, motu inordinato, quasi œstro quodam, percitus, materiæ morbificæ leniter

excer-

excernendæ otium non concedebat ; quod à meis partibus militat, non pugnat mecum. Neque enim extimescendum est, quin, si nihil prorsus agamus, materia Variolosa (utut primis hisce diebus hinc illinc transvolans, quamcunque occupaverit partem, fatiget, unde vehementiora illa symptomata, vomitiones enormes, dolores variis in partibus, &c. manifestantur) tandem tamen à victrice natura debellabitur, & in corporis habitum extrudetur, præsertim cum ægri alvus hucusque utplurimum adstricta, pustularum eruptionem, seram licet, certam tamen fore spondeat. Ast è contrario quot quantique letho patent aditus, quoties pustulæ intempestivè & nimio opere exiguntur? Longum foret omnes percurrere : præcipuos jam indigitavimus. Sunt autem hi, 1. Nimium auctus exanthematum numerus, cui ex æquo respondet Febris ultimis diebus succedentis majus minusve discrimen. 2. Mictus sanguineus & maculæ purpureæ, quorum utrumque ab extravasato sanguine oritur, qui plus justo attenuatus & quasi præ æstu ferociens, disruptis vasorum repagulis, qua data porta ruit. 3. Ut supra dictum est, debitæ eruptionis suppressio totalis, à nimis sedulo in præcipitanda eruptione conamine, quo non magis scopus medico propositus attingitur, quàm si quis id agens, ut densa hominum turba spatiosis ædibus inclusa, seriatim & servato ordine inde exiret, machinâ chartaceâ pyrio pulvere refertâ ac in medio displosâ usque adeò omnes percelleret, ut singulis ad portam omni ope contendentibus, proindeque constipato agmine in ejus faucibus hærente, exitus universis, quasi cuneo facto, præcluderetur.

Jam si quis roget, quorsum debita materiæ Variolosæ separatio non perinde primis hisce diebus promoveri possit, si æger moderato lectuli calore foveatur, ac si ab eodem arceatur ; sciscitabor ego ex adverso, an non testetur experientia quemlibet lecto inclusum tempore brumali, stragulis modicè contectum, foco non accenso, magis percalescere, quam si idem probè vestitus in eodem cubiculo extra lectum versetur. Quod si de differentia notabili satis constet tunc erit quærendum, quænam ex his methodis magis apta sit ad reprimendam exuberantem fermenti Variolosi agitationem; ad quam metam, si quid nostra mediocritas judicando valet, à Medico, incipiente morbo, præcipuè collimandum est, & prout ab eâdem plus minusve is aberraverit, ita cum malis bonisve ægri rebus medicinam fecerit.

Incautioribus id verò præsertim hac in re imposuit, quòd se animadverterint ægrum suâpte sponte in sudores proclivem, qui cùm jugiter manarent, quoties lecto continerentur æger, æstus febriles haud parum minuebant, secùs ac in iis, qui non sudabant. Primùm autem perpendamus, quam ob causam Febri coercendæ ita impensam navemus operam, quum sit illa solennis naturæ machina, qui, tum in præparanda, tum in eliminanda materia quavis inimica in sanguine latenti, præcipuè utitur. Quis autem non videt, quòd dum ita sedulò sudorem provocemus ad mitigandum

Fe-

Febrem, eâdem operâ, ceu Fructum præcocem, humorem crudum & inconcoctum extrudentes, atque iis ipsis sudoribus immaniori postmodum Febri ansam præbeamus; cùm hoc modo serum sanguinis [quo tum ipse sanguis, tum etiam recens natæ fervidæ istæ & Varioloſæ particulæ diluuntur] foràs propellitur; his interim particulis vires sumentibus, & ferociam, eo quòd jam liberæ sint à colluvie serosa, quam sudores exhaustam ferant. Verbo dicam, Febris aliorumque symptomatum alleviatio à provocato sudore, & pustulis exinde præmaturè exactis, quamplurimis malè cessit, qui eam ob causam, vitam cum morte die undecimo commutarunt.

Observandum est autem, me ægro primis morbi diebus lecto interdicere ex hypothesi tantùm Variolarum è Confluentium genere subsecutarum: Namque distinctum genus quod attinet, modò certò prævideri possit, ut nulla ægro imperat necessitas se in lecto jugiter continere, ita illum ab eodem nullus abigo; cùm exanthematum paucitas, sive hanc, sive illam viam incedentem in tuto collocet.

Nihilominus non usque adeò mihi assentor, ut ea, quæ jam tradidi, ex authoritate judicii mei (quod scio quàm sit exiguum) credenda autumem. Et profectò, ita parum firmas, & nullius ferè ponderis hominum quorumcunque opiniones semper duxi, ut proprias etiam ubique pro suspectis habuerim, quoties cum aliorum sententiis pugnant: quod & hîc etiam mihi usu veniret, nisi Phænomena practica quasi uno ore rationis judicio suffragarentur. Secluſis enim practicis observationibus, id quod vel mihi, vel alii cuilibet pro ratione habetur, nihil fortassis erit aliud, quàm rationis umbra aut phantasma, hoc est, mera opinio. Et quoties inter homines fuerim, certior inde redeo, quàm sit periculosum, vel acutissimo ingenio præditis, cerebrum in qualibet sive Arte sive Scientiâ indagandâ agitari perpetim & quasi concalefieri, nisi factum ipsum veri ac falsi judicem ac sequestrum constituant; quodque istiusmodi magni Opinatores, ut cum Cicerone loquar, in controversiis purè speculativis, gradibus vel spatiis infinitis, quantum cuiquam possit innotescere, à veritatis scopo aberrent. Cùm qui ad illa tantùm applicuerit animum, quæ Praxis certò determinare queat, si quid fortè fuerit hallucinatus, nullo negotio ab errore liberabitur, ad hanc ceu ad Lydium lapidem probatis, quas animo conceperat, rerum Ideis. Nam in hoc nostro negotio, an non mihi licet observare à quo maximè regimine adhibito, mitius aut sævius Variolarum genus producatur, atque adeò conformem rei evidentiæ sententiam animo procudere? Quod si alii idem factitaverint, satis habeo. Iniquissimum est autem, cùm ne semel quidem per omnem vitam fuerint experti, quantum ægro prosit noceatve jam sæpè memorata è lecto interdiu immunitas, me tanquam falsarium convitiis proscindere. Quòd si jam olim vera, licet inopinabilia, sentientes calumniandi libido obtinuisset, nemo quicquam tentasset quo invento homines juvari possint. Et sanè quorsum ego has mihi facesserem molestias, nisi repetita sæpe & ferè quotidiana experientia,

rientia, hanc methodum vulgari istâ longè tutiorem esse, inclamaret? Non sum usque adeò delirus atque inops mentis, ut famam mihi quæram ab exagitatâ atque explosâ eorum opinione, qui, si plausum venarer, omni obsequio mihi ambiendi erant; neque malitiæ tam deploratæ cuiquam videri possim, ut hominibus, etiam seculis aliquàm multis post mea fata nascituris, ex meâ, quæ erit illa, authoritate insidias struam, & vel mortuus, quod horreo referint, perinde ac vivus, illos occidam. Utut sit, hâc ego methodo meos ipsius liberos, sanguine & propinquitate conjunctissimos quosque, & quotquot se mihi liberè permiserunt omnino curavi. Si quid deliquerim, in eo à me erratum est; quòd obstinatæ contra sentientium pertinaciæ, ne durus ac præfractus haberer, aliquoties cessi, atque hâc de re eorum fidem appello quibus maximè familiaribus usus sum: Sed hoc ad infecilitatis meæ cumulum accessit, quòd aliquoties, etiam ubi astantes, ea quæ suaseram omnia per integrum morbi cursum fuerant aspernati, ægri tamen fatum (etiamsi à calore quem promovebant amici & curatrices, me ad ravim usque reclamante, extincti) mihi crimini dabatur. Quâ de causâ accedente insuperabili τῶν πολλῶν præjudicio, bené mecum agi putarem, si nunquam deinceps ad Variolis laborantes accerserer.

Haud equidem inficias eo, Variolas, quocunque demum modo tractentur, nonnunquam tamen insigniter confluxuras, unde etiam nunquam vacant periculo, quicquid suppetiarum afferatur; id autem assero (quod mihi satis esse debet) diuturnâ atque iteratâ sæpè sæpiùs experientiâ innixus, eum in longè minori discrimine versari, qui à primo morbi insultu lecto interdiu, & carnibus omnino abstinuit; nec nisi potum tenuiorem sibi indulsit, quàm qui statim lecto adjudicatus, medicamenta etiam Cardiaca assumpsit. Hæc enim methodus, quod suprà etiam innuimus, ut plurimum densam nimis exanthematum segetem cohibebit, & ex consequenti etiam immodicam Febris secundariæ efferveſcentiam, quæ non solùm suo Marte perimit, sed etiam salivam (de quâ in hujus Morbi Historia fusè egimus) præproperè incrassando, ægro perniciem ultimis morbi diebus minitatur. Quid quod hoc pacto tum sanguinis mictus, tum maculæ purpureæ præcaveri possint; quæ duo symptomata primis morbi diebus invadunt, idque persæpe nullo adhuc manifesto eruptionis indicio: quod etiam in Morbillis, Scarlatinâ Febre, atque Acutis aliis ab intensiore inflammationis gradu ortis, fieri assolet. Mitto jam jucundissimum istud refrigerium quo se æger perfundi animadvertit ab aeris appulsu liberiore, quoties à lecto calente dimittitur; quod etiam singuli, quibus id per me licuit (maximas agentes gratias, quasi vitâ & spiritu receptis, hâc aurâ postliminio vescerentur) pleno ore agnoverunt.

Unde mihi subiit cogitare, quanto sæpius fucum nobis facit illa, quam talem esse opinamur, ratio, quàm sensus iste certissimo nobis cognitus; quodque in morborum curatione, plus dandum est ægrorum appetitionibus & desideriis impensioribus [modò perquam enormia non fuerint & quæ vitam ipso facto extinguant] quàm magis dubiis ac fallacibus Medicæ Artis regulis.

Exempli gratiâ. Febre ardente laborans, tenuioris potûs refrigerium liberaliori manu concessum iri vehementer efflagitat; Artis jam Theoremata Hypothesi alicui innixa, quæ sibi alium scopum proponit, quocum pugnat liquoris frigentis indulgentia, appetitui adversantur, & hujus loco medicamentum Cardiacum imperant. Idem æger alimenti omne genus, dempto potu tenui, maximopere fastidit; hîc Ars, maximè illa quam profitentur Curatrices & Amici adstantes. omnino comedendum esse acriter contendit. Alter post diuturnum ab eâdem causâ languorem, absurdi aliquid, & quod fortè nocere posse videatur, obnixè petit; Ars iterum molesta se opponit; & mortem intentat morem non gerenti; nisi fortè ipsus Artifex sanum illum prudentissimi Hippocratis Aphorismum probè concoxerit, *Cibus & Potus paulo deterior, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus* (hoc est minus gratis) *est anteponendus.* In his omnibus, naturæ ut videtur, aberrationibus, quilibet in Praxi medicâ vel mediocriter versatus, modò animum diligenter adverterit, facilè concedet ægros haud paucos, ubi primùm spreto Medici dictamine, Genio suo obsecundaverint, se meliùs habuisse. Neque hoc sanè mirabitur, qui secum reputaverit, sapientissimum rerum omnium Conditorem Statoremque universa tam exquisito ordine absolvisse, ut sicuti omnia naturæ mala ad concinnandam totius operis harmoniam egregiè conspirent, ita eorum singula divino quodam artificio, propriæ essentiæ quasi intertexto, donantur. quo subjectum eadem mala à se amoliatur; quod in morborum quàm plurium Acutorum exitu naturali satis cernitur, (*Acutos* dico, qui ut plurimum Deum habent Authorem, sicut *Chronici* ipsos nos) uti etiam in propensionibus istis quæ tales comitantur morbos, & ad ægrum ab illâ pernicie liberandum viam struunt, quam Ars adfert, quoties in fatuos cadit. Atque in hoc sanè bene cum hominibus agitur; quorum genus universum aliter se perquam malè habuisset, tum cùm Ars medica intra breves *Hellado* cancellos tota staret; quæ quidem eam ferè ad terrarum orbem proportionem habet, quam habet ignobilis aliqua Villa ad nostram hanc *Britanniam.* Et quid vel impræsentiarum de tot tantarum regionum incolis fiet, cùm omnis *Asia, Africa* omnis, atque omnis etiam *America* [demptis aliquot nuperis Coloniis haud ita populosis,] atque insuper magna *Europæ* pars, Arte medicâ prorsus destituantur? Attamen ut eleganter Comicus, viros rationis ac virtutum usu præstantes, ab eorum grege, qui formam humanam vitâ ad instar brutorum ἀλόγων actâ conspurcant, distinguens, Ὡς χαίρειν, inquit, ἐς ἀνθρώπῳ, ἂν ἄνθρωπος ᾖ ita etiam Ars medica, si revera Ars fuerit, & non solùm nomine tenus, maximum est donorum omnium quæ hanc vitam respiciunt, tantoque cæteris omnibus præferendum, quanto ipsa vita iis quibus in illâ gaudemus, præcellit.

Sed ut ad rem redeam: Quantumcunque conducat plerumque ægro ut primis morbi diebus lecto non addicatur, est tamen (quod observandum) ubi etiam ante eruptionem omninò addici debeat. Exempli gratiâ, *Infans*

de

de symptomatis Dentitionem comitantibus jam securus, derepente *Spasmo* corripitur: in hoc casu cogitandum est mihi, convulsionem istam fortassis à naturæ conatu quo *Variolas*, *Scarlatinam Febrem*, aut *Morbillos* in corporis habitum protrudere satagit, pendere, licèt hucusque lateant sub cutis tegmine. Ut itaque tam periculoso symptomati eamus obviam, *Emplastro Epispastico* nuchæ mox applicito, lecto quamprimùm committendus est; exhibito insuper medicamine aliquo *cardiaco*, cui etiam *Paregorici* pauxillum est admiscendum, quo & potentiùs morbi causam eliminet, atque etiam tumultum à quo oritur Paroxysmus consopiat: Verbi gratiâ, puero trienni, *guttæ* v. *Laudani liquidi in Aquæ Epidemicæ cochleari uno* (aut quid simile) sunt propinandæ. Et profectò suspicor admodum, nè dicam certus sum, millenos aliquot infantes, & nonnullos etiam ætate provectiores, idcirco letho fuisse datos, quòd non satis animadverterint Medici hujuscemodi Convulsiones nihil aliud fuisse, quàm morborum jam dictorum prænuncios: cùm enim Practici paulò incautiores, paroxysmos hosce revera symptomaticos pro affectibus Essentialibus habeant, Enematis sæpe repetitis & aliis evacuationibus eos aggressi, Variolarum eruptioni officiunt, ac proinde permanentiores etiam reddunt paroxysmos istos, quos tanto molimine opprimere student, quique aliàs, ubi primùm pustulæ eruperint, suâ sponte certo certius evanescerent. Hic autem, fausto lætoque omine (quod alibi diximus) Variolæ, quæ cum spasmo teneriores pueros invadunt; rarò insigniter confluunt, unde æger longè tutiùs lecto concreditur primis hisce diebus. Licèt observaverim Variolas, quoties *Affectus Comatosos* à tergo insequuntur, admodum confluere; quo in casu ipsemet Vesicatorium, & Paregoricum, quale suprà descripsi, potius adhiberem, quàm ut ægro jugem lecti usum ante eruptionem permitterem. Quinimò animadverti ejusmodi *Convulsiones* quandoque (oppidò tamen rarò) *Intermittentium Febrium Paroxysmos* præcedere; *Affectus* verò *Comatosos* cum dictis paroxysmis unà invadentes & non nisi cum iisdem terminantes, tam in infantibus quàm adultis persæpe vidi, quorum similiter nulla in curatione ratio habenda est, sola autem Febris, utpote morbus primarius & essentialis, omni ope est expugnanda. Si enim Comatosis hisce Affectibus Febrem comitantibus curandis præcipuè incumberem, ac proinde Venæ-sectione, Catharsi, atque Enematis repetitis, sopori vincendo operam navarem, Febrem inde magis accenderem, & ex consequenti eò usque augerem Coma [quod mihi erat tollendum] ut æger tandem ab eo æternum consopiretur; quando si in Febre debellandâ totis viribus contendam, symptomata omnia ab eâdem pendentia nullo negotio unâ facessent. Quod serìò notari velim, cum in hàc re tam crebrò tamque fataliter errari soleat. De hoc verò alio in loco fusiùs dixi.

Aliquando etiam (quod proximè tradam) quantumlibet ægro conferat ut lecto interdiu absistat, nihilominus non potest id solatii eidem indulgeri, *ægritudine* sc. *vehementiori*, *intensiori Febre*, *Vomitu enormi*, *Vertigine*, *Artuum dolore* quasi Rheumatismo laboret, & similibus contra,

indicantibus: quæ quidem symptomata omnio sæviora si fuerint, maxime in sanguineis & ætate florentibus, ingentem materiæ Varioloſæ copiam intus natam, & discrimen haud vulgare, à pustulis exitum certatim quærentibus ac mox valde confluxuris, præsagiunt. Cùm itaque frænum fermento ita exorbitanti omni ope injiciendum sit, attamen hinc quidem illud continuo lectuli calore adjutum ferociet magis, illinc verò præ nimia ægritudine eodem abstinere nequeat ægrotans, nisi suppetias afferamus; has ob causas omnino necesse erit, rebus sic stantibus, *sanguinem* primùm è brachii venis educere, & post aliquot horas *Emeticum* eradicativum *ex Infusione Croci Metallorum* exhibere, quod non solùm materiam, à qua oritur ægritudo ista insolentior, foras propellit, sed etiam ægrum ita refocillat, ut jam quasi sanus lectulo abesse queat. Neque huic soli methodo innitendum est ad infringendas fermenti vires, sed quo magis æger in tuto collocari possit, præter evacuationes jam memoratas percommodum erit *Vitrioli Spiritum* potui tenuiori, quoties eum haurit, liberaliùs immiscere, etiam usque ad plenam pustularum eruptionem. Non obstantibus tamen hisce evacuationibus, tùm etiam usu potûs refrigerantis, æger nihilominus non nisi nocturno tempore lectulo permittendus est, si quidem fieri potest, quoniam hæc universa longè minus ad inhibendam præproperam materiæ Varioloſæ assimilationem faciunt, quàm una sanguinis contemperatio à novo aere per pulmones subinde reciprocato: quæ quidem sola mirum in modum ægritudinem symptomaticam, de qua suprà, sublevat confestim, quod à me non uno experimento comprobatum est. Hæc autem methodus paulò insolentior non nisi in ætate florentibus, quorum quidem sanguis sive à Venere, sive à Baccho incaluit, atque in aliis (Infantes tenellulos semper excipio) quos unà cum Variolis vehementiora atque enormia ista symptomata jam dicta adoriuntur, necessariò requiritur. Ubi sanguis non usque adeò accenditur, neque ita urget symptomatum violentia, uti materiæ Varioloſæ præmaturè assimilandæ longè minor est suspicio, ita ex consequenti & evacuationes præmemoratæ, & Vitrioli Spiritus omitti possunt.

Longior in his fui, quia sat scio Curationis exitum sive lætum, sive funestum, ab ea potissimùm, si non in solidum, ratione pendere, qua æger primis morbi diebus tractatur. Jam verò omni pustularum acie quasi in campum eductâ (quod *die* ab invasione *sexto*, quarto autem inclusivè ab eruptione primâ, fieri jam diximus) haud amplius interrumpendus est ægro lecti usus per reliquum morbi decursum: qui quidem ut ante hunc diem concedi non debeat: ita ut diutius differatur, vix patitur ægri status, modò confluentibus Variolis laboret. Hoc autem est genus [quod notari velim] de quo hactenus verba fecimus. Quæ enim & pauca & distincta emergunt Exanthemata, parum habent momenti sive in hanc, sive in alteram partem, si vel mediocriter in arte valeat is qui medetur. Quanquam etiam in genere hoc, utut suopte ingenio omni periculo vacet, haud pauci (quod seriò dolendum est) Libitinæ cesserint, quoties sc. malo suo fato in eos inciderint, qui

qui in promovendo calore spem omnem ponentes, cum morbo ad jugulandum ægrum, licèt inscii, conspirabant.

Tempore ab hoc Pustulæ augescere & corporis superficiem undique concalefacere incipiunt, at caput imprimis, unde æger, nisi fuerit infans, ad somnum difficilior est, & inquietudine vexatur: Quod proximo loco in hoc morbo diligenter expendendum esse arbitror; prout enim sedatior fuerit sanguis, ita debitum augmentum & magnitudinem acquirent pustulæ, atque ex adverso, pro ratione orgasmi quo tumultuatur dictus sanguis, pustulæ marcescent, intercepto ulteriori progressu, unde non solùm peccantis materiæ eliminatio sufflaminatur, sed insuper singularum phlegmonum œconomia & genuina crasis interturbatur; indeque vel non omnino debito tempore ad separationem pertingunt, vel ichor demum fit puris vice, & loco flavi liquoris favum colore referentis, nigricans aliquis humor, vel succus alius non naturalis, & à genuinis Variolarum pustulis alienus, egeritur. Quapropter Medicamenta *Paregorica* æquè indicari in Variolis Confluentibus mihi videntur, ac indicatur quodvis remedium in quovis morbo; cùm hîc quasi *Specifica* sint, perinde ac Cortex Peruvianus in Febribus intermittentibus: quamvis haud ignorem Paregorica non virtute aliquâ præcisè specifica operari; sed isti solùm Indicationi respondendo, qua sanguini & spiritibus consopiendis & in ordidem redigendis operam damus. Atque hic quidem sanguinis & spirituum motus inordinatior (Variolarum Confluentium in adultis comes individuus) Anodynorum usum præ cæteris deposcit; necdum ei satis innotescit hujusce morbi Genius, qui ista Vigiliis tantùm deberi existimat. Sicuti enim fieri quandoque potest, ut etiam non dormiens bene compositis ac sedatis fruatur spiritibus. [quod ab assumpto Laudano persæpe accidit] ita etiam nonnunquam fit, ut spiritus vehementiùs agitati laudabili pustularum eruptioni officiant, etiam ubi æger multùm dormiat, quod observatione dignum.

Ut de genere Anodynorum jam loquar. Tametsi ego à multis annis *Laudanum liquidum* satis auspicatò exhibuerim, quoties huic Indicationi satisfaciendum erat, nihilominus *Syrupum de Meconio* ipse præferendum censeo; licèt enim utrumque ad eundem scopum dirigatur, tamen Laudanum paulò magis calefacere mihi videtur, Syrupus autem minùs. Dosin quod spectat Syrupi, ea non solùm ægri ætati est adaptanda, sed & symptomatum gradui, & quæ homini, qui sedatos habet spiritus & probè compositos, nimia fortè erit, alteri cujus spiritus ferociunt magis, vix sufficiet. Exempli gratiâ, ponamus in genere sex Drachmas plerisque convenire; jam in Varioloſis, quoties, id remedii indicatur, vix intra *Vnciam*, si quid præstare velimus, est subsistendum; quæ quidem quantitas singulis vicibus morbo decurrente imperanda est. De adultis agimus impræsentiarum, etenim si infantibus propinetur, dosis pro ratione ætatis erit minuenda. Et sanè Paregorica non perinde indicantur in infantibus Varioloſis, ac in adultioribus, cùm illi in somnos perdurante morbo proniores sint. Quamvis & in his quo-

ties à morbo periclitantur magis, à Paregorico abstinere multùm extimescerem. At, quod dicere animus mihi erat, difficile est admodum Paregoricorum dosin, quocunque in casu ista indicantur, certò determinare. Etenim sive in quocunque *Spirituum motu inordinatiori*, sive in *vomitu enormi & alvi fluxu*, sive etiam in *dolore atrociore* [in quibus affectibus tribus præsertim usum paregoricorum indicari alibi docui] eâ methodo sunt exhibenda, ut si prima dosis metam non attingat, alia atque alia debito tempore assumatur, donec tandem medicamentum Medici votis responderit, non tam ad ingestam Anodyni quantitatem, quàm ad effectum quod in ægro producendum erat, respectu habito, quod ubi primùm successerit, nec citiùs, à Paregorici usu ita copioso ac frequenti cessandum est: interposito tamen semper inter singulas doses spatio aliquo, ut pernoscere valeamus utrum dosis ultima, id quod quærimus præstiterit, antequam nova ingeratur. At ubi semel finem propositum obtinuerimus, dosis Anodyni in morbi progressu exhibendi, jam minor pro re nata definienda erit.

Exempla haud pauca in promptu mihi sunt, quibus eis quæ hactenus tradidi fidem adstruam, at unicum impræsentiarum adducam. Aprilis 13. Anno 1681. Quædam è nostrâ vicinià, nomine *Crosse*, ad me accedens atque flens obnixè, petiit ut filium ejus decennem adirem, qui à die quarto malè habens, Variolis, ut ipsa metuebat, jam laborabat. Ego à podagrâ, quæ me tunc temporis excruciabat, detentus, Pharmacopolam, quo uti soleo, rogavi ut ægrum inviseret, ac mihi de ejus statu referret: rediens ille mihi narravit pueri matrem è nescio cujus mulierculæ consilio, *pulverem Comitissæ* & alia calidiora remedia filio propinasse; quin & stragula adjecerat matris indulgentia, sub quibus quasi defessus latebat æger, ut horum pondere sudores (ad quos ceu ad sacram anchoram in hoc morbo fœminæ confugiunt) exprimeret; ad hæc magnam *Possetti* calentis vim, *floribus Calendulæ & cornu Cervi incoctis*, ægro infuderat; unde adaucto Febris calore, tantam spiritibus confusionem induxerat, ut præter modum deliraret æger, totis adstantium viribus vix lectulo affixus, ac incondita quædam, furentium ad instar, submurmurans. Nondum tamen in lucem prodibant exanthemata, vel saltem obscurè, sed denso agmine cutim impetebant, inhibitâ planè eruptione ab hac methodo violentiore, quæ ad eam sollicitandam destinabatur. Jubeo ut è lecto eximatur quantò ocyùs, neque eundem nisi noctu ingrediatur ante elapsum *sextum diem*: dein ut syrupi de Meconio unciam dimidiam statim sumat, quo ne hilum proficiente post horæ spatium eandem dosin repeto, at nullo cum fructu; quippe quòd sanguis tam immani furebat orgasmo, ut non nisi unciis duabus cum dimidiâ [spatio tamen inter singulas semiuncias interjecto, quo liqueret quid prostrema dosis præstiterat] introassumptis fræna ri posset; quo facto, unciam dimidiam tantùm singulis noctibus hauriendam præscripsi usque ad finem morbi: quæ qui-

quidem illam spirituum requiem, quam crebrior exhibitio paraverat, tueri jam partam valebat. Unde etiam convaluit æger.

Hîc minimè reticendum est, quòd in quantâcunque demùm dosi & quantumlibet repetitâ exhibeatur primis hujus morbi diebus Narcoticum, modò sanguinis æstus atque enormis spirituum agitatio magnopere ferociant, vix scopum attingere poterit id, nisi æger è lectulo eximatur: Calor enim lecti calorem morbi ulteriùs augescit atque incendit; proindeque vim ita magnam Narcotici exhibere necesse erit, cui fortean Natura impar fuerit: Quod etiam usu venit, etsi haud tanto vitæ discrimine, quando Cortex Indicus exhibetur in Febre Intermittente, ægro per ejus usum in lecto se continente. Et hoc, ni fallor, in causâ fuit quod curatio hujusce Febris nonnunquam protelata fuerit, quæ aliàs citiùs absoluta esset, & quandoque etiam si Febris Remittens tantummodo, & non interstincta erat, eadem adeò intendebatur, ut mortem ipsam æger haud effugerit.

Missis autem casibus extraordinariis, in quibus nullo non morbi tempore indicari potest hoc remedium, ego istâ primùm nocte exhibendum suaserim quâ lecto jam in totum addicitur, *sextâ* nempe à prima invasione, à quo tempore usque ad *diem decimum septimum* omni vesperi est propinandum, vel saltem donec æger ἔξω βίλων quod ajunt, fuerit constitutus. Sexto enim die caro Phlogosi quasi corripitur, unde caput ab humoribus exinde concalefactis turbari incipit & vacillare.

Curandum est autem sedulò, ut Anodynum temporius sumatur hîc, quàm in aliis morbis; quoniam quidam caloris & inquietudinis quasi paroxysmus Variolosos sub vesperam semper affligit; & quandoque accidit quòd, nisi maturiùs exhibeatur sub ultimis morbi diebus, æger, derepente paulò hebetior factus, mox incalescat, post de ægritudine queratur, quæ brevi in ipsâ morte terminatur; attonitis haud parum amicis, qui paulo ante magnam de ægro, ceu convalituro, spem foverant. Cui tanto malo occurri fortean poterat Anodyno confestim ingesto. His itaque diebus, *undecimo* verò præ cæteris, Paregoricum temporiùs propinandum impero, etiam horâ quintâ sextave pomeridianâ, utque in promptu sit, si quandò fortè ægritudo ex improviso invaserit. Quinimo persuasissimus sum nonnullos ex mihi notis ideò fato functos, quòd dicto medicamento, re jam postulante, destituerentur; cujus ope, si adfuisset, adhuc inter viros numerari potuissent. Atque hoc in loco maximè, si in quo unquam alio, *Occasio præceps est.*

Quapropter cùm tam ingens discrimen impendeat, si Narcoticum vel sat citò non fuerit propinatum, vel si è diverso ita præmaturè, ut ejusdem vis paregorica & spirituum sedatrix priùs exoleverit, quàm illud repetendum veniat; idcirco cùm res in lubrico sit, tutissimum omnino est Anodynum statis horis tam manè quàm serò exhibere, ultimis sc. & periculosissimis morbi diebus. Neque hoc tempore syrupi dicti uncia semper

sustu-

sufficit, cùm ea quantitas nihil magis præstet in intensiori sanguinis inflammatione & spirituum animalium exorbitantiâ insigniore, quàm uncia dimidia in morbo mitiore. Quinimo iterata experientia me edocuit, *Sesquiunciam* in juvenibus & sanguineo temperamento præditis pro singulâ dosi, violentiæ symptomatum, quæ tunc ingruunt, & in quibus præcavendis toti sumus, frangendæ parem tantùm esse; quodque hæc [illegible] sa. dosis in talibus subjectis, atque iis temporibus, manè & serò, non tutò tantum, sed cum magno etiam ægrorum commodo, repeti possit, donec illi convaluerint.

Neque verò hoc reticebo, quòd in ultimis diebus Variolarum egregiè confluentium quandoque necesse habui etiam ter in spatio dici naturalis, *i. e.* Octavâ quâque horâ, Narcoticum exhibere; quando scilicet vel ob violentum spirituum orgasmum, vel ob eorundem confusionem ægritudinem aliqualem inducentem, longiora ab usu ejus intervalla haud concederentur. Hoc autem notandum, quòd si tam frequens Diacodii exhibitio ægro nauseam creet [quod in dictis diebus sæpe accidit] hoc in casu *Laudanum liquidum* propinandum; cujus *gutt.* xvj. idem valent, ac ℥j. *Syr. de Meconio*, nempe si eodem modo præparetur quem in *Libro de Morbis acutis & in Cap. de Dissenteria* ibidem descripsimus.

Objicient, sat scio, illi, quibus hæc minus placent, materiam peccantem à Narcotico toties & in tàm larga dosi repetito, fixam iri, & Ptyalismum retundi. Quibus respondeo, omnino fatendum esse Salivationem aliquatenus imminui, nunquam tamen ita penitus cessare, ut non longissimis ab assumpto Anodyno intervallis, atque ejus vi jam fatiscente, nonnihil recrudescat, imò verò gemino hoc commodo stipetur. Primò quòd æger, viribus à Narcotico instauratis, pituitam validiùs expectorare valeat. Dein quòd Saliva, quæ excreatur, licet parcior sit, rectiùs tamen excocta est, quàm si Anodynum non fuerit exhibitum. Proximo loco, Ptyalismi defectus hîc partialis plusquam compensatur faciei manumque tumore, qui ex repetito Paregorici usu & certior est & major in iis diebus, quibus hæ partes solent intumescere: facies scil. ab octavo die usque ad undecimum, (quo tempore ferè incipit subsidere) manus verò ab undecimo, usque dum pustulæ eas obsidentes maturuerint. Atque fidenter assero, neminem in hoc morbo probè versatum posse negare utriuslibet horum tumorum absentiam, quo tempore se debent ostendere, pejoris esse ominis, quàm Ptyalismum interceptum. Me quod attinet, longè tutius esse autumo Ptyalismi compescendi discrimen subire, quàm à Narcotico abstinere: quod ita impensè morbus hîc efflagitat, ut in eo rudis sit oportet & parum observationi deditus, qui ægros suos subsidio tanto defraudat.

Non verò ita capienda sunt, quæ hactenus disserui, ac si ego quotidianum Diacodii usum, vel eâ quæ convenit dosi, in tenellulis Infantibus, qui Variolis Confluentibus laborant, suaderem, nisi morbus periculum grave intentat, idque duabus de causis; primò, quia usque adeò non

calent

calent infantes, atque illi, quorum vitæ fax plenius accensa jam luculentius ardet; dein quod Narcoticorum jugiter assumptorum vim non ita benè ferat ætas mollior, & magis infirma. Adde quòd sponte suâ somno ferè perpetuo morbi tædia fallunt Infantes. Nihilominus quoties vel phrenesi illi corripiuntur, vel pustulæ mali moris sunt, Anodyna omninò indicantur, horum enim utrumque sanguinis atque spirituum animalium motum interturbatum plus satis evincit.

Duo hæc, quæ adeo prolixè tractavimus, nempe ista methodus, quâ inhiberi debet præpropera materiæ Varioloſæ primis in diebus assimilatio, tum & altera, quâ motus spirituum inordinatus ab externarum partium inflammatione excitatus, est præcavendus, duo sunt quasi Cardines, in quibus omnis hujus morbi Curatio vertitur, quandoquidem quæ ex eo oriuntur mala, quòd utrique huic discrimini non satis occurreretur, funesta illa symptomata invitant, quibus Variolarum tragœdia absolvitur, Quocirca cum præcipuæ hæ fuerint Indicationes Curativæ, ubi iis modo jam tradito fecero satis, nihil amplius mihi restat agendum, in quantum sc. Medicus sum, non verò formularum medicarum Præscriptor: Quas ego duas, sive Artes, sive Dotes, sive etiam Provincias appellare libeat, toto cœlo à se invicem distare arbitror.

Unum adjicio, si *Epispastico* opus fuerit, id peramplum & satis acre ægri Nuchæ applicandum; quod ita opportuno tempore fieri debet, ut neque præmaturè appositum vim epispasticam ante diem undecimum, in quo de summa rerum agitur, amiserit; neque in eum ipsum diem rejiciatur, quo jam tardiùs adveniens, illo temporis articulo obesse possit, præ calore & æstu, quem sanguini imprimit, cum Febre Secundaria vix pari Marte tunc decertanti. Opportunissimè itaque applicabitur Epispasticum nocte illâ, quæ magnam morbi crisin præcedit, mox ab assumpto Paregorico, quod tunc erat exhibendum. Appositio per id temporis Vesicatorio, dolor, quem ejusdem morsus adferet, desinet ante diem illum, quo æger vel agonizaturus, & materiæ peccanti eo ipso tempore dabitur exitus, quo eo est opus ad vincenda mala ista, quæ illum diem præstolantur. Hoc enim primùm tempore, quod in hujus morbi Historia fusè deduxi, facies, quæ hactenus inturgescebat, jam detumescere incipit, & salivatio, quæ hucusque pleno amne fluebat, decrescere, condensato jam, & non nisi ægrè excreto, qui eam excitabat, humore. Ut verò mittamus Epispasticum illud tum faciei detumescentiæ, tum etiam imminutæ Salivationi quadantenus substitui, Febri insuper Secundariæ perdomandæ aliquatenus conducit, quæ nunc temporis invalescit, sanguine quasi obruto & penitus infecto puris copiâ à totidem absceſſulis resorptâ; adeò ut in omnibus ferè, quos unquam tractavi, Variolis laborantes, observaverim, pulsum in carpo salientem ægrè percipi posse hoc tempore, utut facilè se pridiè hujus diei & postridie etiam, digito exploratori se proderet.

Sed inter ea, quæ à capite sive derivant sive revellunt, nihil æque mihi

videtur operari ac *Allium* pedum plantis applicitum. Quod Allium revera attrahat, manifestum est à vesiculis, quas sæpè excitat; & à dolore illo non ferendo, quem nonnunquam, licet ratò, affert, etiam non excitatis vesiculis, humores scil. in partes illas invitando; unde dolor tàm vehemens quandoque exortus est, ut cataplasmate è mica panis similaginei in lacte cocti eundem sedare necesse habuerim. In adultis itaque qui Variolis Confluentibus laborant, Allium incisum & linteo involutum plantis pedum admovere soleo, à die octavo, in quo primùm facies intumescit, donec jam morbus periculo omni vacet; singulis diebus renovandum.

Neque interim istud mihi prætereundum est, ægrum scil. à carnibus, durante morbo, arcendum omninò esse, & cerevisiam lupulatam eamque tenuissimam tantùm pro potu concedendam. Jusculis avenaceis, pomis coctis, & jam dictâ Cerevisiâ commodissimè interea vitam tolerabit. At verò instante jam maturatione, ubi particulæ purulentæ in sanguinis massam regurgitantes eandem tabo suo inquinaverint, utile erit cochlearia vini aliquot, singulis autoris & noctibus ægro indulgere. Stragula quod attinet, & lodices, quibus æger in lecto est contegendus, neque plura sint illa, neque pauciora, quam quibus sanus utebatur. Quin & liberum ei sit, quoties voluerit, se ab hac in illam lecti partem transferre, quò præpediri possint sudores isti symptomatici, quos ægro nocere satis opinor, evici. Eodem pacto etiam præcavebitur efferatior exanthematum phlogosis excita à nimio calore, quem carnes contrahunt, quoties æger semper eodem in loco, ceu palo defixus, jacet. De hoc autem aliàs prolixiùs disserui.

Casum nuperrimum, ceu specimen integræ hujus Praxeos, subnectam. Hâc ipsâ hyeme me accersebat fœmina nobilis, Domina *Dacres*, ut quendam suum nepotem, Dominum *Thomam Cheut*, temperamento perquam sanguineo & ætate florentem Medicus curarem. Pridie cœperat febricitare vehementer; colluviem biliosam in magna copia per vomitum rejiciebat; dorsum plurimùm dolebat. His malis solatium quærens & levamen, lectum petebat, & tum stragulis acervatim injectis, tum calidis assumptis liquoribus sudores per diem integrum omni ope sollicitabat, sed frustra, cùm tanta ad vomendum proclivitas, & alvi fluxus, licet modicus, omnem sudorificorum vim eluderent; Oleum interea Febris igni affuderat, quo illa multùm increverat. Ego jam Variolas brevi exorituras suspicabar, easque insigniter confluxuras, tùm ob ætatis vigorem, tum etiam quòd sanguinem multùm excalefecerat irrito sudoris extorquendi conatu, [quo quidem, si modò ætate ægrotaverat, & mictum sanguineum & maculas purpureas certò advocaverat] tum verò maximè; quòd semper observaverim in juvenibus immani vomitione, ægritudine, & dolore præter solitum vexatis, Variolas insequentes ultra modum confluxisse. Meum itaque esse ratus, ut nullum non lapidem moverem, quo præproperam materiæ Varioloſæ assimilationem obstruerem, à lecto illum arcebam, nisi statis prius horis somni. Die sequenti [tertius is erat] Variolis nondum comparentibus, sanguinis uncias octo è dextro brachio manè extrahi

curabam;

curabam: optimus erat ille floridusque, cùm adhuc spirituosum tantùm μίασμα exceperat, nondum verò putredinem illam, quam conciliat longior morbi mora, & in eorum sanguine utplurimum conspicitur, qui nuper ab hoc morbo, convaluerint. Horâ quintâ post meridiem diei ejusdem, Infusionis Croci Metallorum unciam unam exhibui; ex quâ satis commodè vomebat, & ægritudine levatus, longè melius habere visus est, jam haud invitus à lecto abstinens, à quo prius ægerrimè se divelli patiebatur, ægritudine & vertigine mactatus. Die quarto manè accedens, exanthemata, quibus præcavendis tanta fueram molitus, eo numero prodeuntia conspexi, ut ab insigniori quem minitabantur, confluxu, ægri vitæ metuendum esset. Diligenter itaque cavebam, ne lecto interdiu committeretur, consulebam etiam, ut Cerevisiam tenuem Spiritu Vitrioli instillato acidulatam potaret. In his ad sextum usque diem perseverabat; quibus diebus licet non ægrotaret, sed aurâ liberiùs vescens multùm reficeretur, tamen alvo subinde laxiore fuit. Jam sub meridie non valebat ulterius, quod hîc fieri assolet, se à lecto abstinere, decubuit itaque usque ad finem morbi, me non reluctante, cùm nunc erupissent pustulæ omnes, quæ, non obstante meo omni conamine, plus satis confluebant. Quamvis enim pauciora erant exanthemata iis, quæ in nonnullis observavi ab hoc morbo extinctis, plura erant tamen, quàm plerisque eorum, qui sanantur, solent prodire. Hâc primùm nocte Syrupi de Meconio Unciam unam in Aq. flor. Paralys. propinabam, singulis deinceps noctibus repetendam; suadebam etiam, ut non aliis stragulis, quàm quibus sanus assueverat, tegeretur; ut Jusculis Avenaceis, & Hordeaceis, nonnunquam etiam pomo cocto vesceretur; Cerevisiam etiam tenuem hauriret. Die octavo Allium incisum & panno lineo inclusum pedum plantis applicandum curavi, & renovandum quotidiè; donec extra aleam consisteret. Post hæc pro augescentium pustularum genio omnia cedebant, usque ad decimum diem; quo tempore manè eum invisens, licet mediocriter se haberet, Febris tamen Secundariæ quendam quasi prodromum deprehendi, cum jactatione aliquali. Mox itaque procellam veritus imminentem, Paregoricum suprà laudatum exhibui, à qua tranquilla omnia & pacata; eâdem nocte Syrupi de Meconio Sesquiunciam præscripsi. Sequente aurorâ, die scil. undecimi, cùm post exolescentem vim Anodyni, quod hesternâ nocte sumpserat, jam de novo esset irrequietior, Diacodii iterum Sesquiunciam extemplò ingessi, vesperi item tantundem, atque eandem dosin manè & serò ut assumeret quotidie consulebam, donec omnino convalesceret. Paruit æger; neque aliquod nos deinde symptoma exterruit, nisi quòd urina ei quandoque supprimeretur, (malum junioribus hoc in morbo familiare) quam tamen genubus innixus in lecto reddebat. Ptyalismum quod spectat, quantumvis salivæ copia frequenti Anodynorum in tam larga dosi repetitione aliquantulum interciperetur, tamen longiore ab eorum usu intervallo pituitam concoctam excreabat, ac facies manusque debito tempore pro votis intumescebant. Die decimo octavo electo

surgebat, & tunc primùm jusculum è pullorum carnibus indulgebam, à quo per gradus indies ad victum consuetum redibat. Die vicesimo primo sanguis mittebatur è brachio dextro ad uncias octo, qui Pleuriticorum sanguinem æmulabatur, & puris ferè instar erat. Denique ad quatuor vices, spatio interposito, purgatus fuit.

Hic subinnuam, quod quoties in his pagellis dies ab invasione v. g. sextum, undecimum, &c. nominaverim, non ita accipi id velim, quasi Variolæ Confluentes tertio nunquam non die erumperent; cùm satis sciam quandoque ita accidere, etiam in iis, qui vel maximè confluunt, ut pustulæ non nisi post aliquod à die tertio temporis spatium se exerant. Eruptio autem utplurimum in diem tertium ab invasione incidit, & utplurimum, qui (e.gr.) die Lunæ confluentibus Variolis primùm laborare incipit, die Mercurii sequenti pustularum primitias in cute summa deprehendet, & Jovis dies ab illo die Lunæ secundus, undecimus ille erit, periculi pleniissimus, nisi interposuerit se Medicus.

Atque hîc iterum repeto Theoremata hæc omnia ad *Confluentes* tantùm *Variolas* referri debere, quæ in genere distincto nullum prorsus usum habent, nec ab illo exposcuntur. Et tam sibi quam aliis imponunt, qui attollunt cristas, quoties eos sanaverint, quibus Exanthemata numero pauca, eaque interstincta efflorescebant. Si tentare libeat, quantum in Arte valeant, in Variolis Confluentibus vires experiantur; maximè quoties vel florentes ætate, vel eos quî immodicâ vini ingurgitatione nimium incaluerint, hic morbus invaserit. Ne in levioribus exercitati, ita toto cœlo aberrent, ut se eos servasse existiment, quos ipsi adstantes non occiderint.

Verùm dissertatiunculam hancce non priùs finiam quàm ubi retulero quæ mihi, dum hæc scriberem, suo ore narravit Amicissimus Dominus *Carolus Goodall*, M. D. Collegii Medicorum Socius, atque impræsentiarum Censor: quod mihi ideò faciendum duxi, quo meliùs iis fidem conciliem, quæ cum hic, tum alibi & de Petechiis & & de mictu sanguineo affirmavi: utrumque nempe hoc symptoma quoties Acutis morbis accedit, atrociori sanguinis inflammationi omnino deberi, ac proinde Ref. igerantia indicare remedia. Casus se ita habuit.

Iuvenis annorum quasi 27. habitu corporis extenuato, & calido temperamento præditus, Febre violentâ & continuâ correptus est mense Iunio, Anno 1681. *Lingua erat sicca & scabra, sitis vehemens, pulsus celer, dolor regionem cordis scrobiculo vicinam discruciabat, dorsum verè imprimis, (in quo jugiter desæviebat,) sanguinem subinde mejebat, tum & Petechiæ coloris subfusci collum, pectus, & carpos densè insidebant. Die sexto accersitus Medicus, & ægrum de vitâ periclitari à nimia urinæ sanguinolentæ excretione comperiens, Indicationes curativas ad sanguinem refrigerandum incrassandumque, cum etiam ad vasorum oscula, quæ in Renibus relaxata dehiscebant, obturanda dirigendas censebat.*

Præmissis itaque tum Vena-sectione, tum Bolo lenitivo, ægrum, ut à lecto,

quan-

quantum fieri potuit, se abstineret, seriò monuit, cùm a continuo lecti calore mictum sanguinis promoveri non dubitaret: suadebat etiam ut in culcitrâ corio tectâ æger potius dormiret, supinus non nisi rarissimè jaceret, lac aquæ permistum, ut potaret, Panatellà, oryza lacti incoctâ, pomis coctis, sive solis, sive aquæ fontanæ intritis, & saccharo edulcoratis visceretur. Medicamenta ordinabat sequentia.

℞. *Fl. ros. rub.* ℥vj. *cort. inter. Querc.* ℥ß. *Sem. Plantag. parum contus.* ʒiij. *Aq. Fom.* ℔ij. *Sp. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem: infundatur in vase clauso calore leni per quatuor vel sex horas. Colat. add. aq. Cinnam. hord.* ℥iij. *Sacch. albiss. q. s. ut f. Tinctura gustui grata, de quâ sæpiusculè bibat die noctuque.*

Enema à lacte cum Syrupo Violaceo injiciebatur horâ à meridie secunda: & horâ somni sequens Haustus propinabatur.

℞. *Aq. fl. Paralys. Plantag. Cinam. hord. an.* ℥ß. *Aceti stillat.* ʒij. *Syr. de meconio* ʒvj. *M.*

Die septimo, symptomatis vix se remittentibus, Enema jam descriptum singulis diebus injiciendum curabat, tum etiam Emulsionem, Haustumque ad hunc modum præscribebat.

℞. *Sem. Cichor. Endiv. Lactuc. Portulac. an.* ʒij. *Sem. Cydon. Papav. alb. an.* ʒiß. *Amygd. dulc. excort. n.* iiij. *contundantur simul in Mortar. marmor. sensim affundendo Aq. Hord.* ℔iß. *colat. add. sacchar. Crystall. q. s. f. Emulsio, de qua bibat cochl.* xij. *quartâ quaque horâ.*

℞. *Aq. fl. Paralys. Nymph. germin. Querc. Plantag. an.* ℥ß. *Aceti stillat. Aq. Cinam hord. an.* ʒiij. *confect. de Hyacinth* ʒß. *syr. de meconio* ℥j *M. f. Haustus horâ somni sumendus.*

De octavo, cùm adhuc instaret Febris, sanguis Vrinæ immistus copiosiùs exiret, & Petechiæ in præmemoratis partibus numerosæ comparerent, omnia hæc symptomata á sanguinis calore, tenuitate & acrimoniâ, oriri conjectans, sanguinem secundâ vice detraxit, liberaliorem cerevisiæ tenuis usum, cui Vitrioli spiritus ad gratam acorem priùs instillabatur, concessit: quam cum fastidiret æger, possetum è succo limonum & lacte ei indulsit, uti etiam limonum pulpam in taleolas divisam & saccharo involutam. Addebat & sequentia.

℞. *Conf. Lujul. Cynorrhod. an.* ℥ß. *confect. de Hyacinth.* ʒiij. *Diascord.* ʒiß. *corall. rub. præparat. sang. Dracon. Bol. Armen. an.* ℈j. *Syr. è. Symphyt. & Pilosell. q. s. ut f. Opiata, de qua capiat quantit. Avellanæ sextâ quaque horâ, superbibendo haustulum seri lactis succo limonum facti & sacch. alb. edulcorati, vel decocti Vulnerarii Spiritu Vitrioli acidulati.*

Haustus hesternâ nocte præscriptus repetatur, cum Syr. de Mecon. ʒx.

Nono die Petechiæ paulatim evanescebant, Vrina minùs sanguine scatebat, quique inerat sanguis facilius separabatur, & maculæ fundum libentiùs petebat: hortabatur itaque ægrum ut in Remediorum horum usu perseveraret, & diebus aliquot elapsis sequentia adjiciebat, ad eundem scopum collimantia.

℞. *Conf, Ros. rub. per setaceum traject. & Vitriolat.* ℥iv. *balsam. Lucatel*

℥ij. *Bol. Armen. Sang. Dracon. Spec. Electuar. Diacoral. an.* ℥j. *Syr. è Coral. q. s. ut. f. Elect. de quo cap. quant. Nuc. Moschat. bis de Die, superbibendo haustum Emulsionis sequentis.*

℞. *Sem. Lactuc. Portulac. an* ℥iij. *Cydon.* ℥iß. *Papav. alb.* ℥ß. *Amygd. dulc. excort. n.* v. *contund. in mortar. marmor. sensim affundendo Aq. Plantag.* ℥iij. *Aq. Cinam. Hord.* ℥ij. *Colat. add. Sacch. q. s.*

His remediis, favente numine, ager intra septimanas tres à Febre & horrendis illis quæ memoravimus symptomatis liberatus, Petechiis abolitis, atque urina tum colorem naturalem tum consistentium recipiente, paulatim ad sanitatem & vires pristinas rediit.

Quamvis autem symptomata ista jam dicta Febri continuæ accrescerent, non verò illi morbo, de quo nos suprà egimus; cùm tamen quoties utrumlibet ea comitantur, à vehementi inflammatione & sanguinis nimiâ attenuatione, unde sanguis per oscula vasorum quasi vi exigitur, semper ortum ducant; nullus dubito quin par Methodus in tantâ causarum paritate omnino si adhibenda; quantùm sc. fert utriusque morbi Genius. Quamobrem Virum Optimum rogabam, ut mihi per illum liceret hanc ejus Curationem hîc subnectere. Quam quidem si quis vel mihi infensissimus, (cùm tamen alienos mores è propriis æstimans, nullum inimicum habere sperem] præstiterat, tamen veritate victus, præclarissimam eam fuisse omnium, quas unquam novi, curationum, lubens faterer: quum jamdiu compertum habeam quàm sit fatale Febricitantibus sanguinem cum Urina excernere. Cum verò idem amicitiâ mihi sit conjunctissimus quanto cum animi prolubio & Veritati & Viri Amantissimi famæ mihi litandum erat. Hic enim ille est, qui cùm pauci admodum me vel minimum quid in re medicâ sive indagandâ sive etiam excolendâ profeciisse asserere auderent, maledicorum torrenti se medium objicere sustinuit, atque me pari zelo ac fide tutabatur, quo Parentem Filius. Quantumlibet autem beneficio tam insigni devinctus, nunquam tamen nisi eas, quas commeruit laudes, prædicarem, cum perinde ferè sit improbum sive opprobrio sive laudatione indignos afficere, quandoquidem utrinque à veritate discedatur. Nemo itaque mihi vitio vertat, si Virum hunc ego nemini, inter eos qui mihi hactenus innotuere, probitate secundum fidenter affirmaverim, cùm in tot annorum spatio, quibus eo familiariter usus sim, nec dicto quemquam lædere, quanto minus facto, sibi permiserit. Quantum verò in ea quam profitetur Arte præcellat, modò Deus vitam ei concesserit, brevi satis eluceset; cum Eruditioni haud vulgari qua omnes Medicinæ tam Antiquæ quàm Modernæ tractus perlustraverit, exquisitissimam in subtilioribus Praxeos minutiis indagandis solertiam [sine qua nemo unquam Medicinam merita cum laude faciet] catus attulerit: Unde etiam Ægrorum suorum votis, Bonus Felixque cum primis respondet.

Hæc demum sunt quæ ipse de hoc morbo sentio, quæ non mihi suggessit phantasiæ imaginatricis temeritas, sed Phænomena Practica edocuere.

Ne-

Neque sane capio, quî fieri possit, ut fallatur is, qui cogitationes suas omnes mera ac nuda ejus sive Artis sive Facultatis Praxi limitat & determinat, quam sibi perdiscendam & cum laude exercendam proposuit: aut è contrà quî possit fieri, ut non tam in ipso se, quàm in aliis decipiendis omnes vitæ annos prodigat ille, qui in iis excogitandis operam disperdit, quæ cum Praxi nihil prorsus habent commune. Et sicuti haudquaquam faustus probusve *navis ad Clavum Gubernator* fuerit ille, qui non tam ad brevia & saxa sub marina agnoscenda evitandaque, quàm ad causas Fluxûs Refluxúsque maris speculandas animum adverterit (quod quidem cum Philosopho sit dignissimum, ab eo tamen perquam est alienum, cui id tantum negotii datum est ut navis non submergatur,) ita neque Medicus, cui non alia quàm curandorum morborum provincia decernitur, quantumlibet ingenio cæterisque animi dotibus valeat, in Arte verè Medica proficiet, qui non tam in occulta & tortuosa illa Methodo, qua Natura morbos parit alitque (à qua etiam eorundem Historia pendet) indaganda, atque in remediis eidem adaptandis omnes animi vires intendat, quàm in curiosis & παραέργοις speculationibus cerebrum fatiget, ad homines orco eripiendos (quod spondet Medicina) nehilum facientibus. Quæ quidem prævaricatio non solum in causa est, quod genus Humanum commodis illis & emolumentis privetur, quibus à plurimorum ingenio animique dotibus augeri potuisset, sed etiam effecit tandem, ut quæ Medica appellatur, revera Confabulandi Garriendique potius sit Ars, quàm Medendi. Atque eò tandem deventum est, ægris vivendum moriendumve sit, prout Philosophus vel conjectando scopum attigerit, vel ab eodem aberraverit, quod in lubrico semper est atque ancipiti, cùm primi isti speculationum repertores, non minùs quàm eorum mancipia, & servum pecus, de cerebrosis istis commentis bello quasi internecino invicem digladientur, attamen nemo fortasse omnium ipsam veritatem assequatur. Quamvis enim, si mentem seriò applicuerimus, quid de facto agat Natura, & quibus in operatione suâ utatur organis deprehendere valeamus; modus tamen quo illa operatur, mortales, aut ego fallor, semper latebit. Neque hoc mirum est, cùm longè (imò supra omnem humanum captum longè) credibilius sit nos miselios homunciones ab illustri vitæ luciscque regione exulantes, methodum qua in fabricanda machina usus est sapientissimus Artifex, capere nullatenus posse; quàm Fabrum Ferrarium rudem prorsus & imperitum, nescire quo pacto concinnetur Automaton Horarum index, cujus structura & motus exquisitissimam artis elegantiam præ se ferunt. Sicuti de facto constat Cerebrum omnis tam Sensûs quàm Motûs fontem esse, tum etiam & Cogitationum & Memoriæ officinam, & tamen non est possibile à diligentissima ejus inspectione contemplationéve mentem usque adeò illuminari, ut intelligere possit, quo pacto substantia ita crassa & quasi pulpa, quædam, neque operis, ut videtur, usque adeò affabrè elaborati, usui ita nobili & facultatibus tam præcellentibus queat sufficere; neque exinde assignare quis potis est, qua ratione ex

na-

naturæ ejus vi & structura partium, sive hæc sive altera ista facultas necessariò fuerit exerenda.

Atque hæc de Variolis Confluentibus: Quibus si adduntur quæ in Historia Morborum Acutorum de hoc affectu tradidi, summam habes eorum quæ mihi hactenus innotuere, eaque omnia diligentissimè quod à me fieri potuit, trutinata atque expensa.

Accingo me jam [quoniam tu id postulas, Vir Eruditissime] ad ea exponenda, quæ de *Affectionibus Hystericis* hactenus observatione comperi. Quas quidem, perobscuram & difficilem, præ cæteris qui homines vexant, morbis, diagnosin habere, tum etiam ægrius curationem admittere, lubens fateor. Attamen ut potero morem tibi geram, ea, quæ Epistolæ convenit, brevitate; quam sanè à me exigit valetudo infirmior & quasi vacillans, hac præsertim anni tempestate, qua mihi verendum est, ne si pertinacius cogitationibus indulsero, Podagræ mox paroxysmum accersam. Paucis itaque expediam, quæ hîc habeo dicenda, methodo, qua uti soleo, insistens; brevem sc. morbi Historiam tradens secundum vera Naturæ Phænomena; tum etiam medendi rationem subnectens quæ mihi optimè cessit; quamque non tam librorum lectio, quàm experientia propria, Magistra haudquaquam infida, jam olim suggessit.

Hic morbus, si rectè calculum pono, Chronicorum omnium frequentissimè occurrit; & sicuti Febres cum Appendicibus suis duas partes Tertias, ad Chronicos morbos simul sumptos si comparentur complent, ita Affectus Hysterici (vel isti saltem qui eo nomine insigniuntur] ad reliquæ partis Tertiæ dimidium assurgunt, hoc est, Chronicorum pars media sunt: Fœminarum enim pauciſſimæ [qui sexus Adultorum dimidia est pars] ab omni horum affectuum specie prorsus liberæ sunt, si istas excipias, quæ laboribus assuetæ durè vitam toleraut. Quinimo non pauci ex iis Viris qui vitam degentes sedentariam chartis solent impalleſcere, eodem morbo tentatur. Et quamlibet omnis retrò Antiquitas symptomata illa Affectibus Hystericis adnascentia Utero semper vitio verterit, si tamen *Affectiones Hypochondriacas* vulgò dictas, quas Splenis aut Viscerum nescio quorum obstructioni imputamus, cum mulierum Hystericarum symptomatis conferamus, vix ovum ovo similius, quàm sunt utrobique Phænomena, deprehendemus. Neque tamen reticendum est, Fœminas multò crebrius hoc morbi genere corripi quàm solent Mares, non quòd se Uterus magis malè habeat quàm alia quævis corporis regio, sed ob causas infrà explicandas.

Nec nec spectabilior est hujus morbi frequentia, quàm varietas illa multiformis qua se ostendit, & nullos ferè non æmulatur ex iis affectibus quibus atteruntur miseri Mortales. Quamcunque enim corporis partem insederit, symptomata, qualia ei competunt parti, statim producit: Et nisi Medicus tam sagaci quadam solertia & Δεινότητι, quam in Arte peritia valeat, fraus ei fiet, atque ista symptomata à morbo aliquo essentiali hujus vel illius partis, non verò ab affectione Hysterica, pendere arbitrabitur.

Quan-

Quandoque v. gr. *Capitis* arcem occupans, *Apoplexiam* facit, quæ similiter *Hemiplegia* solvitur, eam omninò referens Apoplexiam, quâ tum ætate, tum mole corporis grandiores siderantur, & quæ ex eo nascitur, quòd, Cerebri Cortice pituitæ copiâ referto ac scatente, Spirituum animalium meatus ac semitæ intercludantur: à qua quidem causa, quæ fœminis Hystericis accidit Apoplexia, oriri nullatenus videtur, cùm eadem haud infrequens adoriatur confestim à partu, magnâ sanguinis vi simul ejectâ, & vel partui laborioso fiori; vel vehementiori alicui animi commotioni debeatur.

Quandoque *Spasmos* horrendos gignit, *Epilepsiæ* persimiles, Ventre & præcordiis guttur versus intumescentibus, & nixus ita fortes edente ægrâ, ut licet aliàs mediocrium tantùm fuerit vitium, jam omni adstantium ope vix retineri queat, incondita interim atque inarticulata quædam vociferans, & pectus feriens. Fœminæ, quibus hæc species, quæ *uteri Strangulatus* vulgò audit, familiatior est, temperamento sunt utplurimum plusquàm solet sanguineo, & habitu corporis ad Viragines accedente.

Nonnunquam *exteriorem Capitis partem* occupat, Pericranium inter Craniumque, dolorem vix tolerabilem adferens, in quadam tantùm particulâ, quæ transverso pollice contegi possit, jugiter defixum. Dolorem hunc etiam comitantur Vomitiones enormes. Hæc species *Clavus Hystericus* mihi est, istas præcæteris fatigans, quæ *Cloroti* laborant.

Nonnunquam in *partes* incidens *vitales*, ita vehementem *Cordis Palpitationem* excitat, ut quæ eam patitur fœmina pro indubitato habeat, sonitum Cordis in Costas arietantis etiam ab adstantibus omnino debere percipi. Hæc species eas maximè infestat, quæ extenuato sunt corpore, & crasi minùs firmâ, quæque Extabescentium pene formam præ se ferunt; tum etiam Juvenculas *Febre Albâ* pallescentes.

Nonnunquam *Pulmones* obsidet, unde æger creberrimè tussit & ferè sine intermissione, nihil prorsus expectorans: & quantumlibet hæc Tussis species non ita valido nisu thoracem concutiat atque illa quæ Convulsiva dicitur, Explosiones tamen longè frequentiores sunt, æger præterea non ita sensu valet. Hæc autem *Tussis Hystericæ* species oppidò rara est, & fœminas pituitâ scatentes præcæteris exagitat.

Nonnunquam in *Colon*, & regionem *Scrobiculo Cordis* subtensam impetum faciens, dolorem vix ferendum infligit, *Iliacæ Passioni* haud absimilem; ubi ægra immodicè vomit, colluviem quandam Viridem, Bili, quam *Porraceam* appellant, ferè parem, nunc etiam insoliti alicujus coloris, rejiciens. Sæpè etiam postquam ægra ad multos dies jam dicto dolore [qui vel Stoicorum ἀπαθείαν expugnaret) & continuo vomiturition is conatu tantùm non fuerit enecta, tandem *Ictero* intensiore omnem corporis superficiem ad instar Croci tingente, solvitur Paroxysmus. Ægra interea diris mentis angoribus pressa, omnem recuperandæ Sanitatis spem prorsus abjicit: quæ quidem animi dejectio & quasi *desperatio* quædam, non magis, quantum

ego observavi, ab hac Hysticorum Affectuum specie sejungitur quàm sive dolor, sive Vomitus præmemorati. Atque hoc genus in istis præcipuè locum habet, quæ corporis habitu laxiore crudoque sunt, tum & in iis, quæ Infantes grandiusculos, cum ingenti sui & naturalium vitæ staminum dispendio, sunt enixæ.

Quandoque hoc malum in alterutrum ex *Renibus* incursans, atrocissimo quem illic parit dolore, *Paroxysmum Nephriticum* omninò mentitur, idque non solùm doloris genere locoque quo sævit, sed & adscitis Vomitionibus immanioribus, tùm etiam nonnunquam ex eo, quòd dolor per Ureterum ductus propagetur. Ita ut ægrè admodum dignosci queat, utrum hæc sympromata ab incluso Calculo, an verò ab effectu aliquo Hysterico enascantur, nisi fortè Casus aliquis acerbior ægræ animum paulo antequam corriperetur discrucians, aut materiæ viridis per vomitum rejectio, symptomata ista Affectioni potius Hystericæ quàm Calculosæ tribuenda esse docuerint. Sed neque *Vesica* ab hoc Pseudosymptomate atque ementito Affectu immunis est; cùm non tantùm ipsa ab eo doleat, sed & Urina suppriматur, perinde ac si Calculus eam obstrueret, qui tamen nullus est. Rarissimè autem cernitur postrema hæc species Vesicam attingens, quæ verò Renum calculum imitatur, non ita tarò. Utraque eas solet invadere fœminas, quarum vires repetitis sæpè paroxysmis Hystericis jam fractæ sunt, & sanitas corporis detrita.

Nunc in *Ventriculum* decumbens, continuas *Vomitiones* excitat; nunc etiam *Diarrhœam*, quoties scil. in Intestina effunditur: at neutrum horum symptomatum sequitur dolor, licet in utroque persæpè compareat dictus ille succus viridis. Utraque hæc species iis familiaris est, quas frequentiores paroxysmi Hysterici debilitaverunt.

Atque ut hic morbus omnes fermè partes *Internas* infestat, ita etiam nonnunquam & *Exteriores*, carnemque musculosam occupat, *maxillas* sc. *humeros*, *manus*, *crura*, *tibias*, nunc dolorem adducens, nunc tumorem: in quo genere is qui tibias distendit tumor præ reliquis conspicuus est. Cùm enim in Hydropicorum tumoribus duo hæc semper observari possint, ut tumor sc. sub vesperam se majorem exhibeat, tum etiam ut pastæ instar madentis, vestigium digiti fortiùs impressi formamque referat; jam in hoc altero, tumor matutino tempore protuberantior est, nec digito cedit prementis, aut vestigium ullum manet. Plerumque etiam tibiarum alterutram tantùm inflat: de cætero sive magnitudinem spectes, sive etiam superficiem. Hydropicorum tumores ita ad amussim æmulatur, ut ægrè se haud facilè ab ea quæ insedit sententia, dimoveri patiantur.

Sed neque ipsi *Dentes* (quod vix credas,) ab hujusce morbi insultu se possunt defendere: licet neque vel minima cavitas, neque humoris alicujus defluxus, saltem qui percipi queat, doloris sive ansam præbuerit, sive vehiculum; qui nihilominus nec mitior est, nec contractior, aut expugnatu facilior. Isti verò tum dolores, tum tumores, quibus afficiun-

tur,

tur, partes exteriores, quas supra memoravimus, eas præcipuè fœminas adoriuntur, quæ, longâ paroxysmorum Hysthericorum serie ac impetu violento tantùm non examinatæ, vitam ducunt vix vitalem.

Inter omnia verò morbi hujus tormenta, nullum se tàm crebrò ingerit quàm *dolor* in *Dorso*; quem certo certiùs persentiscunt, quotquot vel leviss imè hoc affectu tanguntur. Quinimo id habent effectum commune dolores prædicti, quòd illa, cui inhæserant regio, etiam post eorum discessum, tenera sit, & quasi fustibus probè fuerit dedolata, tactum refugiat; quæ quidem teneritudo sensim evanescit.

Hoc interim observatu digniss imum est, quòd non rarò notabilis quædam *externarum partium refrigeratio* symptomatis his omnibus viam quasi sternit, & plerumque non nisi paroxysmo finito dispellitur: quam quidem refrigerationem haud semel isti ferè, quâ rigent cadavera, parem competi, pulsu nihilominus rectè se habente,

Addo, quòd Hystericæ ferè omnes, quotquot ego hactenus tractavi, de *spirituum* dejectione sive *subsidentiâ* (ut cum illis loquar (conqueruntur; pulmonis regionem indigitantes, quoties locum, in quo hæc spirituum contractio seu subsidentia sentitur, volunt designare.

Demum mulieres Affectione Hystericâ laborantes, nunc in *risum* effundi, nunc in *lacrymas* pariter immodicas solvi, nullâ προφάσει manifestâ sive illum, sive has extorquente, nemini non est notum.

Inter omnia verò, quæ in hoc morbo comparent Phænomena, illud maximè proprium est, atque ab eo ferè inseparabile, quòd sc. ægræ *urinam* subinde reddam planè *limpidam* ad instar aquæ è rupibus scaturientis, idque satis copiosè; quod quidem ego sigillatim percontando, in omnibus ferè didici signum esse Pathognomonicum eorum Affectuum, quos in Fœminis *Hystericos*, in Maribus *Hypochondriacos* appellandos censemus. Atque in Masculis nonnunquam observavi, quòd mox ab excreto lotio coloris Citrini [imò verò proximo temporis momento] violentiori aliquo animi motu derepente perculsi, statim urinam, Crystallum claritate æmulantem, magnâ copiâ & impetu diu continuato ejecerint, eò usque se malè habentes, donec urina pristinum colorem induerit, & paroxysmus simul evanuerit.

Quin & omnibus tàm Hystericis, quàm Hypochondriacis, quibus scilicet jam malum inolevit, id accidit, ut *flatus* quandoque *nidorosos* è ventriculo emittant, quoties aliquid comederint, licet moderatè tantùm & pro ratione appetitûs, tum etiam alipuando *acidum* eructent, acetum sapore referens, quoties in eos ascenderis; læsâ nempe utrobique concoctione, & succis proinde à naturali statu interversis.

Neque hoc tantùm nomine infelices sunt, quòd corpus ita malè affectum & quasi conquassatum adinstar ædium ruinas undiquaque minitantium, tantùm non corruat & fatiscat, cùm magis adhuc animo ægrotent, quàm

corpore: Cùm enim desperatio planè insanabilis de hujusce morbi natura sit, indignantur admodum quoties aliquis vel minimam de sanitate recuperanda spem injecerit; facilè interim credentes omnia sc. quæcunque in homines cadere possunt incommoda, quæque adeò fert rerum natura, perpessuros, tristissima quæque sibi ominantes, atque timorem, iram, zelotypiam, suspiciones, & siquæ atrociora sunt animi pathemata, vel ex levissima, vel etiam nullâ datâ ansâ, arripientes, & sinu foventes irrequieto anxioque; ab omni interim gaudio, spe, lætitiâ abhorrentes: quæ si fortè occurrant, quando hæ raræ aves sunt, velocissimè avolant, animum interim haud minus vehementer exagitantia, quàm solent mœstiora illa φάσματα, ita ut nullibi mediocritatem servent, in una levitate constantes; nunc amant præter modum, mox odio eosdem sine causa prosequuntur; nunc hoc illudve sibi agendum proponunt, mox à proposito resiliunt, & quod cum eo pugnat, aggrediuntur, sed neque hoc peragunt, ita animi pendentes, ut nunquam liceat quietâ mente consistere. Quodque de Superstitiosis asserit Orator Romanus, nostris hisce Melancholicis pulchrè quadrat. *Perfugium videtur omnium laborum & sollicitudinum esse somnus, ac ex eo ipso plurimæ curæ, metusque nascuntur*; eum funera tantùm in somniis, & danatorum Amicorum umbræ repræsentantur. Ita tàm animo quàm corpore excarnificantur, quasi hæc vita omnis Ignis esset Expurgatorius, in quo scelera alio in statu perpetrata jam luerent atque expiarent. Neque hoc tantùm Maniacis accidit & furiosis, quos dicimus, sed etiam illis, qui, si hos animi impetus excipias, prudentiâ ac judicio valent, quique & meditationum profunditate, & sapientiâ orationis longè eos superant, quorum mentes his cogitationum aculeis nunquam fuerint excitatæ. Ita ut non sine ratione observaverit Aristoteles, Melancholicos cæteris ingenio præstare.

At verò tam horrendus animi status, qualem supra delineavimus, non aliis competit, quàm iis, qui diu multumque cum hoc morbo conflictati, tandemque subjugati quasi victas manus dant: maximè si res adversæ, animi mœrores, sollicitudinesve, nimia in literarum studio assiduitas, atque animi contentio, cum prava corporis diathesi conspirantes, oleum camino adjecerint.

Dies me deficeret, si omnia quæ affectus Hystericos gravant symptomata enumerare velim; tàm diversa atque ab invicem contrariâ specie variantia, quàm nec Proteus lusit unquam, nec coloratus spectatur Chamæleon. Proinde rectè mihi videtur rationem subduxisse *Democritus* [quantumlibet in morbi causa hallucinaretur] ubi in Epistola ad Hippocratem missa disertè asserit; *Sexcentarum ærumnarum, innumerarumque calamitatum authorem esse Uterum.* Neque tantùm multifaria sunt ista, sed nec regulâ aliquâ aut Typo uniformi se contineri patiuntur, quod in aliis hominum Affectibus tamen usu venit, sed quasi farrago sunt quædam φαινόμενα incomposita atque inordinata, unde perarduum est hujus morbi Historiam describere.

Cau-

Causæ autem hujus morbi *Procatarcticæ* seu externæ, vel sunt vehementiores corporis motus, vel etiam multo sæpius, violenta quædam animi commotio à repentino aliquo, sive iræ, sive doloris, sive etiam timoris, & similium Pathematum insultu. Quoties itaque me consulunt Fœminæ de hoc illove corporis affectu, cujus ratio è vulgaribus Morborum dignoscendorum Axiomatis nequeat reddi, nunquam non diligenter ab eis, exquiro, An non eo de quo conqueruntur malo, tùm præcipuè fatigentur, cùm tristitia, ærumna, aut alia aliqua perturbatio eas malè habeat; quod si annuerint, jam satis superque mihi constat morbum in hâc, de quâ agimus, Tribu censendum; præsertim verò si diagnosin id clariùs illustret, quod sc. certis aliquot temporibus urinam limpidam & Crystalli æmulam, eamque copiosam simul excernant. His verò animi motibus, qui usitatiores sunt hujus morbi προφάσεις, accedunt vel Stomachi vacuitas ab inediâ pertinaciori, vel nimiæ humorum evacuationes, sive à sanguine intemperanter effuso, sive ab Emetico, aut Cathartico, cui impares erant ægræ vires.

Jam verò ab hâc totius morbi imagine, secundum vulgatissima ejus φαινόμενα depictam, proximo loco ejus *Causæ Efficientes internæ* sive προηγούμεναι mihi veniunt pensitandæ, quantum eas, ex omnibus quas descripsimus Circumstantiis simul junctis, expiscari valeam. Pendent ergo Affectiones istæ, quas in fœminis Hystericas, in maribus Hypochondriacas insignire libet, quantum ego judico, à spirituum Animalium ἀταξία, unde facto impetu in hanc illamve partem plus quàm pro ratâ densi nimiique feruntur, spasmos uti & dolorem excitantes ubi in partes sensu exquisito præditas irruunt, atque organorum, tum ejus in quod se ingerunt, tum istius à quo abscedunt, functiones pervertentes; cùm utriumque ab hâc tam iniquâ partitione, quæ naturæ œconomiæ penitus adversatur, haud parum detrimenti capiat.

Cujus quidem ἀταξίας origo atque *causa Antecedens*, est debillior dictorum Spirituum Crasis, sive nativa ea fuerit, sive etiam adventitia, unde quâvis προφάσει diffipatu faciles sunt & eorundem systema nullo ferè negotio dirimitur. Quemadmodum enim *Homo* quidam *Exterior* conspicitur ex partibus sensui obviis compaginatus, ita procul dubio & *Interior* est quidam Homo è debitâ spirituum serie & quasi Fabricâ constans, solo rationis lumine contemplandus. Hic vero cum temperie corporis intimiùs conjunctus & quasi unitus, tanto ægriùs faciliusve de statu suo dejicitur, quanto major est minorve ea, quàm à natura sortimur, Principiorum constituentium firmitas. Quamobrem Fœminas longè plures quàm Masculos hic morbus aggreditur, quoniam videlicet istas natura magis delicatulo rarioreque corporis habitu ceu vitæ molliori, & hominum deliciis destinatas) blanda donavit; Mares autem torosо corporis robore, utpote qui laboribus exantlandis in tellure colendâ, & repastinanda, & feris, quibus alantur, capiendis, aliisque similibus, apti nati sint.

Dictam autem Spirituum ἀταξίαν hujus morbi causam esse, Phænomena jam descripta satis probant; quorum præcipua tantùm attingam, à notiss.

tissimo illo Affectu Hysterico, qui *Uteri Strangulatus* vulgò dicitur, initium faciens. Hîc jam Spiritus, facto quasi agmine in ventre inferiore, catervatim magnoque impetu in fauces irruentes, spasmos excitant per omnem quam transeunt regionem, ventrem inflantes ad instar Globi prægrandis, qui tamen nisi aliud est quam partium spasmo tentatarum convolutio & quasi conglobatio quædam, quæ non nisi magnâ vi reprimi potest & coerceri. Partes interim externæ massaque carnea à spiritibus, jam aliò raptis, magnâ ex parte destitutæ, eò usque frigescunt persæpè, non in hâc solâ Affectûs Hysterici specie, sed in aliis omnibus, [quod priùs adnotatum] ut cadavera non frigeant magis. Pulsus interim qualis sanarum est, nec ægra ab hoc frigore de vitâ periclitatur, nisi illud ab evacuatione aliqua enormiori præcedente originem ducat.

Idem etiam dici potest de violentiori isto Affectu Hysterico, qui externa facie *Colicam Biliosam*, vel etiam *Passionem Iliacam* æmulatur; in quo ægra dolore vix tolerando in regione Cordis Scrobiculo circumposita, una cum immani materiæ herbam colore referentis, evomitione, discruciatur. Quod quidem symptoma haud aliunde nasci existimo, quàm à vehementi spirituum densè conglomeratorum in dictas partes impulsu, undè & spasmus, & dolor, & earum totalis facultatum subversio.

Neque ex eo quòd ista quæ in hoc Affectu sive per os, sive per sedem egeruntur, colore quandoque viridi tingantur, statim conficitur morbum hunc in humoribus residere, aut atrocissimum illum dolorem ab humoris alicujus acrimonia partem cui inhæret dilaniantis, produci; quem idcirco pro minera morbi habeamus, ac proinde Remediis tam ἄνω quàm κάτω Catharticis radicitùs extirpandum censeamus. Etenim de facto constat, ægritudinem illam, qua laborant Navigantes [à spirituum animalium agitatione ortam, in fluctuanti ac irrequieto mari [colluviem coloris planè herbacei ex hominum vel saniissimorum ventriculo exantlare, ubi primùm in mare longiùs sunt provecti, quibus tamen ante semihoram ultimò elapsam non inerat Bilis hæc, quam Portaceam appellare libet. Annon & Infantes in Paroxysmis Convulsivis, in quibus spirituum Animalium maximè res agitur, tam per superiora, quàm per inferiora materiam ejusdem planè coloris ejiciunt? Quibus addendum est id, quod experientia fermè quotidiana docet, sc. quantumlibet ejusmodi sive fœminas, sive infantes itereratâ Catharsi exhauserimus, attamen color jam dictus in eis, quæ vel per vomitum, vel per sedem exeunt, usque visetur. Quin etiam à Pharmacis tàm Emeticis quàm Catharticis frequentiùs propinatis uberior materiæ viridis nascitur seges, cùm ab utroque genere spiritum ἀταξία provehatur: quæ vel, nescio quomodo istarum partium fermentum destruit ac pervertit, vel in ventriculum intestinaque vi spasmorum succum aliquem alienæ indolis intorquet, qui humores ejusmodi coloribus inficere potis est. *Chymiæ* Sectatores, licèt nondum ita bene cum illis sit, ut quæ in Organis suis πολυπέχνως Medicamenta elaboraverint, majus aliquid in morbis debel-

lan-

landis præstent, quàm quæ confunduntur in Mortario, vel in Ollâ decoquuntur, tamen curiosorum περιεργία eousque gratificari norunt, ut duos liquores æquè limpidos claroíque ostendentes, ex iisdem invicem commistis saturatum colorem aliquem, quasi præstigiantes, possint exhibere. Et profectò, ita lubrica est & evanida Colorum speculatio, ut nihil certi ex illis, de corporum in quibus apparent naturâ, queat deprehendi. Neque magis sequitur ea quæ colore viridi sunt; acria esse omnia, quam omnia quæ sunt acria, viridi esse colore. Re itaque undique perpensâ, satis liquet dolorem immanissimum qui hâc Colicâ Hystericâ laborantes penè examinat, tum etiam materiæ viridis rejectionem, à Spiritibus nimio impetu in partes sub cordis Scrobiculo positas incursantibus, atque easdem spasmo contrahentibus. omnino excitari.

Huic etiam Spirituum enormitati tribuendum est symptoma istud, quod superiùs *Clavi Hysterici* nomine indigitavi, in quo Spiritus ab omni corporis ambitu in certo Pericranii quasi punctulo concentrantur, dolorem haud minùs perterebrantem, quam si Clavus ferreus in caput vi adigeretur, accersentes, unà cum insigni materiæ viridis evomitione. Quæ quidem Spirituum ab universo corpore quasi in punctum contractio non multùm abludit ab istâ radiorum Solis collectione, quæ fit ope Vitri Incensorii: utque hi vi unitâ exurunt, ita & isti ob eandem rationem dolorem infligunt, membranas quasi discerpentes lacerantesque junctis viribus.

Deinde ab hâc inordinatâ Spirituum agitatione sanguinem perturbante, exoritur Symptoma illud, tam Hystericis, quàm Hypochondriacis haud insolens, ut suprà notavimus, quòd nempe sæpenumerò *urinam* reddant *claram* limpidamque simul & copiosam: cùm enim sanguinis œconomia subinde interpellatur, quod importatur serum satis diu retinere nequit æger, sed illud priùs dimittit, quàm istis particulis salinis quarum ope color ad Citrinum traduci debuerat, impregnari potuerit. Cujus rei quotidianum habemus experimentum in eis, qui, cùm plus satis liquoris, maximè tenuioris atque attenuantis, ingurgitaverint, lotium mox limpidissimum excernunt. Quo in casu sanguis ab ea seri quantitate, cui retinendo prorsus impar est, planè devictus, illud omnino limpidum amittit, nec dum à corporis succis infectum, ob moram justo breviorem.

Tertius jam agitur annus, à quo Nobilis quidam me sibi Medicum volebat, qui *Colicam Hypochondriacam* pati mihi videbatur, ad *Passionem Iliacam* fere accedentem doloreque & vomitu enormiori; quo morbo diu multumque fuerat vexatus, & tantùm non fractus. Per omnem morbi decursum sedulus animadverti, quòd ubi pessimè se habuerit, urina limpida & exors coloris semper fuerit, quando verò paulo melius, ad Citrinum vergeret illa. Hunc die quodam adiens, urinam conspexi quam tribus vicibus excreverat, in Matulis totidem reservatam, Citrino colore præditam: lætus ipse hilarisque cibum ex ὑπνώτοις aliquem jam assumere medi-

meditabatur, invitante, quod mihi dicebat, appetitu: in quo temporis articulo superveniens quidam eousque bilem commovebat, ut extemplò ægrotans, Matulam deposceret, quam urina limpidissima crystallum colore æmulante, ferè implevit.

Fortè etiam à Spiritibus sanguinem ita molestantibus pendet *Ptyalismus* ille Hystericis familiaris, cùm ad multas Septimanas salivam expuant tenuem, perinde ac si Unguento ex *Mercurio* fuerint delibutæ: durante enim hoc turbido sanguinis statu, in quo excretionibus ad naturæ methodum exigendis impar is est, serum motum hunc inversum fortè sibi vendicans non jam in Renes pro lege naturæ exoneratur, sed per arteriarum extremitates in glandulas deponitur, & per *Ductus salivales* salivæ forma prodit. Idem dici potest de nocturnis istis sudoribus, quibus fœminæ Hystericæ nonnunquam profunduntur, qui non ab alia causa fluunt, quàm à seri sanguinis diathesi, qua in corporis habitum gestit effundi, ob modò memoratam sanguinis ἀταξίαν.

Frigus quod attinet, quo toties algent partes externæ in Affectibus Hystericis, luce clarius est, illud ex eo accidere, quòd Spiritus suam in illis stationem deferentes, se nimio opere in hanc illamve partem inserant: Nec est dubitandum; quin tàm *Fletus*, quàm *Cachinnus*, quem tollunt haud rarò Hystericæ, etiam nulla data ansâ; à Spiritibus Animalibus procuretur, Organa, quæ his functionibus Animalibus inserviunt, magna vi pulsantibus.

Obiter dicam, Mares etiam, quamvis rariùs id eveniat, Fletui ex nulla προφάσι quandoque obnoxios reperiri. Accersebar aliquando ad Virum tam ingenio, quàm genere nobilem, qui non nisi paucis diebus à Febre convaluerat, alterius Medici consilio usus, qui & sanguinem detraxerat, & pharmacum Catharticum ter exhibuerat, tum etiam carnibus illi interdixerat. Hunc ubi vestitum conspexerim, & de rebus quibuslibet cum judicio differentem audierim, rogabam quorsum me conveniret; respondit Familiaris quidam ejus, modò expectarem paulisper, res ipsa loqueretur; considens itaque & sermones cum ægro trahens, mox observavi labrum inferius pendulum protrudi cum motitatione crebrâ [uti solent Infantes morosiores fletum adornare] & exinde ægrum in tantas solvi lachrymas, quantus vix aliàs vidi unquam, cum gemitu ac suspiriis tantùm non Convulsivis. Qui tamen repentinus torrens non ita multò post detumuit prorsus. Hanc ego Affectionem à spirituum ἀταξία, (partim à morbi diuturnitate, partim ab evacuationibus, quas θεραπεία necessariò exigebat, ortâ) pendere existimabam: partim etiam ab exinanitione, & abstinentiâ à carnibus, quam etiam ad dies aliquot posteaquam convaluerat, imperaverat Medicus, quo eum à recidivâ præstaret securiorem. Hinc eum pronunciavi extra omnem Febris aleam jam constitutum; symptomaque prædictum, inanitioni tantùm deberi, ac proinde suadebam, ut pullum Gallinaceum assum in prandium juberet parari, & simul Vinum

mo-

modicè hauriret, quo facto, & carnibus deinceps moderatè vescens, nunquam deinceps Fletum hunc Convulsivum passus est.

Ut tandem finiam, (cætera enim, quæ in hoc morbo spectantur Phænomena, jam missa facio) ab hâc ipsâ Spirituum inordinatione nascitur perturbatio illa, & varians subinde tam animi quàm corporis intemperies, quæ tum in Hystericis, tum Hypochondriacis dominatur: cùm enim utrisque desit ea spirituum firmitas, quæ in robustioribus atque iis, quorum facultates jugi spirituum vegetorum subsidio actuantur, semper invenitur, impressiones rerum minus gratarum nequeunt perferre, sed vel irâ vel dolore subitò perciti, perinde sunt irritabiles, atque illi, quorum ἡγεμονικὸν mollius & debilius vel natura primò procudit, aut longior ægritudinum sive series, sive mora tandem reddidit. Etenim animi robur & constantia, quamdiu hoc corporis luto is incrustatur, à firmitudine spirituum eidem famulantium maximè pendet, qui quidem supremum in scala materiæ gradum constituunt, in ipso *Entis Immaterialis* confinio positi: Cùmque Animi compages, si fas est ita dicere, longè magis affabra sit & delicata, quàm est corporis structura, utpote quæ in harmonia facultatum præstantissimarum & penè divinarum consistat, si hujus σύγκρασις quoquomodo fuerit interrupta conturbataque, major inde consequetur ruina, quanto præcellentius erat & magis exquisitum opificium, dum integrum perstaret. Et hic quidem miserorum quos depinximus, animoque fractorum status est; cui malo non citius remedium adferet pertinax aliquod vel insolentissimi Stoici Decretum, quàm ἐδοντάλγιαν præcaverit is, qui firmiter statuerit, se nullo modo permissurum, ut dentes dolore pertententur.

Satis itaque jam constat opinor, omnem hunc morbum ad spiritus animales non ritè dispositos referri debere; nec à semine aut sanguine menstruo corruptis (quod asserunt nonnulli Authores) & halitus malignos in partes affectas elevantibus, produci; nec à succorum nescio quâ perversâ depravatione, sive etiam humorum acrium congestione, ut alii volunt, sed ab iis quas modò assignavimus causis. Quòd enim morbi fomes in materia non delitescat, unicâ hâc instantiâ satis eluceset. Fœmina v. g. quæ rectissimâ semper valetudine uti solet, modò delicatula sit illa, & teneriore corporis habitu, si fortè errore aliquo, sive Emetico, sive Cathartico quovis fortiore nimiùm fuerit debilitata exhaustaque, certo certius symptomate aliquo, ex iis, quibus hic morbus stipatur, multabitur; quod tamen ejusmodi Vomitio vel Catharsis amoliretur magis quàm invitaret, si morbi minera in humore contineretur. Idem dici potest de immodico sanguinis dispendio, sive phlebotomiâ is fuerit extractus, sive in puerperio debito copiosius manaverit, uti & de exinanitione, & justo longiore à carnibus abstinentiâ, quæ omnia ad Affectus Hystericos præcavendo potius facerent, quàm ad eosdem accersendos, si illorum fomes in materia aliqua involveretur: cùm è diverso non alia causa ita constanter pariat hujusmodi Affectus, ac solent dictæ Evacuationes.

Quamvis autem satis pateat originarium hujus morbi fomitem in humoribus nullatenus stabulari, fatendem est tamen (quod res est) spirituum ἀτοξίαν illam, cui morbus debetur, humores putridos in corpore coacervandos gignere, cùm tam illarum partium functio, quæ vehementiori spirituum impulsu distenduntur, quàm earum, quæ illis privantur, omninò pervertatur. Cumque harum pleræque *Organa* sint quasi *Separatoria*, excipiendis Cruoris recrementis designata, si earum functiones quovis modo lædantur, fieri non potest, quin ingens fæculentiæ colluvies accumuletur; quæ quidem eliminata fuisset, totaque proinde sanguinis massa depuratior facta, modò singula organa munus suum explevissent, cui nullo modo defuissent, si debita spirituum œconomia universas invigorasset. Huic egò causæ adjudico *Cachexias* insignores, ἀνορεξίαν, sive *Appetitûs prostrationem*; in Juvenculis *Chlorosin*, sive *Febrim albam* [quam quidem *speciem* esse *affectionis hystericæ* nullus dubito,] aliamque omnem malorum Lernam, in qua immerguntur Miserlæ, quotquot hoc morbo diu elanguerunt, quæ omnia à succis putrescentibus in sanguine congestis, atque exinde in organa varia depluentibus, succrescunt. Hujus farinæ est *Hydrops Testium* in fœminis, quæ jam diutius affectu Hysterico laboraverint, natus à succis depravatis è sanguinis massa in Organa rejectis; unde perversis eorundem facultatibus, primò steriles fiunt mulieres, & destruitur prorsus œconomia partium, indeque serum & sanies gignuntur, quæ non tantùm *Nodulos ovaque Testium* interficiunt sed etiam in Tunicarum interstitia se insinuantia, Testes in molem ingentem elevant, quod in earum dissectionibus cernitur, quæ hoc morbo pereunt. Diathesis interim Hysterica horum aliorumque humorum similium causa est primaria, quamlibet ejusdem cum illa Prosapiæ non fuerint.

Quemadmodum in *Febre quartana*, quâ vel pancraticè valens quispiam corripietur, si modò duos tresve dies in locis paludosis ac lacustribus egerit, primò, spirituosum quoddam μίασμα morbi hujus sanguini imprimitur, quod diuturnius inhærens, læsâ tandem naturæ œconomiâ, omnes corporis succos inquinat, alienâ prorsus indole eos imbuens, unde æger (maximè si ætate grandior fuerit ac in senium jam vergeat) Cachexiis aliisque malis obnoxius redditur, quæ Febribus Intermittentibus diu affligentibus superveniunt. Quæ tamen Febres non sunt profligendæ remediis, quibus rectissimè expurgantur hujusmodi humores, sed *Specificis* iis, quæ abigendis istis Febribus immediatè dicantur.

Ex omnibus, quæ nos hactenus congessimus, abunde mihi constare videtur, præcipuam in hoc morbo Indicationem Curativam eam esse, quæ sanguinis (qui spirituum fons & origo est) corroborationem indigitat; quo facto spiritus invigorati eum servare possint tenorem, qui & totius corporis, & singularum partium œconomiæ competit. Cùm verò hæc spirituum ἀτοξία [quod suprà fieri posse concessimus] morâ longiore humores vitiaverit, è re fuerit eosdem jam corruptos & *Phlebotomiâ* & *Catharsi* prius imminuere, modò ægræ vires permiserint, quàm ad sanguinem corroborandum nos accin-

cingamus; quem quidem scopum vix assequi poterimus, quamdiu faeculenta humorum colluvies se mediam, quasi obicem, interposuerit. Quandoquidem autem *Dolores* atrociores, *Vomitiones*, & *Diarrhœæ* enormes ita nonnunquam effereſcant, ut inducias non ferant usquequo primariæ illi fortificandi sanguinis intentioni possit satis fieri, quandoque ab effectis consopiendis [missâ aliquantisper causâ] Curationis tela necessariò ordienda est, Exhibito sci. Medicamine *Anodyno:* dein spiritibus, quorum crasis infirmior morbi causa est; reſtificandis opera danda est, quo ejusmodi symptomatis deinceps occurratur. Cumque experientia doceat permulta esse, quæ fœtoris exhalatione repellendis spiritibus seditionem molientibus, & in loco suo continendis apta nata sint, (quæ idcirco *Hysterica* audiunt,) neque illa sunt negligenda, quoties dictis intentionibus implendis operam navamus.

Ad hanc ego metam collimans, venam in brachio secari jubeo, dein ut purgetur ægra tribus quatuorve auroris contianis. Per hos dies, in quibus *Venæsectio* & *Catharsis* celebrantur, ita planè nihil emolumenti capere ægra, ut in pejus ruere, sibi videatur, cùm dictæ Euacuationes tumultu concitato ἀξίαν promoveant, quâ de re ægram diligenter præmoneo, ne animum desspondeat, suadente morbi Genio: utut fuerit, vitiosi isti humores, quos à morbo diuturniore coaggeratos supponimus, quadantenus sunt detrahendi, antequam primariæ Intentioni percommode satisfacere queamus.

Post has Evacuationes, ad sanguinem confortandum & proinde etiam spiritus ex eo prognatos, *Remedium* aliquod Martiale seu *Chalibeatum* ad *dies triginta* præscribo assumendum, quo non aliud certiùs hîc votis respondet. Etenim massæ sanguineæ, jam effœtæ & languescenti, volatile quoddam Fermentum, ceu calcaria, subdit, à quo excitantur & quasi eriguntur spiritus antea jacentes & suo pondere pressi. Cujus rei indicium est vel apertissimum, quòd quoties *Chalybs* in *Chlorosi* propinatur, pulsus derepentè major fit & celerior, exteriora corporis incalescere; facies non amplius pallida & mortuis concolor, sed vivida cerni & sanguine purpurata: Attamen hîc notandum, quòd non semper Venæ-sectio & Cathartica Chalybis usui sint præmittenda, cùm viribus admodum imbecillis & diuturnitate morbi attritis fractisque omitti ea possint ac debeant, & cum Chalybe statim incipiendum; quod diligenter advertendum.

Commodissimè verò, aut ego fallor, in *substantia* exhibetur, atque ut nec observavi unquam ipse, nec fando accepi, cum ita suraptum cuivis nocuisse, ita certiorem me fecit experientia multiplex, nudum Chalybis substantiam & felicius & breviore temporis spatio curationem absolvere, quam si is quovis, ex iis qui vulgò feruntur, modo fuerit, præparatus. Cùm tàm in hoc quàm in aliis melioris notæ remediis, id quandoque præstiterit Chymicorum officiosa sedulitas, non tantùm ut φαρμακίτεια non sint, sed etiam à perversa eorundem diligentia & opera plusquam otiosa, magis evilescant. Audivi etiam (quod si modò verum sit, assertionem hanc nostram fortiter sustinebit (ipsam Mineram, prout à terræ visceribus effoditur, crudam efficacius in morbis subju-

gan iis operari, quàm Ferrum ignem jam passum & fusione depuratum: cujus rei fides tamen penes Authorem sit, me nondum experto; siccine se res habeat, an verò aliter. Id certò scio, nullum remedium præclarum atque ἐξαίρετον uspiam gentium fuisse procusum, quòd non à natura præcipuas vires acceperit: unde Θεῶν χείρας, non verò Hominum præcellentiora quævis medicamina Antiquitas grata compellavit. Quòd verò nativâ quidpiam bonitate præstans & efficaciâ, mirandos edat effectus, quacunque demum formâ ingeratur, testes hîc adduco Par illud nobile, Papaveris lachrymam sive *Opium*, & *Corticem Peruvianum*. Neque enim tantum in medicamentis præparandis medica cernitur peritia, quàm in iis seligendis appropriandisque, quæ Natura, suo igne elaborata atque evecta, liberali manu porrigit. Id tantum nobis agendum restat, ut Medicamenta in eam formam reducantur, quâ vel eorundem substantia, vel saltem vis & efficacia meliùs corporibus nostris impertiri queat: cui muneri obeundo facultates nacti sumus plus quàm pares. Post Chalybis substantiam, ejusdem *Syrupo* lubentiùs & præ cæteris utor. Fit autem è ferri aut Chalybis limaturâ, in Vino Rhenano in frigido infusâ, usque dum vinum satis impregnatum fuerit, quo facto liquor colatus cum sacchari quantitate sufficienti in Syrupi consistentiam excoquendus est.

Nec mihi solenne est toto illa spatio, quo ægra Chalybeata sumit, Cathartcum aliquod statis intervallis exhibere. Cùm tàm in genere Hysterico quàm Hypochondriaco, Chalybis vires à Cathartico intercidi atque infringi mihi videantur. Quando enim id mihi palmarium sit, ut spiritus in ordinem redigam, atque eorum systema redintegrem firmemque, quod toto vix Octiduo resarciveram Chalybis ope, Cathartico vel leniſſimo exhibito die unicâ rursus demolior; atque ita diruta extruendo, atque à me extructa subruendo, & ægros & operam ludo, vanus & infelix Ardelio. Qui quidem mos cùm etiam in usu Aquarum Mineralium obtineat, quæ Ferri mineræ sunt participes, haud mihi dubium est, easdem exinde minus efficaces reddi. Non sum nescius quosdam fuisse sanatos, Catharticis non tantùm intercalaris, sed etiam quotidiè cum chalybe propinatis, quod tamen non tàm Medici prudentiam, quàm Chalybis virtutem ἐνεργητικὴν mihi comprobat, cùm, si ea omittantur, breviori temporis spatio Curatio succedat.

Neque sanè video in aliis affectibus multis præter jam dictum, quid emolumenti, sive potius quid non incommoditatis repetita Catharticorum exhibitio ægris adferre queat. Quamvis enim haud negandum est, quin intestina ex impuritatibus liberent ea, & pariter è massa sanguinea humores noxios in ea stabulantes aliquantulum extrahant; è contra tamen haud minus certum est, quòd frequenter repetita in corporibus imbecillis (maximè verò in ætatibus tenellis) plurimùm officiant; cum ex hac προφάσει ingens humorum colluvies in viscera eliciatur, atque iis in partibus deposita fermentationes præternaturales invitet; ex quibus deinceps *Tumores* in infimo ventre oriuntur, tanto magis indies mole augescentes, quanto sæpius æger purgetur. Atque id demum accidit, ut istæ partes præ imbecillitate & caloris nativi [jam sub humorum one-

onere quasi obruti] defectu, *tabe* facilè afficiantur ac putrescant. Quandoque etiam, Oeconomiâ viscerum ob causas jam dictas penitus eversâ, *Glandulæ* præternaturales, *Strumæ* soboles, & id genus similia Mesenterio accrescunt, & ad mortem viam sternunt. His rationibus adductus tutissimum esse judico in *Infantibus* post evacuationes universales, easque perpaucas, eò Indicationem Curativam dirigere, ut confortentur sanguis & viscera. Quod *Vinum Hispanicum* vel solum, vel *Herbis corroborantibus* alteratum efficere poris est, modò manè & serò cochlearia aliquot [pro ratione ætatis ægri] satis diu exhibeantur. Cùm verò quæ exteriùs admoventur, tenera Infantium corpora facilè penetrent, proindeque sanguinem ipsum qualicunque virtute suâ penitus afficiant, è re erit in *Tumoribus* qui ventrem eorum occupant, sive *Scrophulis*, sive *Rhachitidi veræ* originem illi debeant, *Linimentis* uti quæ sanguinem ac viscera corroborandi ac pariter labem aliquam morbificam iis inductam delendi vi pollent. Ut ℞. *Fol. Absint. vulg. Centaur. min. Marrub. alb. Chamædr. Chamepit. Scordii, Calaminth. vulg. Parthenii, Saxifrag. pratens. Hyperic. Virgæ Aur. Serpill. Menth. Salviæ, Rutæ, Card. benedict. Puleg. Abrotan. Chamomel. Tanacet. Lilior. Convall.* (*omnium rec. collectorum & incisorum*) *an. m. j. Axungiæ porcinæ* ℔ iiij. *sevi ovini, & vini Clareti an.* ℔ ij. *Macerentur in ollâ fictili super cineres calidos per horas* 12. *Deinde ebulliant ad humiditatis consumptionem, & postea colentur, ut fiat Vngentum; quo venter ac Hypochondria illinantur mane & serò per* 30. *vel* 40. *dies continuas, uti etiam Axillæ utraque.* Quoad *Rachitidum* autem hoc notandum, quòd in tumoribus istis qui ventres Infantium post longas *Intermittentes Febres* olim infestarent, veræ Rachitidi non multum abludentes, repetita Catharsis omnino videretur indicari, cùm ante usum *Corticis Peruviani* istæ Febres in diuturnitatem longam se extenderent, ac proinde sedimentum deponerent, hujusmodi Tumorum causam, quæ ideò non nisi purgatione repetitâ abigi poterat: Attamen in *Rachitide verâ* Cathartica locum non habent, nisi ut semel vel bis ad plurimum æger purgandus antequam usum Alterantium aggrediatur. Per totum autem tempus quo partes illinuntur, intus assumat vel vinum modò dictum; vel, si fieri possit, pro potu omni bibat Cerevisiam in quâ quantitas sufficiens herbarum prædictarum, vel earum saltem aliquam multarum, unà in dolio inclusa fuerit. Denique hoc quod innui diligenter advertendum volo, cùm non paucos Infantes atque pueros à Catharticis sæpe repetitis (quæ fortè ventris tumor invitaverat) interemptos fuisse satis sciam. Sed hæc obiter.

Si quis objecerit, *limaturam Chalybis*, nisi æger subinde fuerit expurgatus, in visceribus hærentem, ei, qui illam devoraverit, nocere posse; respondeo primùm me nihil unquam tale in quoquam deprehendisse: deindè longè verisimilius esse eandem muco & excrementitiis partium humoribus involutam unà cum istis tandem omnem elabi, quàm medicamentis purgantibus exagitatam, quæ adstrictiones insolitas, & Viscerum torsiones contractio-

neſque afferunt; quâ quidem compreſſione, Chalybis particulæ viſcerum tunicis impactæ in iiſdem penitiùs defigi poſſunt.

Interea dum Chalybs adminiſtratur (ad confortandum ſcil. ſanguinem & ſpiritus Animales) Remedia vulgò dicta *Hyſterica* in uſum quaſi obiter revocanda ſunt, idque eo modo atque ea forma, quæ maximè conveniunt ægris; quæ quidem ſi in formâ ſolidâ fuerint degluticæ à minus faſtidioſis, potentiùs longè ſpiritus in officio & loco ſuo retinebunt, quàm ſi in liquidâ hauriantur, hoc eſt, ſive Decocta, ſive Infuſa. Ipſa enim ſubſtantia ventriculum diutiùs ſapore ſuo afficit, & corpus inficit penitiùs.

In ſummâ, indicationibus, quas ſurprà attigi, univerſis ſatisfacturus, paucula hæc & vulgaria præſcribere ſoleo; quæ licèt nihil magifici præ ſe ferant, ut plurimum tamen id præſtant, quod volo.

Mittatur ſanguis è brachio dextro ad ℥viij.

℞. *Galban. in tinctură Caſtor. ſolut. & colat.* ℥iij. *Tacamahac.* ʒij. *f. Emplaſt. Vmbilico admovendum.*

Sequenti manè aggrediatur uſum ſequentium Pilularum.

℞. *Pilul. Coch. maj.* ℈j. *Caſtor. pulv. gr.* ij. *Balſam. Peruv. gutt.* iv. *f. Pilulæ n.* iv. *Cap. horâ quintâ matutinâ ſuperdormiendo. Repetantur per duas vel tres alias vices, idque ſingulis vel alternis auroris pro ratione virium, aut operationis.*

℞. *Aq. Ceraſ. nigr. Rutæ, & Brion. comp. an.* ℥iij. *Caſtor. in nodulo ligat. & in vitro ſuſpend.* ʒß. *Sacchar. Cryſtall. q. ſ. f. Iulapium, de quo capiat cochlearia* iv. *vel* v. *in omni languore; inſtillando prima doſi*, modo paroxyſmus urgeat, *ſpir. C. C. gutt.* xx.

Poſt Pilulas purgantes modo ſuprà deſcripto ſumptas, utatur & ſequentibus.

℞. *Limatur. Chalyb. gr.* viij. *cum ſ. q. extracti Abſynth. f. Pilulæ n.* ij. *ſumat ſummo manè, repetanturque horâ quintâ pomeridianâ, per dies* xxx. *ſuperbibendo hauſtum Vini Abſynthitis.*

Vel pro uſu quotidiano, ℞. *Limatur. Chalyb. & extract. Abſinth. an.* ℥iiij. *m. aſſervetur pro uſu. Capiat iiſdem temporibus gr.* xvj. *vel* ℈j. *in pilulas tres redact.*

Vel ſi forma *boli* magis arrideat, ℞. *Conſerv. Abſinth. Roman. & conſerv. flaved. Aurantior. an.* ℥j. *Angelic. condit. Nucis moſchat. condit. & Theriac. Andromach. an* ʒß. *Zinzib. condit.* ʒj. *cum ſ. q. ſyr. Aurantior. f. Electuarium.* ℞. *Electuarii præſcript.* ʒiß. *Limaturæ Chalybis probè triti gr.* viij. *cum ſ. q. ſyr. Aurantior. f. bolus, ſumendus manè, & horâ quintâ pomeridianâ, ſuperbibendo hauſtum vini Abſinthitis.*

℞. *Myrrh. elect. & Galban. an.* ʒiß. *Caſtor. gr.* xv. *cum ſ. q. Balſami Peruv. f. Pilulæ, è ſingulis Drachmis* xii. *ſumat* iij. *ſingulis noctibus, ſuperbibendo Aq. Brion. comp. Cochlear.* iij. *vel* iv. *per totum decurſum hujus proceſſus.*

Sin autem Pilulæ ultimò præſcriptæ ventrem moverint, quod in corporis

poribus quæ facillimè purgantur præ *Gummi* quæ insunt quandoque fit, tum sequentes substituantur.

℞. *Castor.* ʒj. *sal. succini volatil.* ʒß *cum s. q. extract. Rutæ f. Pilulæ exiguæ numero* xxx. *cap.* iij. *singulis noctibus.*

Hîc autem observandum, quòd *Chalybeata* in quacunque forma aut dosi exhibeantur, fœminis quandoque magnas tum animi tum corporis perturbationes inducant, idque non solùm primis diebus (quod ferè omnibus solenne est) sed etiam per totum tempus quo illis utuntur; in hoc casu non statim Chalybis usus dictis temporibus interrumpendus, sed, quò meliùs eundem ferre poterint, *laudanum* aquâ aliquâ hysterica mistum singulis noctibus ad tempus aliquod propinandum.

At ubi symptomata mitiora sunt, & res sine Ferro introsumpto transigi posse videatur, (in minore sc. morbo) satis habeo sanguinem mittere, atque alvum solvere ad dies tres quatuorve, ut suprà diximus: Dein *Pilulas Hystericas* alterantes præmemoratas *manè & serò per* x *dies* capiendas imperare. Quæ quidem methodus in affectu leviore rarò à scopo aberrat. Imò Pilulæ istæ solæ, vel omissis Phlebotomiâ & Catharsi, sæpe magnos effectus edunt.

Seriò interim animadvertendum est, nonnullas fœminas *Idiosyncrasia* quadam, ab *Hystericis* illis medicamentis (quæ pleriſque hujus morbi symptomatis levamen afferunt & solatium) ita penitus abhorrere, ut non solùm non juventur, sed etiam insigniter ab eorum usu lædantur. In his itaque omnino sunt omittenda ista: Φύσεως γὰρ ἀνθρωπείης, ut divinus Senex, κρείσσω πάντα. *Invita Minerva* nihil quicquam moliendum.

Quæ quidem *Idiosyncrasia* adeò insignis ac frequens est, quòd respectu ad eam non habito ægræ in discrimen vitæ conjici possint; idque non solùm quoad Hysterica, sed quoad multa Remedia alia: Cujus impræsentiarum instantiam unicam adferam. Fœminæ nonnullæ *Variolis* laborantes *Syrupi è Meconio* usum ferre non possunt, utpote à quo Vertigines, Vomitiriones, & id genus symptomata ad affectus Hystericos pertinentia, accersantur, quibus tamen *Laudanum liquidum* apprimè conveniat. Quod & dum hæc scriberem in Adolescentulâ Nobili observavi, cui Variolis laboranti cùm sextâ ac septimâ nocte syrupum dictum exhibuissem, symptomata priùs memorata singulâ exhibitione ei ingruebant, neque pustularum inflammatio debito modo procedebat; sed cùm inposterum Laudano uteretur, à Symptomatis dictis prorsus immunis erat, faciei tumore ac pustulis indies augescentibus, &, quod non minùs læti ominis erat, *anxietas* ista, cum *inquietudine* quâdam tam mentis quàm corporis, (quæ quasi *paroxysmus Variolarum* solet esse) prorsus tolleretur, quoties Paregoricum hoc propinabatur, ægra mox vires atque animum exinde recipiente. Hoc obiter.

Atque ita *hysterici Affectus* quoad plurimum sanantur, ut & pleræque *mulierum*, quas appellant; *obstructiones*, at præ cæteris *Chloroſis* seu

pallidi

pallidi virginum colores, uti etiam *mensium suppressiones* qualescunque. Attamen si sanguis usque adeò effœtus fuerit, tantaque proinde spirituum ἀταξία, ut Chalybs præscriptâ methodo usurpatus malo vincendo par non sit, ædeundæ *Aquæ minerales* aliquæ Ferri minerâ saturæ, quales sunt nostræ *Tunbrigienses*, aut aliæ nuper repertæ. Harum enim virtus Chalybeata, tum ob insignem quantitatem quâ hauriuntur, tum etiam ob earundem cum natura convenientiam intimiùs sanguini permiscetur, & potentiùs morbos expugnat, quàm Ferrum quocunque demum artificio nobilitatum, ut volunt Ciniflones imprudentiores.

Hoc autem præ cæteris interbibendum observandum; si ægritudo quævis ad symptomata affectionis hystericæ referenda accidat, hoc in casu per diem unum alterumve æger aquis absistat donec symptoma illud transitum Aquarum aliàs impediturum, penitus abeat. Etenim tametsi hæ Aquæ humoribus agitandis ac proinde spiritibus confusioni inducendæ minùs aptæ natæ sint, quàm Cathartica vel leniissima ex Officinis deprompta, aliquantulum tamen idem præstant, quatenus sc. diureticæ sunt; ut taceam quòd sæpe etiam ventrem movent. Quod si ipsæ Aquæ humores ac spiritus exagitando turbandoque aditum sibimet ipsis præcludant quo minùs facilè transeant, videant illi quàm importunè agunt, qui medicamenta *purgativa* per harum usum imperant, semel aut bis in septimana assumenda, vel, quod adhuc ineptius, ipsis aquis immiscenda præcipiant; Unde fit tam in his quàm in aliis aquis mineralibus, ut non solùm non promptiùs sed, & planè tardiùs ac difficilius eædem operentur.

Hîc mihi non reticendum, quòd tametsi his Aquis ferrum inesse in principiis solutis nonnullis videatur [quod idem planè est ac si *ferrum liquidum* supponamus] nullus tamen dubito quin eædem nonnisi simplices aquæ extant virtute mineræ per quam transeunt imprægnatæ ac infectæ. Quod cuipiam liquido constabit, si aquæ communis congiis aliquot satis magnam vim Clavorum veterum ex calceis equinis extractorum infuderit. Sentiet scilicet aquam hanc cui pulvis *Gallarum*, *fol. Tea*, vel similia fuerint immissa, eodem planè colore infici, ac si aqua esset fontis Mineralis. Neque sanè diversos effectus hæ aquæ sive artificiales sive inartificiales [utrum enim mavult quis appellet] eporæ edent, modò tempore æstivo, atque aere salubri assumantur.

Sed utut hoc sit, si ob contumaciam ejus hic affectus ferreis aquis minùs cedat, adeundæ sunt *aquæ calidæ Sulphureæ* quales sunt nostræ *Bathonienses*; atque æger, postquam tribus auroris continuis eas intus assumpserit, sequenti die *Balneum* ingrediatur, & postero die iterum eas bibat; idem faciendo alternatim per duos menses integros. Etenim tam in his quàm aliis, cujuscunque demum generis sint, hoc sedulò notandum, quòd in earum usu eousque ægro persistendum, donec non tantùm levamen aliquale sentiat, sed, quo minùs symptomata omnia brevi postliminiò revertant, donec omnino convalescat.

Theriaca Andromachi, vel sola, si crebro diuque usurpetur, magnum

est

est in hoc morbo Remedium. Neque verò in hoc solo, sed in aliis quamplurimis à coloris & Concoctionis sive Digestionis defectu ortis, omnium fortè potentissimum, quæ hactenus nobis innotuere, utut à plerisque fastidiatur, quòd & pervulgata sit, & à tot jam sæculis cognita.

Vina Hispanica Gentianâ, Angelicâ, Absinthio, Centaurio, Corticum Aurantiorum flavedine, aliisque corroborantibus infusis medicata, si ad aliquot cochlearia ter in die potentur, admodum conferunt, modò ægra tenui non fuerit bilioso corporis habitu. Profectò vel *Vini Hispanici simplicis* liberalior haustus horâ somni aliquot noctibus, meo suasu propinatus Hystericis nonnullis perquàm salutaris fuit, cùm ex eo robustior universi corporis habitus redderetur, ipsæque adeò fœminæ è Cachecticis vividæ simul ac vegetæ fierent.

Adhæc *Peruvianus Cortex* eximias mirandasque vires in sanguine & spiritibus confortandis invigorandisque habere nonnunquam deprehenditur, cujus *Scrupulum unum manè & sero* ad septimanas aliquot deglutitum, sanam firmamque corporis crasin (tàm Viris *Hypochondriacis*, quàm *Hystericis* Fœminis diu multumque ægrotantibus, dejectâque jam quasi corporis œconomiâ) restituisse, ipse observavi. In nullo autem Hystericorum Affectuum genere feliciùs succedit, quàm in illo quo *Spasmis* afficiuntur fœminæ, nixus edentes fortissimos & plusquam muliebres, pectora simul ferientes. Interim tamen confitendum est, quòd hoc medicamentum non ita certò crebroque huic malo succurrat, ac *Febribus Intermittentibus*. Quamvis verò (ut id obiter dicam) in harum curatione egregia præstet, ne dicam miracula, dictus Cortex, atque eodem tum ipsi nos libenter utamur, tum Uxoribus Libertisque usurpandum imperemus, quoties res postulet; sunt tamen, quibus haud minus jam displicet, quòd tàm certò subitoque morbos expugnet, quàm olim displicebat, quòd non nisi nuper his terrarum oris innotuerat. Quo quidem fato tum Optimi quique Viri, tum etiam præstantissima quæque ac φαρμακώτατα Remedia semper ferè urgentur. Veruntamen ad hanc notam, seu Lydium Lapidem, indolem nostram licet adductam experiri, atque ex indè dignoscere, Hominesne boni simus, an verò probrosi; pro gradu sc. quo vel exultamus, vel dolemus ac ringimur; quoties Publica Res hominum communi aliquo beneficio, ac Numinis favore augetur.

Si quæ verò ex remediis supra recensitis minus conveniant, quod temperamento bilioso ac tenui præditis sæpè accidit, tunc *Diæta Lactea* possit usurpari. Etenim Mulieres aliquot [quod primâ statim fronte mirabitur quis] cum Affectibus Hystericis diu conflictatæ, etiam iis qui omnes Medicorum conatus spreverant eluserantque, tandem Lacte solo aliquandiu vescentes convaluere. Atque illæ quidem maximè quæ ea specie laborabant, quam ego Colicam Hystericam appello, quæ non nisi à Narcoticis potuit deliniri; quibus itaque per intervalla repetendis multum assueverant hæ Fœminæ, dolore recrudescente ut primum emarcuerit Anodyni virtus. Id verò in hâc Curandi methodo præcipuè mirandum, quòd cum Lac frigidum tantum crudumque ali-

mentum præbeant, Spiritus nihilominus ejus usu corroborentur invigorenturque. Nec tamen hoc à ratione abhorrere illis videbitur, qui secum reputaverint, Lac, cum simplex omnino nutrimentum suppeditet, naturæ minus in coquendo negotium facessere, secus ac solent cibi ac liquores magis compositi; quodque perfectissimam illam Concoctionem æqualis sanguinis spirituumque crasis necessariò sequatur. Illud etiam est animadvertendum, quòd non nuda Spirituum debilitas per se considerata, sed eorundem debilitas ad sanguinis statum comparatorum, ἀταξίας, quam patiuntur, causa sit. Fieri enim potest, ut infanti spiritus satis tenui robustique sint pro sanguinis ratione, qui tamen debitam ad sanguinem adulti hominis proportionem non teneant. Jam verò cùm ex jugi Lactis usu & Diætâ, quantumvis illa sit cruda atque invalida, sanguis mollior & tenerior evadat, si spiritus ab eo nati sanguini pares tantùm sint, satis bene se res habet. Non omnibus tamen contingit, quantumlibet à lacte aliàs juvari potuerint, ea incommoda superare posse, quæ primis ferè diebus apportat, quòd nempe tum in ventriculo coaguletur, tum etiam viribus corporis in statu conservandis sustentandisque minùs sufficiat.

At verò nihil ex omnibus quæ mihi hactenus innotuere, adeò impensè sanguinem spiritusque fovet firmatque, ac diu multumque singulis ferè diebus *equo vehi*. Cùm enim in hâc Gymnasticæ specie impetus fermè omnis in ventrem inferiorem fiat, in quo vasa Excretoria (quotquot fæculentiis, in sanguinis massa stabulantibus, educendis à naturâ instituuntur] sita sint; Quæ tanta functionum perversio, aliave organorum naturalis impotentia vel fingi potest, cui tot succussationum millia eodem die ingeminata idque sub dio, opem non attulerint? Cujus calidum innatum usque adeò deferbuerit, ut hoc motu non excitetur, & denuò effervescat? Quæ verò sive præternaturalis substantia, sive succus depravatus in aliquo harum partium sinu recondi potest, qui non hoc corporis exercitio, vel in statum naturæ consentaneum perducatur, vel quaqua versùm dissipetur elimineturque? Quid quòd sanguis perpetuo hoc motu indesinenter exagitatus ac permistus quasi renovatur ac vigescit. Quæ quidem methodus licet Fœminis vitæ desidi atque imbelli assuetis, minus accommoda sit, utpote quæ à motu, maximè in principio, possint læsi, Viris tamen est aptissima, & sanitatem præ cæteris conciliat.

Nostrorum quidem *in Sacris Antistes*, Vir prudentiâ atque eruditione celeberrimus, postquam diu studiis intemperantius incubuerat, omnesque animi, qui permagnus ei est atque excelsus, nervos seriis cogitationibus nimio opere intenderat, tandem in *Affectum Hypochondriacum* incidit, quo diutius laborante, omnia corporis Fermenta erant vitiata, Concoctionesque penitus subversæ. Medicamentorum Chalybeatorum tædium plus semel devoraverat: Aquas Minerales ferè omnes, cum Catharsi sæpè repetitâ, fuerat expertus: Uti etiam Antiscorbutica omnium generum, pulveresque Testaceos quamplurimos, sanguinis edulcorationem promittentes. Ita partim morbo, partim medicatione per tot annos continuatâ, tantùm non fractus, *Diarrhœa Colli-*

quæ-

liquativa [quæ in *Tabe*, aliisque Morbis Chronicis, ubi omnes omninò Digestiones sunt prostratæ, mortem anteire solet] demum corripiebatur. Ubi me tandem consuleret, statim mecum reputavi Pharmacis nullum amplius locum relinqui, cùm tot tantaque nullo cum fructu jam deglutiverat. Suadebam itaque ob causas suprà memoratas, ut statim se Equo vehendum curandumque traderet; modico primùm itinere, quale ferre possit valetudo ita infirma, ut, nisi judicio valuisset rerum interiora altiùs penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci. Rogabam autem, ut quotidiè in eo persisteret, donec ex animi sententia convalesceret; majora indies spatia gradatim conficiens, donec tandem ad tot milliaria ascenderet, quot uno die percurrunt prudentiores ac moderati Viatores; qui iter longiusculum negotii alicujus gratiâ susceperunt: Nullo interim sive ad cibos, sive potum, sive etiam aeris temperiem respectu habito, sed ad instar Itineranti omnia, prout fors dederit exciperet. Ne longior sim, hanc ille viam incessit, productis gradatim itinerum spatiis, donec tandem ad vicesimum, imò ad tricesimum usque lapidem quotidie vectaretur: cunque se longè meliùs habere post pauculos dies experiretur, ipso rei eventu penè mirabili animatus in eodem cursu ad menses aliquam multos perseverabat, quo temporis spatio plura miliarium millia, quod ipse mihi narrabat, emensus est, donec tandem non convaluerit modò, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum fuerit indeptus.

Neque magis *Hypochondriacis* prodest hoc exercitii genus, quàm *Tabidis Phthisicisque*, quorum nonnulli mihi sanguine juncti multum terrarum equo vectore peragrantes, ex meo consilio, sanitati sunt restituti; cùm certò sciam me vel Medicamentis quantivis pretii, aut aliâ methodo, quæcunque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse, quàm si multis verbis hortatus fueram, ut rectè valerent. Neque in levioribus tantùm malis, crebrâ tussi & macie stiparis, id remedium obtinuit, sed & in *Tabe* tantùm non deploratâ, ubi *nocturnis sudoribus* jam etiam accesserat *Diarrhœa* ista superiùs dicta, quæ Phthisi confectis mortis prænuntia solet esse, atque adeò ut plurimum ultima rerum linea. Verbo dicam, Quantumcunque exitialis *Phthisis* & sit & audiat, utpote quâ intereunt duo ferè Trientes eorum quos *morbi Chronici* jugulant, hoc tamen sanctè assero, quòd neque *Mercurius* in *Lue Venerea*, neque *Cortex Peruvianus* in *Intermittentibus* efficaciores extent, quàm in *Phthisi* curanda *Exercitium* jam laudatum; modò æger curet, ut linteamina lecti probè fuerint arefacta, atque etiam ut satis longa itinera emetiatur. Attamen hoc notandum quod vitæ ἀκμὴν prætergressis multo diutiùs in hoc exercitio persistendum, quàm infra istam ætatem positis. Atque hoc multiplici experientiâ, quæ vix me fefellit unquam, didici: Et licèt equo vehi Phthisicis præcipuè conferat, tamen & itinera curru facta mirandos sanè effectus quandoque ediderunt.

Sed ut ad propositum revertar. Hæc est Generalis hujusce morbi curandi ratio, quâ causæ originariæ, quæ est debilior sanguinis crasis, occurritur; ac

proinde extra Paroxysmum tantùm locum habet. Quoties verò *Paroxysmus* invaserit adjuncto quolibet ex prædictis symptomate, si tale aut tantum sit malum ut inducias ferre nolit, donec, sanguine & spiritibus corroboratis, quasi per ambages sanari possit, confestim ad Remedia *Hysterica* ista confugiendum est quæ odore viroso ac gravi Spiritus, ut dixi, exorbitantes ac delertores, in proprias stationes remandant, sive intra corpus sumantur, sive naribus admoveantur odoranda, sive exteriùs applicentur; cujusmodi sunt *Asa fœtida*, *Galbanum*, *Castoricum*, *Spiritus salis Armoniaci*, & quicquid est denique quod odorem tetrum admodum ingratumque spirat.

Hic enim quod res est dicam. Quæcunque fœtent, ea omnia Intentioni huic apprimè inserviunt, sive natura, sive etiam ars ea putido odore donavit. Atque, ni fallor, *Spiritus C. C. Sanguinis humani*, *Vinæ*, *Ossium* ac similium, inde præcipuas suas vires acquirunt, quòd, dum vi ignis præparentur, Empyreuma contrahant tetrum ac malè olens, quasi essentiæ eorum intimius annexum. Quod pariter cernitur in fumis à Corio, Pennis, & id genus Animalium partibus, cùm exurantur, exhalantibus. Et enim id habent commune singulæ Animalium substantiæ, ut inter exurendum fumum emittant olidum & olfactui ingratum; qui si importuno ig ne affatim eliciatur, ac Organis excipiatur condensatus is in liquores istos abit ac convertitur, qui *Spirituum Volatilium* nomine insigniuntur, quique facultates eas facilè repottant quæ subjectis suis, haud primitùs inerant; utpote qui *Ignis* solummodò *Creaturæ* existunt, & singuli eorum eandem planè Virtutem cum cæteris nanciscuntur, ex quacunque demum substantiâ [modò *Animalis* ea sit] procudantur extrahanturve.

Proximo loco animadvertendum est, quòd si paroxysmum comitetur *Dolor* aliquis intolerabilis in quâcunque demum parte, aut *Vomitio* enormior, aut etiam *Diarrhœa*, tunc præter Hysterica jam laudata, *Laudanum* in usum revocari debet, quod solum vires habet his symptomatis cohibendis prorsus pares.

At verò in iis doloribus sedandis, qui Vomitiones excitant, cavendum est sedulo, ne illi sive Laudano, sive alio Paregorico mitigentur, non præmissis debitis Evacuationibus, nisi patientiam ferè humanam omnem vicerint. Primùm, quia tanta nonnunquam sanguinis & humorum copia est aggesta (maximè in fœminis sanguineo, & Masculis propriore habitu præditis (quanta Narcotici vel efficaciissimi, ejusque sæpius reperiti, operationem valeat suffla minare. Unde in talibus sanguis è brachii venis necessariò est extrahendus, & Catharticum eis propinandum est, antequam ad Laudani usum accedamus; his enim ritè peractis, quod priùs vel in maximâ dosi exhibitum, nihil proficiebat, jam in dosi mediocri scopum attinget. Deinde quia multiplici experientiâ edocti sumus, quod quoties ægra paulatim Laudano assueverit, non præmissa evacuatione debitâ, necesse habuit ob dolorem mox ab evanescente remedii virtute denuo revertentem, Paregoricum rursus ingerere, idque

quoti-

quotidié annos aliquot continuos, dosi subinde per gradus auctâ, ita ut nullo modo jam à Laudano abstinere queat, licèt omnes ab illo digestiones vitientur & functiones naturales debilitentur. Quamvis non sentiam Laudani usum sive Cerebro, sive Nervis, sive Facultatibus Animalibus immediatè nocere. Judico itaque ego, quod expertus loquor, Evacuantia Anodynis debere præmitti: v. g. Viraginibus & fœminis in quibus sanguis prædominatur, Vena secanda est, & alvus subducenda, præsertim si non jam à longo tempore paroxysmo fuerint correptæ. Si verò fœminæ debiliores, & quæ temperamenti à prioribus illis planè diversi sunt, hujuscemodi paroxysmo & dolore affligantur, atque eodem subinde haud ita pridem laboraverint, sufficiet eorum ventriculos Congio uno, plus minus, lactis Cerevisiati hausto, & mox per vomitum rejecto detergere; dein largam dosin imperare sive *Theriacæ Andromachi*, sive *Electuarii Orvietani*, & cochlearia aliquot liquoris alicujus spirituosi & gustui non ingrati cum paucis Laudani liquidi guttulis superbibenda.

Quod si ægra jam pridem vomuerit, antequam accerseretur Medicus, & metus sit ne si Emeticis ulteriùs sollicitetur, in furorem agantur spiritus, & ægræ vires nimium dejiciantur, hoc in casu *Laudanum* sine morâ propinari debet, eo dosis modo numeroque, quæ symptomatis magnitudinem ac durationem non tantùm exæquare possit, sed & vincere.

Duo autem hîc præ cæteris diligenter sunt notanda. Primò, quòd cùm semel post evacuationes justas & necessarias, Laudano uti cœperimus, eâ dosi, atque illâ toties repetitâ, sumendum est istud Pharmacum, donec symptoma omnino fuerit debellatum; interjecto tantùm spatiolo inter singulas doses, ut quid prior præstiterit antè noscamus, quàm alteram repetamus. Sed de hoc fusiùs alibi egimus. Deinceps dum Laudano morbum aggredimur, nihil prorsus movendum est, nihil evacuandum, cùm vel mitissimum illud Enema è lacte Saccharato possit destruere, quicquid reparaverat Paregoricum, & tam dolorem quàm vomitionem postliminiò revocare.

Utut verò dolores, quod jam innuimus, suprà memorati importuni sint in Anodyno efflagitando, tamen Vomitiones enormes & dosin ejusdem longè maximam & sæpissimè repetitam indicant, cum ab inverso motu ventriculi peristaltico [quo in eo contenta versus inferiora erant protrudenda] remedium Paregoricum prius eliminetur per œsophagum, quàm opis aliquid afferre queat, nisi post singulas Vomitiones Narcoticum de novo toties quoties iteretur, idque in forma potissimum solida; aut si in liquida detur, vehiculum ita parcum esse debet, ut ventriculum imbuat tantum, & præ materiæ inopia ab illo sursum evehi nequeat. v. gr. *Gutta aliquot in cochleari uno Aq. Cinnamomi fortioris*, aut similis. Monenda interim est ægra, ut statim ab assumpto Laudano conquiescat, ac caput præsertim quantum fieri potest immotum teneat; quando vel levissimus capitis motus præ cæteris omnibus Vomitionem provocet, unde medicamenti modo deglutiti jactura fit. Quinimo etiam cessante & quasi perdomita Vomiturition, expedit Anodyno ad

pauculos dies mane & sero exhibito, ceu injecto fræno, recidivam præcavere. Quod itidem post dolorem Hystericum Narcotico sedatum, aut Diarrhœam, omnino observari debet.

Atque ita demum methodo jam tradita & *Dolori* & *Vomitioni* symptomaticis mederi in promptu est; à quibus, cùm aliorum persæpe morborum speciem præ se ferant, Medicis facilius imponitur, quàm ab aliis quibuslibet symptomatis, quotquot manum medicam deposcunt, de quo pauca subjungam v. gr. in ista Hystericæ Affectionis specie jam descriptâ quæ *Paroxysmum Nephriticum* imitatur, quis non videt quanta sit paritas morbi utriusque & similitudo, tum quòd pars eadem utrobique doleat, tum quod in utroque affectu vomituriant ægræ, cum tamen à causis ita ab invicem variantibus pendeant, & tam impari methodo debeant sanari, ut quod in hoc lædat, in illo juvet, & è contrà? Si enim sive *Calculus*, sive *Arenulæ* Renum substantiam atterentes, dolorem inferant, atque ex partium consensu Vomitionem, nihil æquè conducet ac prælarga & frequens Causæ Antecedentis per Phlebotomiam revulsio, tum ut dilatentur laxenturque meatus, per quos Calculus excludendus est, Enematis emollientibus sæpenumerò repetitis, aliisque ejus generis remediis internis: Quibus Medicamenta Diuretica, & Lithontriptica addenda sunt. Jam si dicta symptomata à Calculo nullatenus oriantur, sed à spiritibus Animalibus nimiâ copiâ Renes impetentibus (quo in casu Paregorica tantùm indicantur, nec vel Enema è mitioribus, post primas Evacuationes, sine periculo injicitur,) in quanto viræ discrimine versetur infelix ista de cujus jam corio luditur, non opus est dicere. Idem potest affirmari de affectu illo Hysterico qui *Colicam Biliosam*, vel *Iliacam Passionem* simulat. Hic ubi pro concesso habeatur Affectum istum (licèt indolis omnino sit diversæ, imò contrariæ) Colicam Biliosam esse, & ab humore acri in viscera per Arteriatum Mesentericarum oscula excreto nasci [in quem errorem dolor intolerabilis, & viridis color qui in materiâ cernitur tam per os quàm per sedem expulsa, Medicum incautiorem & cogitationibus minus assuetum haud ægrè perducant,) quæ methodus tam commoda, quàm ut in contemperandâ, remediorum Refrigerantium atque Incrassantium ope, humorum acrimoniâ operam locemus? Atque, quo humores è visceribus exterminentur, præter Enemata quotidiana, ut Cathartica frequenter propinemus; inter cætera verò etiam Mercurium dulcem Diagrydiatis permixtum ad pleniorem materiæ morbificæ eradicationem? Quàm malè autem cum ægris agatur, quantumque eis periculum immineat, dum huic methodo insistamus, si Affectus qui Colica biliosa censetur, re ipsâ Hystericus tantùm fuerit, aut Hypochondriacus nemini non liquet: cum clamet experientia, quò post primas evacuationes universales (quæ humorum putrescentium, quos peperit ἄτοξια jam sæpe dicta, quique Anodynis obstaculo esse possint, saburræ amoliendæ dicantur,) nihil jam restat nisi ut tumultuantes spiritus consopiamus, donec tandem symptomata euanuerint, atque iis cessantibus opportune Chalybeata imperemus, vel si quod aliud est remedium quod sanguinem accendendo atque

que invigorando morbum radicitus extirpet. Meum non est plurimas atque ingentes illas calimitates enumerare, quas Fœminis contigisse ipse novi, ubi Collica hæc Hysterica à Bile ortum ducere existimaretur. Veruntamen affirmo Evacuationes sæpe repetitas, quæ quidem in Colicâ Biliosâ omnino indicantur, dolorem vomitumque non solum non compescere, sed irritare magis, spirituum sc. perturbationem, quæ vera horum symptomatum causa est, promovendo Tandemque malum ad menses aliquot prolongatum, meratheſi derepentè in cerebrum factâ, desinit in *Spasmos*, à quibus ægra brevi è medio tollitur; idque vel maximè, ubi post alias evacuationes diutius repetitas, suadente colore viridi eorum quæ per os è ventriculo excernuntur, Emeticum fuerit propinatum. Verbo dicam. Si quid ego observando didici, imprimis cavendum est, ne Symptomata Fœminis Hystericis familiaria ab aliis quos sæpe æmulantur morbis, diagnosi errante putentur oriri.

Hîc non est reticendum, quod præter errores jam recensitos, à quibus Fœminæ Affectibus Hystericis obnoxiæ de vita periclitantur, permultæ insuper errore non minus funesto dictis Affectibus multantur eâ tempestate, quâ hic morbus, licèt suâ naturâ non sit lethalis, tamen vi malorum ἐπιγινομένων ac subsequentium haud pauca è medio tollat. Exempli gratia: Fœmina teneriori atque infirmo corporis habitu Infantem parit, cui omnia fœliciter & secundum naturam cedunt: Obstetrix, sive rudis & imperita, sive jactabunda, & quàm præclarè suo illa munere functa sit palam ostentans, suadet ut Puerpera paucis à partu diebus surgat, & se à lecto aliquandiu abstineat, hæc morem gerens, statim à primo corporis motu *Affectione Hystericâ* corripitur, & pro ratione qua morbus inaugescit, *Lochia* primum imminuuntur, deinde sistuntur penitus; quorum suppressionem præmaturam longa symptomatum series excepit: quæ, nisi permagna tam diligentia quàm in medendo peritia intercedat, ægram brevi perimunt. Nonnunquam enim *Phreneſi* laborant ex hac occasione, quæ indies efferatior reddita *Spasmos* primùm, dein mortem affert: Si verò mortem evadant, mitiùs aliquantulum insaniunt, quandoque ad ultimum vitæ terminum. Nonnunquam post lochiorum suppressionem in *Febrem* incidunt, quæ vel in earum, quæ tum grassantur, Epidemicarum castra transit, vel ab eâ solâ pendet origine. Adde quòd iidem Affectus Hysterici, quibus Lochiorum suppressio imprimis debetur, jam magis sæviunt, tanquam ex se denuò nati. Diu est à quo mihi subiit in mentem, quòd ex eis quæ moriuntur Puerperis, vix Decima quæque, ut modestè computemus, vel ex eo perit quòd vires partui necessariæ eam defecerint, vel ex doloribus partum laboriosiorem comitantibus; at eo maximè nomine, quòd debito citiùs lecto exurgat, excitatis à motu illo paroxysmis Hystericis, à quibus cum sistantur Lochia: mox ingens ineluctabilium symptomatum turba ingruit. Quamobrem istis quæ me audiunt ubique Author sum, ut ad *diem* saltem *Decimum* usque in lecto se contineant, si modò naturâ paulò debiliores sint, præcipuè si *Vaporibus*, qui vulgò dicuntur,

jam-

jampridem fuerint tentatæ. Præterquam enim quòd ista, quâ in lecto fruuntur, quies à malis jam toties commemoratis eas immunes præstet, non interruptus lecti calor spiritus pariter reficit tum à pariendi doloribus, tum ab evacuationibus in hoc casu solennibus exhaustos fractosque; quinimò & naturæ suppetias fert, atque omnes, quas gestationis tempore mulier congesserat, crûditates digerit & amolitur.

Verum, si ab admisso hoc errore quodvis è dictis symptomatis supervenerit, Indicationes Curativæ eò dirigendæ sunt, ut spiritus ab hoc motu jam irrequieti redditi sedentur, & ut *Lochia* rursus fluant, quandoquidem eorum suppressio horum symptomatum causa sit proxima atque immediata. Neque tamen huic methodo pertinaciùs insistendum, sed exhibitis aliquandiu remediis quæ in hoc casu cum successu usurpari solent, si votis ea non respondeant, ab iis temperandum est; cùm neque fortiora hîc locum habeant, neque in mitiorum usu perseverare debeamus, propter attritas & ferè prostratas Puerperarum ita affectarum vires. Exempli gratia, ubi primùm Lochia jam supprimi constat, è re fuerit fœminam è vestigio lecto addicere, mox *Emplastrum Hystericum* umbilico admovere, atque quamprimùm *Electuarium* sequens propinandum imperare. Ut ℞. *Conserv. absinth. Roman. & rutæ an.* ℥j. *trochisc. è myrrha* ʒij *castor. croci Angl. sal. volatil. salis Armoniaci, & asæ fœtidæ an.* ʒß. *cum s. q. syr. de 5. radicibus, f. Electuar. Cap. ad magnitudinem nucis moschat. majoris tertiâ quâque horâ, superbibendo seq. Iulavii cochl.* iiij. *vel* v. ℥ *aq. rutæ, bryon. comp. an.* ℥iij. *sacchari Cand. q. s. mf. f. Iulap.* Atque hæc, si statim à primo suppressionis indicio exhibeantur, hoc malum plerunque devincent. Sin autem dictis Remediis eousque continuatis donec rota quantitas assumpta fuerit, Lochia adhuc supprimantur, hoc in casu *Laudanum*, unâ saltem vice, tentandum. Hîc Laudanum, quantumlibet suapte indole astringat, cùm tamen spirituum perturbationem, à quâ solennis Lochiorum evacuatio fuerat interrupta, compescat, quandoque plurimùm juvare, &, *Emmenagogis* nihil proficientibus, Lochiorum fluxum postliminio revocare possit. Commodissimè verò Narcoticâ unâ cum *Hystericis* & *Emmenagogis* propinantur; v. g. *Laudani liquidi guttæ* xiv. *in Aquâ Bryoniæ compositæ*; vel *Laudani in forma solida granum unum semis cum scrupulo dimidio Assæfœtidæ in Pilulas duas redactum.* Sedulo interim animadvertendum est, quod si telo hoc semel misso scopum non attingamus, nec sequantur Lochia, *Opium* nullo modo est repetendum, ut in aliis casibus fieri solet ac debet: Etenim si reiteretur hîc Paregoricum, Lochia ita potenter sistet, ut ea nullâ deinceps arte provocari queant. Verum enim vero si & hoc minus succedat [interjecto aliquo temporis spatio, quo certiores simus quid istud præstiterit] ad medicamenta iterum Ἐμμηναγωγὰ Hystericis permixta redeundum est, & dein ad *Enematis ex Lacte saccharato* injectionem. Vetum quod de *Opio* suprà, hîc de *Enematis* dicendum est; nisi enim primo injectum Lochia educat, nihil prorsus à pluribus est sperandum: cum unum

humo-

humores leniter sollicitando, ut fluant Lochia efficere possit, plura vero eadem aliò divertant. His itaque peractis, [quæ tamen leviter tangenda sunt) tutissimum est, & Prudentis Medici officium, temporis συμμαχίαν præstolari; cum singulo quoque die curationis negotium magis magisque extra aleam ponatur, & si ægra *Vicesimum diem* superaverit, jam ferè in vado est. Etenim cum à morbo, quisquis is fuerit, jam diuturniori fœmina aliquantisper respiraverit, viresque quadantenus receperit, eam methodum valebit ferre quæ aptissima videbitur isto malo averruncando quod à Lochiorum suppressione accreverat: quando remedia obstinatius ingesta, primis ne hilum promoventibus, tum etiam spirituum perturbationem, à quâ morbus oritur, augere possint, quod sedulo advertendum velim.

Nuper Matrona, tam natalibus quàm moribus honestis ac probis, me sibi Medicum volebat: huic ex modò dicta occasione statim à partu paroxysmis Hystericis affectæ, Lochia penitus defecerant. Conabar medicamentis suprà memoratis eadem proritare; at frustrà, Affectione Hysterica vehementiore omnem opem medicam respuente. Unde, cum ita demum eam salvam fore præviderem, si nihil prorsus molirer, rem omnem Tempori, Medicorum facilè Principi ac Coryphæo, committendam censui. Hoc meum consilium ad diem usque Decimum quartum optimè illi cessit; quotidie enim illam invisens, nullo die eam in pejore loco, quàm pridiè fuerat, deprehendi: Post hunc mulierculæ adstantes, quas hactenus à noxa illi sub officii specie inferendâ ægrè arcueram, Maritum impellebant, ut sine mora sanguinem è pede uxoris extrahi curaret: quo facto, Paroxysmi Hysterici adeo invalescebant, ut intra paucas horas Spasmi accederent, & non ita diu posteà, ærumnarum requies, Mors.

Et si fas mihi sit liberè quæ sentio effari; jamdiu in ea Hæresi fui ut arbitrarer me, non tantum in dictis Puerperarum morbis, sed etiam in Acutis omnibus, ubi Curationem ab hac illave, quâ uti placet, methodo certo insecuturam polliceri nequeam, & Viri & Medici Boni Probique pulchrè defungi munere, quoties nihil omnino tento, modò ægrum invisens, illum non se pejus habere hoc die quàm heri habuit comperiam, nec cras habiturum quàm hodiè conjecturâ assequi possum. Cùm si in ægro curando eâ methodo incedam, de cujus efficaciâ nondum mihi certò constet, tam ab experimento quod ex eo capturus sum, quàm ab ipso morbo is periclitabitur: Neque ita facilè geminum discrimen effugiet, ac simplex erat evasurus. Quamvis enim impræsentiarum nullum vel incipientis Convalescentiæ signum manifestum se prodat, certissimus tamen sum morbi Acuti cujuslibet naturam non ferre ut quis eo semper laboret: ac proinde dies quilibet res ægri magis magisque in tuto collocat, vel saltem Medico ansam præbet, ex quâ opportunius ac certiùs morbum feriat confodiatque, quàm in præcedentibus liceret. Quod quidem uti de Acutorum pleriſque verè affirmatur, ita præcipuè de Puerperarum morbis, quibus error vel leviusculus

fatalis esse possit; & in quibus ita parùm valeamus naturalem illam Evacuationem regere, à cujus suppressione mala, de quibus diximus, proveniunt.

Cùm verò *Affectus Hysterici* non semper primariæ causæ, spirituum nempe debilitati nativæ, sed adventitiæ aliquando originem suam debeant, hujusmodi itaque causam, antequam finiam, hîc recensere libet, quæ frequentissimè *Vaporum*, quos appellant, pararia existit. Atque ea est *Fluxus mensium immodicus*, sive in *Puerperio*, sive extra idem invadat. Quoad primam speciem, ea primis diebus post partum laboriosiorem maximè infestat, & longâ symptomatum hystericorum catervâ stipatur. Et sicuti in primis hisce diebus solum ingruit ac urget, ita etiam brevi se propipere solet. Etenim si victus paulò incrassans instituatur, facilè abigitur; cui & sequens potus addi poterit.

Assumatur *aq. plantag. & vini rubri an.* ℔j. *Coq. simul ad tertias, & deinde edulcoretur s. q. sacchari albiss. Cujus, cum frigescat, capiat.* ℔ß *bis vel ter in die.* Interim *julapium* aliquod *Hystericum*, at satis mite, subinde propinetur, & *nodulus* seq. naribus admoveatur. ℞. *Galbani & Assæ fœtid. an.* ʒij. *Castor.* ʒiß. *sal. succini volatilis* ʒß. *m. f. nodulus.* Vel ℞. *spir. salis Armoniac.* ʒij. quem sæpius olfaciat.

Quod verò ad hujusmodi *extra Puerperium fluxum* attinet, licèt idem omni tempore fœminis accidere solet, eas tamen paulo ante tempus illud quo sponte sua omnino menses cessaturi, sæpissimè invadit; circa ætatis scilicet annum 45. si modo temporiùs fluere inceperant, circa autem 50. si serius in vita prius prorumpebant. His, uti dictum, paulò ante totalem eorundem discessum [instar Candelæ jam fere absumptæ deflagratæque, quæ subito flammam edit insigniorem, mox penitus dispariturum] cum magno impetu affatim excidunt, & ob copiam sanguinis ingentem qui continuo excernitur, in paroxysmos hystericos ferè continuos miseras dejiciunt. Hîc licèt *Histerica* tam interna quàm externa obiter usurpanda (fortiora devitando ne fluxum ulterius ea provocent,) omnis tamen curationis cardo in menstruis cohibendis vertitur, quæ hunc in modum quàm primùm sistenda.

Mittatur sanguis è brachio ad ʒviij. Seq. manè exhibeatur *potio purgativa communis*, quæ repetenda est tertiâ quâque die per duas alias vices; & singulis noctibus per totum morbi decursum sumat *Paregoricum ex syr. de meconio* ʒj.

℞. *Conserv. rosar. siccar.* ʒij. *trochisc. de terrâ Lemn.* ʒiß. *Cort. granator. & Coral. rubr. præp. an.* ℈j. *lapid. hæmatit. sang. dracon. & bol. Armen. an.* ℈j. *cum s. q. syr. è Coral. simpl. f. Electuar. de quo sumat ad magnitud. nuc. Moschat. maj. mane & quintâ pomerid. superbibendo seq. Julapii Cochl.* vj.

℞. *Aq. germin. quercus & plantag. an.* ʒiij. *aq. Cinnamom. hord. & syr.*

Syr. de rosis siccis an. ℥j. Spir. Vitriol. q. s. ad gratam aciditatem.

℞. *Fol. Plantag. & urticæ an. q. s. contundantur simul mortario marmor. & succus exprimatur, qui postea clarificetur. Cap. cochl.* vj. *frigidè ter vel quater in die.* Post primam purgationem applicetur *Emplastr.* seq. regioni lumborum. ℞. *Emplastr. Diapalm. & ad Herniam an. part. æqual. m. s. extendatur super Alutam, & s. Emplast.*

Diæta refrigerans incrassansque imperanda, nisi quòd è re erit semel vel bis in die Vini Clareti haustulum Ægræ indulgere, quod etsi minùs conveniat in quantum ebullitionem ciere aptum natum sit, ad vires tamen refocillandas concedi possit. Atque hæc quidem methodus ut fœminis hoc modo affectis apprime proficua sit, ita eadem iis, quibus *Abortus* periculum imminet, non minùs confert. Atqui Cathartica & Succi hîc ommittantur.

Est & alia, etsi minus frequens, affectuum hystericorum causa. Nempè post partum laboriosiorum *Uteri procidentia*, magnam hujusmodi malorum Iliada secum trahens, quæ tamen citò ac facilè hoc modo sanatur. ℞. *Cort. quercus* ℥ij. *Coq. aq. font,* ℔iiij. *ad* ℔ij. *sub finem addendo Cort. granator. contus.* ℥j. *rosar. rubr. flor. granator. an. M.* ij. *deinde adde Vini rubri* ℔ß. *Colatura sit pro Potu, qui cum pannis laneis parti affectæ admoveatur manè horis duabus antequam è lecto assurgat, & nocte post decubitum donec symptomata penitus evanuerint.* Sed de his plus satis.

Habes tandem, Humanissime Vir, eorum summam quæ à me in hujusce morbi sive Historiâ, sive Curatione hactenus fuerint observata. Restat ut si quid fortè peccaverim, ista minus quàm oportuit occuratè describens, veniam à te petam; tum ut opellam hanc, eo animo exaratam ut gratias tibi referrem, quòd alia nostra conamina, qualia qualia illa fuerint, tuo calculo probare haud dedigneris, æqui bonique consulas. Quæ quidem Gratulatio mihi ita rarò obvenit, ut vel nihil prorsus ab hominibus sim promeritus, vel candidi ingenuique isti, quos eâ mentis præstantiâ natura effinxit, ut grati esse nôrint, perpauci sunt; Vix totidem quot *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.* Quo non obstante pergo adhuc, imò & pergam, in ediscendâ promovendaque quoad potero Methodo Curandorum morborum, atque iis, qui me minus in Praxi valent (si qui sunt ejusmodi) instruendis. Famæ meæ interim arbitrium penes alios sit. Æqua enim lance & scrupulosè expendens, Hominesne juvare præstet, aut ab iisdem celebrari, prius illud præponderare comperio, & maximi sanè momenti esse ad Animi Tranquillitatem; Famam vero populique halitum pluma leviorem aut bulla, atque umbra insomnii magis evanidum. Quod si opes ejusmodi nominis celebritate partæ majus aliquod pondus habere videantur, fruantur illis per me licet, qui jam corraserint; Meminerint tamen Mechanicorum nonnullos, artes vel sordidissimas exercentium, uberiorem quotidiè quæstum facere, & majorem Auri Argentique vim posteris legare; neque tamen in hoc Brutis Animalibus superiores evadere; qui sibi suisque pro sua indole prospiciunt; &, si recta ex animi

arbitrio & virtute, nata excipiamus (quorum non est capax Brutorum natura) hos planè exæquant Belluæ, imò & alios qui non eum sibi vitæ scopum proponunt ut prosint quamplurimis. Commendatum me habeas, rogo. Viro sagaci & eruditissimo Domino *D. Kendrick*, tibi mihique amicissimo; utpote cui debeam quod tuum in me ita propensum animum resciverim, eamque qua me complecteris amicitiam, eo internuncio, didicerim. Conabor quantum in me est, mutuas officiorum vices reddere, & par pari referre, utpote qui sim jure meritoque, Vir Dignissime,

Londini,
Jan. 20. 168$\frac{4}{5}$.

Tibi Devinctissimus, Tuique semper Studiosissimus

THOMAS SYDENHAM.

DE variolis hactenus Clarissimus noster Autor, in variis hujusce Operis locis, ac præcipue in primis ultimæ hujus Dissertationis paginis, accuratissime pro more scripsit, ejusque morbi contagium inter homines tum juniores, tum etiam adultos & senes, ita sub inde se spargens, ut ejus necessitatem, si ita loqui liceat, vix ex centenis pauciss simi evadant, abundè explicuit, curamque, tam atroci quandoque morbo aptissimam exhibuit. Verùm in eôdem argumento aliquid se nobis offert infrequentius ac minùs familiare; contagium scilicet Variolicum Armenta quandoque invadens, de quô docte ac prelegauter commentatus est Clarissimus Ramazzini, postque eum Clariss. Dnus. Herment, Medicus in Galliis Regius, ac Peritiss. Dnus. Droüin Legionis Prætorianæ, ibidem chirurgus Primarius, in id à Rege Christianissimô deputati. Horum autem ultimorum Schedas hic omittimus, unicâ Clarissimi Ramazzini Dissertatione, quam jam exhibemus contenti. Illa autem sic inscribitur, & hæc est.

DE

DE
CONTAGIOSA EPIDEMIA

Quæ in Patavinô Agro, & totâ ferè Venetâ ditione in Boves irrepsit

DISSERTATIO *Habita in* PATAVINO *Lyceô*

A

BERNARDINO RAMAZZINI

Practicæ Medicinæ Professore Primario

Die IX. Novembris MDCC. XI.

Serenissimo VENETIARUM DUCI

JOANNI CORNELIO *Dicata.*

SI veri speciem præfert quod vulgò dici consuevit, & apud Sapientes quoque receptum, Consuetudinem vim quandam legis obtinere, ut, qui illam violarit, si non plecti, laudari tamen haud quaquam mereatur, qualem mihi legem ipsemet imposuerim, modò quamvis serò nimis agnosco. Etenim cum annus iste secundi Sexennii, ex quo in hoc celeberrimo Lyceo Practicam Medicinam profiteor, sit complementum, ac quotannis in solenni studiorum Instauratione, ut diù feriatam Iuventutem ad Studia capessenda allicerem, Oratione aliqua proludere consueverim, nunc mihi jam effœtis corporis atque animi viribus, quanto ætas prædatrix omnia secum aufert, magnum onus incumbere video, si consuetudini meæ nondum interruptæ obsecundare velim, ac vestram expectationem non omninò fallere. Audendum tamen ratus, in unum coactis, qui supersunt spiritibus, ita me comparaveram, ut quod antea præstiteram, hoc anno quoque pro viribus præstarem. Post aliquot igitur meditationes, argumentum non incuriosum, ut reor, nactus fueram, circa quod ingenii mei vires exercebam, cum præsens hæc autumnalis Constitutio præter modum insolens, atque ominosa, Opus quod moliebar, & ad umbilicum penè deduxeram, mihi è manibus excussit, & aliud argumentum à Medicis amœnitatibus longè diversum suscipere coegit, vestra tamen attentione A. O. non

indignum. Nemo non novit, quam inopinatè, quam violenter Bubulum genus dira Contagio pervaserit flammæ ad instar, quæ ope nulla humana consopiri, ne dum restingui potuerit. Hæc primùm quidem in Vicentino Agro subobscurè observari cœpit, mox in Patavinum transgressa, apertè se prodidit, ac longè latèque effusa, usque ad ipsa Urbis Pomœria, tam magnam ac horrendam Boum stragem edidit, ut tum Rura, tum Civitatem mœrore, ac metu complerit. Mœret rusticana Plebs, imò stupet attonita, dum ampla Bovilia vacua, ac deserta intuetur, dum quotidiè ferè Tumulos adspicit, in quibus sepulta sunt Fortunæ suæ pignora, propriis natis forsan etiam cariora, dum Bobus extinctis, Equos ad Frumenti sationem parum aptos cogitur sufficere.

Quid labor, aut benefacta juvant, quid vomere terras
Invertisse graves?

Sic miserandam Agricolarum sortem deflere libet cum Poetarum Principe, qui tertio Georgicorum huic non absimilem Boum cladem carmine descripsit. Mœrorem dissimulare nequeunt Cives, & Nobiles Viri, dum prædia sua, & Villas, præcipuo ornatu, & patrimonio orbatas intelligunt, atque etiam vident. Tristatur, ac dolet Plebs urbana, dum Annonæ, rerumque omnium, quæ ad victum spectant, charitatem brevi secuturam prænoscit. Nemo est igitur, quæcunque sit ejus conditio, qui damnum aliquod non sentiat, & graviora quoque non timeat. De hac igitur tam portentosa Boum clade hodierna hac mea Dissertatione, seu potius prælectione, quam hoc Anno ad tractatum de Febribus, ac præsertim de Febre maligna ac pestilenti, sum habiturus, verba facere constitui, hujus morbi Indolem, causas perveſtigando, quibus remediis illi obviam sit eundum.

Nec obtrudat quisquam, in hoc tam celebri Lyceo, ab hac Exedra, quæ ordinis sui primarum obtinet, indecorum esse pro Hippocratica doctrina M. Varronis, Palladii, Columellæ, Vegetii, aliorumque Veterinariæ Artis Scriptorum documenta tradere, regeram enim ego, magnum Hippocratem, cui nullius rei scientia vilis habita est, non puduisse de Boum morbis verba facere, in Libro enim de Articulis, rationem adfert, cur Bobus tam facile contingant femorum luxationes, Præterea si Congruentia, quæ omnibus in rebus momentum habet non leve, hic quoque suam meretur animadversionem, tractatio de hac Boum Epidemia nostri muneris est, Illustrissimi, & Spectatissimi Professores, Vobis quæso succurrat, quonam in loco nos simus, & Professorium munus exerceamus? Nonne in Lyceo, cui à Majoribus nostrs Bovis nomen est inditum? neque inauspicatò, quando Bos iste suis mugitibus, hoc est Doctrinæ robore totum litteratum Orbem implevit, ut nulla pars sit tam longe dissita, quæ ad illius celebritatem non reboet, ac ubi non colatur magis illius nomen, quam olim Serapis in Ægypto. Si ergo sub signo Bovis militamus, si Bos iste nos pascit, quis erit tam vecors, seu tam malignæ Indolis, qui indecorum putet provinciam hanc suscipere, quam de-

detrectare velle impium, & nefas esse; eòque magis, quò ab Excellentissimo Magistratu, qui sanitatis tutelæ Venetiis præsidet, ac postremò ab ipso SERENISSIMO PRINCIPE demandatum est celeberrimo huius Civitatis Medicorum Collegio, seriò exquirere, quænam sit hujus morbi conditio, quæ causa, & quibus præsidiis ferocienti in dies malo possit occurri.

Affectionis genus, quod Bubulo generi bellum ad internecionem usque videtur indixisse, ex frigore, rigore, horripilatione, mox ex calore acri, & vehementi per universum Corpus diffuso cum pulsus frequentia, febrem esse satis liquet, malignam vero, exitialem, pestilentialem etiam, si mavis, esse apertè testantur, quæ illam comitantur symptomata; qualia sunt, magna anxietas, & gravis anhelitus, etiam cum stertore, & in principio febris, stupor & species quædam veterni, continuus ex ore, & naribus graveolentis materiæ descensus, fœtidissima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia, & abolita penitus ruminatio, pustulæ quinta vel sexta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum speciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam, & septimam interritus, cum Boves paucissimi evadant, iique forte potius quadam, quam remediorum dynami. Hæc quidem ex se patent, quid vero intus patiantur miserandi Boves, cum jacent anxii, ac stertentes, ac dum stant immoti, capite usque ad terram demisso, conjectare equidem possumus, sed ex mutis animantibus, quæ per nutus nihil significare possunt, nil certi rescire possumus, quod forsan in causa est, ut difficilior sit curatio. Causam igitur hujusce malignæ febris pro viribus perscrutemur.

Omnibus epidemiis, si à sporadicis affectibus differre debent, id peculiare inest, quod communem causam habeant, sive ab Aeris vitio, sive à corruptis alimentis, aut ab aliduo contagioso fomite prognata fuerit, qui ab uno corpore in aliud transmigret, illique eandem labem communicet. Dissimulare quidem non licet, tempestatum hujusce anni non adeo legitimam fuisse temperiem, juxta illarum naturam, Æstatis præsertim, quæ Veris speciem præferre visa est non admodum latrante Syrio, nec Cicadis arbusta rumpentibus. Annus tamen in universum non insalubris fuit, neque multum in quæstu Medicis, ac Pharmacopolis; nec solum in hac Civitate sed in aliis quoque, & in transpadana regione, ut per litteras accepi, ut parum verax visus fuerit Hippocrates, quod *cum æstas veri similis est autumnales morbos expectare oporteat.* Nulla in aere à Meteoreleschis portenta visa sunt, nulla in herbis, & fugibus apparuere rubiginis signa, quemadmodum Anno elapso, quo carbunculari morbo laborarunt fruges, nec tamen noxam ullam persensere Armenta, & Pecudes; in fructibus tum Æstivis, tum Autumnalibus, qui omnes serotini fuere, nullæ deprehensæ sunt notæ, quas nebularum vredo inusserit.

Cœlum equidem non consului, ut vi-

viderem, num ex aliquo maligno astrorum influxu, pestilentiæ bubuli gregis causam divinare liceret, ut ex Saturni cum Marte syzigia, in Tauri signo; quemadmodum olim Marsilius Ficinus, in Consilio quodam Thusco Sermone edito ut ab omnibus intelligeretur, Pestis quæ Anno 1478. totam Etruriam, ac præcipuè Florentiam, depopulata est, causam retulit in conjunctione Martis cum Saturno in signo humano [quasi Asterismorum in hæc inferiora virtus ab inditis nominibus esset petenda, ut si fortè hujusmodi conjunctio observaretur in signo Arietis, aut Piscium, posset, aliquis ovilli generis, aut marini populi excidium prædicere] Sed postquam, cum Juvenis essem, Pici Mirandulani libros adversus Astrologos legi, Judiciariam à studiis meis valere jussi. Aerem itaque, & pascua, ab hoc crimine quod hujus morbi in causa fuerint absolvere fas erit. Quis enim unquam sibi persuadeat, campos, & prata, talem ab Aere humorem combibisse, qui solis Bobus tam dirum esset venenum, cæteris vero animantibus, quæ easdem herbas pascerent, esset omnino innoxius? Aliam igitur causam comminisci oportebit, quam nonnisi à contagioso fomite licebit deducere, cujus rei non simplices conjecturas, sed argumentum habemus apodicticum.

Jam satis constat, & in acta publica relatum, ex Boum turmis, quos è Dalmatia & conterminis regionibus, mercatores in hæc loca solent adducere, Bovem unum à cæteris secessisse, qui à Bubulco repertus, & perductus in latifundium Illustrissimi, & Reverendissimi Comitis Trojani Borromæi, Canonici Patavini, pro hospitio, eadem labe qua erat infectus, hospites suos fœdavit, illo enim paucos post dies mortuo, paulatim eodem morbi genere omnes miserè periere, uno tantum superstite, cui in collo factum fuerat setaceum. Casus iste totam viciniam perterrefecit, sed nulla juvit diligentia, ut domus suas, & causas à flamma nimis vicina præservarent. Isthæc itaque contagio paulatim serpens, totam Patavini agri amplitudinem brevi pervasit, quin postremò Padum transgressa, Æmiliæ Populis, idem minatur excidium.

Quoniam autem morbosi seminii ea est indoles, ut facilè soboleſcat, & in immensum se propaget, si in subjectum proprium, & mumiatum, ut vocant, incidat, cujus rei ampliſſimum specimen habemus in luc gallica; quæ ex Indiis occidentalibus, a paucis navigantibus ad nos delata, Italiam primò, mox universam Europam, fœdissima, & ineluibili labe citissimè inquinavit; Non est quòd miremur, si per aporias, & effluvia, quæ ad modum atmosphæræ expirant à Bobus ægris, ab extinctis, à Stabulis, à Pascuis, quæ ipsimet Boves pascendo infecerint, promptiùs autem & facilius ab ipsis Bubsequis, & illorum vestibus, (pesti enim volupe est, in lana molliter cubare) non est inquam, quòd miremur, si hæc contagio tam longè latèque se se effuderit. Ubi igitur hæc Aura venenata subtilissima Bovem aliquem antea sanum afflarit, spiritibus vitalibus, & seroso latici se consocians, dum in

Orbem

Orbem agitur, naturalem sanguinis consistentiam lædit, & viscerum fermenta corrumpit; quare naturales viscerum functiones paulatim vitiari, & debitas excretiones coerceri necessum est, quod paulatim fieri fas est credere, non enim subitò ac Bos aliquis venenum istud hauserit, vel quoquomodo illud susceperit, non illicò inquam virulentiam persentit; ut qui à cane rabido commorsi fuerint, ad longum tempus sibi sani videntur, at postea ex improvisò, ad aquæ conspectum palam faciunt, quàm dirum venenum intus gestarent. Naturalem sanguinis consistentiam ab hoc contagioso fomite lædi paulò ante diximus, suppono etenim, imò pro certo habeo venenum istud esse de illorum genere, quæ sanguinem potius figant, & coagulent, quàm dissolvant; id primùm attestantur symptomata, quæ febrem comitantur, nempè anxietas, gravis anhelitus, stertor, & stupiditas, ocularis quoque inspectio, dum à Laniis Boves extincti dissecantur, qui licet adhuc calentes parum aut nihil sanguinis effundunt. Bos præterea piger ac tardus ex sua natura est, & Carnes habet duras, *& graves ad stateram*, ut ait Hippocrates, data nimirum paritate molis ad carnes cæterorum Animalium, idcircò illius sanguinem talem esse oportet. Taurinum sanguinem inter venena recensuit Dioscorides eò quòd epotus ad coagulationem in stomacho sit facilis, Prævotius autem propter flatulentiam; Themistoclem sanguine taurino calido epoto sibi mortem consciviſſe, ex Plutarcho, in ejusdem vita habemus. Mirum itaque non est si venenatus hic fomes, in hujus animantis genere sanguinem ex sua natura crassum coagularit. Hanc cruoris concretionem in malignis febribus observarunt Scriptores, uti Petrus Salius, qui refert in quadam ex maligna febre extincta repertum fuisse in Arteria magna sanguinem ita concretum, *ut præhenso illius sanguinis altero principio, totus sanguis coalescens, ita integer eductus fuerit, perinde ac gladius è vagina extrahi solet.* Idem quoque aliquando *in pestilentiis accidere* testatur Richardus Lover in tractatu de corde: Nisi autem talis esset in hac Epidemia sanguinis conditio, non protraheretur ad tot dies febris; ubi enim sanguis est nimis dissolutus, & vis deleteria humorum corruptioni prævalet, febrilis calor est adeò mitis, ut ægri interdum se febrire non putent, sed citissimè intra unam vel alteram diem occumbant. Postquam igitur fermentificus, & pestifer hic fomes per venas, & arterias tanquam per cuniculos totum corpus peragrarit, tunc, tanquam hostis ex insidiis erumpens feritatem suam patefacit, febrem malignam excitando, quæ intra quintam, aut septimam, lanienam suam absolvit, indiscriminatim Boves aratores, Tauros, Vaccas, Juvencos, Vitulos jugulando.

Hujus autem Pestis primam originem, num Bos ille peregrinus eam aliunde susceperit, vel in ipso primùm genita fuerit, exquirere ad rem nostram parum refert. Necesse est enim quemadmodum in libro de Contagione tradit Fracastorius, ac pariter Joseph Aromatarius, in libro de rabie contagiosa, quòd ad aliquod

Animal tandem sit deveniendum, in quo productum fuerit morbosum seminium. Extra enim controversiam est non solùm in Brutis, sed etiam hominibus per varios corruptionis gradus, generari posse venena, ac talis naturæ humores, qui ad alia corpora symbolica, & analoga facilè transeant: sic qui tabe pulmonari laborant, consanguineos suos facilè inficiunt, sicum illis consuetudinem habeant; Lippitudinem contagiosam esse vetus est observatio.

Dum spectant oculi læsos læduntur & ipsi,
Multaq. corporibus transitione nocent.

In Boum cadaveribus, quotquot Lanionum secessitæ subjecta fuere coram Excellentissimis Anatomes Professoribus D. Molinetro, & Viscardo; id singulare in omnibus repertum est; in Omaso nempè, corpus quoddam durum, & compactum, ventriculi parietibus fortiter adhærens, magnæ molis, & intolerandæ graveolentiæ; in aliis verò partibus repertæ sunt hydatides, in cerebro, pulmonibus, sicuti etiam ingentes vesicæ solo flatu plenæ, quæ dissectæ diram Mephitim exhalarent, ulcera in radice linguæ, & ad illius latera vesiculæ sero plenæ. Illud verò corpus durum, & compactum ad instar calcis, quod in Omaso observatur, primum productum esse contagiosi miasmatis, pro certo habeo, dum tacitè sævitiem suam exercens stomachicum fermentum labefactat, & corrumpit; non enim est credibile post febrem excitatam conflari hoc corpus intra paucos dies, dum Boves ubi primùm febrire cœperint, quodcumque alimentum adversantur, nec quidquam, nisi liquidum per os infundi potest: cætera verò, quæ memoravimus, malignæ febris producta esse, facilè crediderim, sed omnium Phœnomenorum exactam rationem adferre velle non patitur unius horæ ambitus; ampla enim materia suppeteret ad integrum tractatum conscribendum.

Verum ne amplius vos morer, A. O. ad ea properabo, quæ sunt dicenda, conjectando nempè quem finem habitura sit hæc contagio, & num aliquid gravius portendat, ac quod magis refert, quid agendum. Quoad primum in hac Epidemia, idem quod in cæteris evenire solet, secuturum existimo, nimirùm quod post tot tentamina tot experimenta, ac præsertim post observatam methodum, quam morborum Medicatrix Natura servat in iis Bobus sanandis, quos maligna febris non sustulerit, felicior curatio possit institui, ac forsan hujus veneni verum, & specificum remedium reperiri, quo malignum istud miasma penitus extirpari possit. Levamen quoque aliquod expectare licet ab adventante Hyeme, ac à ventis aquilonaribus, qui tanquam Aeris scopæ australes flatus pessimæ semper indolis procul abigant, quales venti pertotum Octobris Mensem dominatum obtinuere. Memoratu dignum est, quod de ventorum potestate supra humana corpora refert Vitruvius. *In insula Lesbo* (inquit ille) *Oppidum Mitylene magnificenter est ædificatum, & eleganter, sed positum non prudenter. In qua Civitate Auster cum flat, homines ægrotant, quando Corus*

Corus tussiunt, cum Septentrio, omnes in salubritatem restituuntur. Quantum sævierit Pestis Octobris mense, Austro, & Euronoto flantibus, satis vulgatum est, cum plures dies adeo nefasti fuerint, ut neque quotidianis hecatombis, interdum etiam geminatis, furialis hæc, & execranda febris mitior fieri, nedum placari potuerit. Scio equidem, calori, & frigori morbos pestiferos non admodum auscultare, cum alias fuerit observatum, in summo æstu, & summo frigore pariter sæviisse hominum pestem; attamen cum feralis hic morbus, qui celeris est motus, ortum habuerit æstivo tempore, incrementum, atque etiam suum acmin autumnali, sperare licet, quod hyemali tempore finem, & sui desitionem, ope divina sit habiturus.

Num autem hic Epidemicus Bovini populi morbus longum in tempus perseverans, humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, ut nonnulli suspicantur, non alienum est disquirere. Si in morbis malignis, qui ratiocinia nostra persæpè eludunt, quidquam ponderis habent rationum momenta, sperare licet homines intactos, & illæsos relicturum esse; etenim si trium mensium spatio lues ista alia Ruminantia, & Cornigera non attigit, quamvis inter ea magnus sit symboliſmus, nec Equos, sues, ac alias Sylvestres feras hactenus quidquam læsit, non apparet ratio, cur homines, qui ab istis Animantibus tam longé distant, debeat afficere.

Non sum nescius inter futuræ pestilentiæ signa, quæ plurima sunt, recenseri solere non Boum solummodò, sed aliorum quoque animantium stragem, qualis ea fuit, quæ Ægynam insulam depopulata est, de qua Ovidius.

Strage Canum primo, Volucrumque Aviumque Boumque.

ac ea, quam memorat Livius, quæ in Sicilia Romanum exercitum, & Carthaginensem pene delevit, de qua Silius Italicus:

Vim primi sensere Canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente, Volucris.

Cui aliam non absimilem refert Dionysius Halicarnasseus, quæ *primò Equorum, Boumque armenta invasit, mox pecudes, & alia quadrupedia aggressa est, deinde Pastores, & Colonos attigit, & totum Romanum agrum pervagata, Vrbem invasit.* Ast illorum temporum pestilentiæ non in solis Bobus, sed in omnibus animantibus, ut ipsis etiam Maris Piscibus non parceret, [qualis ea fuit, quam Lucretius carmine descripsit,] sævitiem suam exercuere, ut quæ ab Aeris vitio ortum duxissent; de quo non habemus quod suspicemur; in solis enim Bobus, & facilius in iis, qui habitiores, & pinguiores essent, quam in gracilibus, hæc lues alimentum invenit, quo rabiem suam pasceret. Magna tamen cautione utendum est in tumulandis cadaveribus, terra altè defossa, quemadmodum publica edicta præscribunt; si quid enim timendum, præcipuè à nimia cadaverum copia, ex quibus minus apte humatis, ac postea putrefactis, redeunte Vere, pravi halitus Aerem inquinare possint. Bonum autem esset, in

loco inculto, seu in pratis, quæ arationi non sunt subjecta, cadavera humare. Ubi enim de morbo contagioso agitur, nunquam satis cavemus, dum cavemus. Quoniam autem, solutis in liquamen Cadaveribus, necesse erit terram subsidere censerem, bonum esse, novam terram superingerere, in illam conjiciendo graminis, aliarumque herbarum semina. Refert Petrus Forestus Delphis apud Batavos Peste jam sopita, & cœmeterio Templi vetusti, cadaveribus oppleto habitam consultationem inter medicos, num Calce, aut Lapidibus illud cœmeterium esset obruendum, ac decretum fuisse ut multa terra superinduceretur atque in eam varia herbarum semina conjicerentur, *ut crescente gramine, & clausis spiraculis lues minus denuò supplullularet.*

Silentio tamen præterire non licet, observatam aliquando pestem in solis Bobus, ac postea secutam hominum pestilentiam; interdum etiam hominum Pestem in Boves terminasse. Primum exemplum habemus ex Livio, qui scribit pestem magnam in Boves ingruisse, sequenti anno ad homines vertisse. Secundum vero apud Ripamontium Chronistam Mediolanensem, qui in Libro de Peste, quæ anno trigesimo exacti nuper seculi cispadanam, & transpadanam regionem pessimè mulctavit, pestilentiæ hominum, pestem Boum subsecutam refert. Hisce tamen duobus monumentis totidem habemus, quæ opponamus nec longe petenda. Primum à celeberrimo Fracastorio, qui in Opere doctissimo de Contagione scriptum reliquit, Anno decimo quarto supra sesqui millesimum diram pestem in solos Boves irrepsisse, quæ in tractu Forojulienſi primum nata, exinde usque ad Euganeos, postmodum in Veronensem agrum, aliasque Venetæ Ditionis regiones delata, magnam Boum cladem ediderit eodem fermè modo, ac iisdem symptomatibus, ut hæc nostra illius soboles videatur. Alterum monumentum suggerunt nobis manuscripti Artis Lanionum, quibus non est deneganda fides, quales libri in hac Civitate asservantur, in quibus ad posterorum memoriam ab Antonio Faccio scriptum legitur, Anno nonagesimo nono ejusdem seculi, quo vixit Fracastorius, adeò gravem in Boves pestem grassaram, ut publicis Augustissimi Senatus Veneti Edictis vetitum fuerit, ne Caro Bubula, Caseus recens, Butyrum, Lac sub capitali pœna in hac Civitate divendi possent, sed solis carnibus Vervecinis vesci liceret; attamen iis annis nihil siniſtri, præter rei familiaris damnum hominibus obtigisse, certo scimus; habemus igitur unde spes nostras alamus.

Utrum autem, grassante hac Epidemia, carnis bubulæ sanæ creditæ adeò tutus sit usus, ut noxam ullam humanis corporibus non possit inferre, abs re non erit disquirere. Res equidem suspicione non vacat; etenim, etiamsi Bos antequam ad lanienam ducatur, fuerit observatus vegetus, atque hilaris, ac postea in illo jugulato, & excoriato, nullæ in viscеribus deprehendantur corruptionis notæ, quæ in cæteris, qui ex hoc morbo intereunt, deprehenduntur, attamen certi non sumus, quod

quod Bos ille contagioſum fomitem non geſtaret, quod aliis etiam communicare poſſet; credibile eſt enim, paucos apud nos eſſe Boves, qui afflatum hunc malignum non perſenſerint, licet ſani degant, morboſi enim ſeminii ea eſt ſubdola malitia, ut hominum judicia non rarò fallat; perſæpe enim evenit, ut qui illud in ſe continet, & ſecum circumfert, læſionem nullam ſentiat, nec forſitan ſenſurus ſit, in alium tamen ejuſdem ſpeciei poſſit facile transferre. Hujus rei exemplum habemus in gallico morbo; non raro enim contingit, ut aliquis à muliere infecta luem ſuſcipiat, nec quidquam ſentiat, & Uxori poſtea eam communicet, ſic ut illa paucos poſt Dies gonorrhæa, vel bubone corripiatur; ex quo fit, quod non leves rixæ, & jurgia inter conjuges oriantur, & Uxor pudicitiæ ſuæ conſcia virum maledictis inceſſat quod ab illo tam fœda labe inquinata fuerit, ille autem, qui ſe perfecte ſanum agnoſcit nec quidquam de infectione ſuſpicatur, de conjugis fide non parum dubitet. Qua de re legendus Paulus Zachias, Mercurialis, Gaſpar à Rejes. Circa eſum carnis bubulæ memoratu dignum eſt quod refert Theodoricus Skenkius in Hiſt. humor. gen. cap. 2. his verbis: *olim decertatum Venetiis, & Patavii inter Lanios, & incolas, quod illi ex Hungaria Boves advectos, emptos & mactatos in Macello venditaſſent, quos tamen Cives lue quadam infectos fuiſſe noverant, cum fluxu alvi cruento tentati plurimi periiſſent, translato nimirum ab uno ad alterum contagio. Hac de re conſulti Medici Patavini, in ea fuere ſententia, Carnes hujusmodi eſui adhibitas innoxias eſſe, eo quod eſſet contagium particulare, & ſpecificum, ac omnis malitia fuiſſet emendata ac diſcuſſa à prævia agitatione gymnaſtica, antequam Boves mactentur.* Contrariam opinionem ſuſtinuiſſe Medicos Venetos tradit Chriſtophorus Fridericus Garammannus in Opere ſuo eruditiſſimo de Mortuorum miraculis, eo quia carnes hujusmodi, eſſent contagioſæ, & cadaveroſæ. Fabius Paulinus Medicus Utinenſis controverſiam hanc dirimere aggreſſus eſt, ſuam enim ſententiam dixit, nimirum ſi neceſſitas urgeat *in cibum carnes vocare, ſale aut aceto prius probe eſſe macerandas, viſceraque cum aliis interraneis eſſe abjicienda, cum in iis cauſæ morbificæ focus & Nidus exiſtat,* qualis cautio num ſufficiat, & omnem dubitationem tollat, liberum cuique eſto judicium.

Quid ergo agendum in tam exitiali morbo, qui bubuli generis extinctionem videtur interminari? In id unum incumbendum eſſe, perſuaſum habeo, ut per univerſalia alexipharmaca (quando particulare, & ſpecificum hujus Veneni remedium non habemus) miaſma iſtud peſtiferum extinguatur, aut ſaltem enervetur, ut natura roborata illud ad cutis ambitum ableget, atque extrudat, quando per ulcera, puſtulas, & tubercula in iis Bobus, qui evaſere, ſponte excitata ipſamet natura, nobis indigitavit, qua via ſit incedendum. Crediderim itaque in curatione hujus malignæ febris, ea Methodo procedendum, quæ à bonis Medicis ſervatur in curanda vario-

varioloſa puerorum febre, diſtinguendo tempus ebullitionis à tempore expulſionis; tempore nimirum ebullitionis erit caute utendum remediis calidioribus, ne intendatur calor febrilis, & plus æquo efferveſcat maſſa ſanguinea, cui facile ſuccedit perturbata coctio, quam Natura rectrix intendit, qua in re non leviter peccatum eſſe cenſeo, cum hujus febris initio ad calidiora cardiaca ventum fuerit, & præcipue ad vina meraciora cum multa theriaca; quare præpoſterum remediorum uſum, ſtragem longè majorem edidiſſe cenſeo, quam febrem ipſam. Non deſunt Medicæ Praxis docti Scriptores, qui in varioloſis conſtitutionibus in principio febris præcipitantibus utendum eſſe volunt. Dum hæc ſub prælo eſſent, apud amicum ea legi quæ Illuſtriſſimus, D. Joannes Maria Lanciſius Clementis XI. P. O. M. Archiater meritiſſimus, ac Intimus Cubicularius perdocte, & erudite, ut ſolet in omnibus, de hoc morbo conſultus, ſcripſit; nam inter varia monita, hoc habet, quod cardiacis acida ſint maritanda. In Febris itaque principio moderatè agendum per alexipharmaca, in progreſſu verò morbi, & deſpumationis, & expulſionis ſignis liberalius Bezoardicis utendum.

Ut autem ad remediorum materiam deſcendamus, quando id unum eſt, quod expetitur, & à nobis exigitur, nequaquam vero nuda verba. Quoad præſidia externa, ſanguinis miſſio viſa eſt improſpere ceſſiſſe, idcirco cœpta eſt omitti; nihil tamen ſævitiæ ſuæ remiſit morbus; imo truculentior factus eſt. Eadem in omnibus Epidemiis ſuſpecta eſt Phlebotomia, ſicuti purgatio, unde Celſus: *Sanguinem non facile mittere, alvum non facile ducere*; in febre tamen varioloſa paſſim mittitur ſanguis, in pueris bimis, aut trimis per cucurbitulas ſcarificatas, & quibusdam in locis etiam per venam ſectam, in principio tamen febris. In hac itaque Boum febre, non ſalubrem tantum, ſed neceſſariam fore venæ ſectionem crediderim, ad ſarcinam minuendam, ut mitior fiat ebullitio totius maſſæ ſanguineæ, & per ſua vaſa circulatio. Cum enim, ut diximus, Bovis cruor ex ſua natura ſit valde craſſus, & ad facilem concretionem pronus, atque venenum iſtud de illorum ſit genere, quæ maſſam ſanguineam coagulandi vim habent, quo precor remedio laboranti Bovi, & anhelanti ob ſanguinis concretionis in vaſis ſanguifluis, in pulmone, in Corde, quam per ipſam ſanguinis miſſionem promptius, & facilius poterit ſuccurri? Animadverſione dignum eſt, quod lues iſta, Boves robuſtos, & valde obeſos facilius corripiat, macillentos vero, qui vix oſſibus hæreant, prætergrediatur; propterea in hac febre, quæ non abſimilis eſt iis, quas appellant inflammatorias (quales ſunt, quæ in pleuritide, peripneumonia, angina obſervantur) ſanguinem in fervorem actum, & alioquin ad coagulationem aptum, detrahere, ſalutare conſilium erit. Clamitet autem ad ravim uſque contra hanc operationem, quisquis velit; non enim video (ſi tamen per analogiſmum in curanda hac febre licet procedere, ut in curatione febris

bris peſtilentis, quæ homines corripit] ego, inquam, non video, cur miſeranda hæc Animalia, dum febriunt, & oculis lacrymantibus, opem aliquam quodammodo implorant, hoc magno remedio debeant deſtitui morbi enim magnitudo, plethorica diſpoſitio, ob paſcua hoc Anno ſolito uberiora, phlebotomiam manifeſte expoſcunt, in principio tamen febris, dum vires validæ permittunt, quam doctiores Medici in febre peſtilenti, uti Sennertus, Septalius, Antonius Ponce Sancta Crux, Fracaſtorius, & alii graviſſimi Scriptores admittunt. Certe vires horum animalium, in ipſo etiam vigore morbi ſatis validas eſſe obſervavi, e ſtabulis enim educti, & per campos circumductie, xperiundi cauſa, num herbam aliquam velint paſcere, robuſte incedunt, & ſuæ libertati relicti, ad ſtabula prompte recurrunt. Circa porro venarum delectum, non adeo laborandum; ubi enim ad vaſorum plenitudinem tollendam mittitur ſanguis, parum refert, an ab hac, vel illa vena mittatur.

Inuſtiones quoque lato ferro candenti faciendæ in collo utrinque, ſublata enim eſchara, apparebunt ulcera, quæ veſicantium loco eſſe poterunt; aures quoque rotundo ferro perforandæ, indita poſtea radice hellebori, ut Veterinarii Scriptores ſuadent; ſimiliter ſub mento perforanda palearia, injecto poſtea funiculo, quem ſetaceum vocant, indiget enim Natura aliquo emiſſario, per quod venenum iſtud exanthlet; nulli enim comperti ſunt evaſiſſe Boves, niſi per puſtulas in cute excitatas, multum craſſæ, ac fœtidæ materiæ fundentes, nec Bovem ullum, qui ſic purgatus fuerit, recidivam paſſum fuiſſe adhuc accepi; nam ex Hippocratis oraculo in ſexto Epidemiorum; *Quidquid ſuppuratur non revertitur; ipſa enim maturatio, & judicatio ſimul, & abceſſus.* Obſervatione dignum eſt, quod refert laudatus Fracaſtorius, ait enim, eos *Boves, quibus labes à faucibus ad armos decendebat, & inde ad pedes, ſanatos fuiſſe, quibus autem hæc permutatio non fiebat, ut plurimum interiiſſe.* Linguam, & palatum, aceto, & Sale colluere ſæpius oportebit; frictiones pluries in die faciendæ ad faciliorem perſpiratum obtinendum, ac ut cutis paratior ſit ad recipienda rejectamenta nervorum & arteriarum in glandulas. Cum perſæpe in faucibus generentur tumores & cruſtæ, uti fit in variolis, ut nihil per os poſſit infundi, compertum eſt baculum ſalignum viridem Butiro inunctum, longitudinis ulnæ, & amplius per os inditum, valde contuliſſe ad impedimentum illud tollendum.

Quoad præſidia interna, hæc è triplici regno erunt petenda. E vegetabili plantas multas habemus cardiacas, quarum magna eſt ſupellex; Decoctio itaque in aqua fieri poterit ex foliis Scordii, Cardui Benedicti, Dictami Cretici, Centaurii, Radicibus Gentianæ, Tormentillæ, Scorzoneræ, & ſimilibus, quibus addi poterunt cicoracea ad illarum calorem temperandum, quæ decoctio, bis, vel ter in die per os infundi poterit ad duas, vel tres libras. Cum vero febris ad ſtatum pervenerit, decoctio iſta ex prædictis

ctis plantis debebit esse saturatior ad expulsionem promovendam. Camphora quoque magnum antipestilentiale, accensa, & in aquam conjecta, potionem efficiet aptam ad pestiferum Miasma perdomandum, & Diaphoresim promovendam. Pulveres quoque ex iisdem plantis parati, & in aqua cardiaca dissoluti, exhiberi poterunt.

Ut autem præter universalia alexipharmaca, quæ pro malignæ febris curatione à vegetabilium classe abunde suppetunt, aliquod singulare proponamus, placet expendere, num solenne illud antipyreticum, h. e. cortex peruvianus, vulgo China Chinæ, ad malignam hanc febrem expugnandam salutare remedium esse possit. Equidem hoc præsidii genus in febribus periodicis miranda præstat, ac præsertim in tertianis intermittentibus malignis, quæ in ipso impetu accessionis, ægros interdum necant, quarum febrium in Constitutionibus meis epidemicis mutinensibus mentionem habui; hoc enim febrifugum, fermentum illud malignum, sive penitus restinguit, sive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne æger in ipso febris accessu intereat; ast in febribus continuis, & inflammatoriis, perraro ex corticis peruviani usu, febrem solutam observavi; si tamen habenda fides Richardi Mortoni rationibus, & experimentis, qui in quacunque febre venenum quoddam spiritibus vitalibus hostile agnoscit, cur in hoc Bovini generis morbo experiri non licebit hujus febrifugi virtutem? Ist hæc enim Boum febris continua, & acuta, à febribus continuis ab aliqua inflammatione comitatis, quæ homines corripiunt, nullatenus differt; licet Joseph Aromatarius ex Antiquorum doctrina differentiam aliquam statuat inter febres brutorum, & febres hominum, ut brutorum febris καυσώδης, hominum vero πυρετὸς vocitetur. Possent itaque unciæ tres pulveris Chinæ Chinæ (quando hujus remedii largior dosis esse cœpit, quàm olim) infundi in libris decem vel duodecim aquæ cardiacæ, seu vino non admodum generoso, quæ infusio inservire poterit pro quatuor, vel quinque dosibus, bis illam in die exhibendo, in febris tamen principio, & cum primum Bos ægrotare cœperit.

Sua quoque remedia suppeditabit regnum animale; Cornu Cervi primas tenebit, infusio itaque ac decoctio, & quæ ex eo parantur remedia erunt ex usu. Pulvis viperinus, qui febrilem calorem non adeo intendet, bis in die exhiberi poterit ad dracmam unam, in aqua cordiali tepida pariter dissolutus; efficacior tamen esset vipera una, vel altera in aqua cordiali decocta, febris enim ista intra paucos dies cursum suum absolvit. Quoniam autem inter cætera symptomata, gravi anhelitu, & stertore Boves premuntur, sperma ceti tanquam remedium aptum ad dissolvendas sanguinis concretiones, & in asthmate usurpari solitum, præscribi poterit ad drachmas duas in vino tepido dissolutum. Mineralia quoque, ut quæ non tam facile à calore nativo, & digestiva facultate alterantur, uti vegetabilia, & animalia, sed integris viribus corpus pervadunt, symbolum suam con-

fe-

ferent. Antimonium diaphoreticum, paratu facilè, & exiguæ impensæ, quod nihil aliud est, quam Antimonii crudi in pulverem contriti, cum æquis partibus Nitri, in crucibulo, vel mortario Æneo per carbonem ignitum, aut bacillum ferreum candentem, conflagratio, ter, vel quater repetita, addita semper novæ conflagrationi æquali portione salis nitri, erit proficuum remedium ad obtinendam illam, quæ expetitur, expulsionem diri veneni ab intimis ad extima. Quoniam vero, repertos ajunt esse lumbricos, & Ascarides in intestinis, quod perfacile est credere, cum etiam in pestilentiis hominum observari soleat verminatio, non solum in ventriculo, & intestinis, sed etiam in aliis partibus, quod in scrutinio Pestis tradit, Pater Athanasius Kircher è S. J. & animatam putredinem appellat, ad remedia anthelmintica erit confugiendum; Mercurii infusio, ad libram semis super cineres calidos, in aliqua ex prædictis aquis optimum erit remedium, cæteris quæ decantantur præferendum; quando enim inter helminthicos scriptores disputari solet, num acida, an dulcia ad vermes necandos sint usurpanda, Mercurium, licet insipidum, id valenter præstare, & frequenti in usu esse, pro certo habemus. Idem quoque efficiet Mutinensis Agri petroleum; præter enim id, quod vermes enecat, putrescentiam quoque corriget, & diaphoreseos erit stimulus. Nostrates rustici, cum vitulos habent verminantes, quod facile deprehendunt ex odore, quem Vituli expirant, cum lacte exhibent istud petroleum, ad guttas aliquot per os infundendum.

Quoad alimentum, potiones parari poterunt, ex farina hordei, tritici, panis contriti ad instar ptisanæ. Pro potu laudatur fœni puri, odorati, mense Maji collecti, in aqua Maceratio, quod potionis genus hisce animalibus gratum esse observavi. Externorum quoque habenda est ratio. In loco calido Boves detinendi, & custodiendi stragulis cooperti, cavendo quantum licet ab Aere frigido; quotidie stabulum suffumigando ex baccis Juniperi, Galbano, & similibus.

Atque hæc quidem à Therapœjam, modo pauca quædam documenta pro hujus meæ prælectionis Coronide, in prophilaxeos gratiam lubet proponere, quando longe præstantius est præservare, quam curare, sicuti satius est tempestatem prævidere, ac illam effugere, quam ab ipsa evadere. Cum igitur Boves ab agris post labores in stabulum ad hyemandum jam sint deducti, ut milites ad castra hyberna, magna diligentia studendum erit, ut ea loca in quibus Boves sani degere debeant munda sint, quantum fieri potest, ac sæpe suffumiganda, quæcunque animalia, ut sues, oves etiam ab illis arcendo. Solent rustici, ut stabula hyeme sint calidiora, fimum, & excrementa Boum in iis cumulare, sed satius si quotidie aluinas fœces alio adsportent. Consilium salubre erit parietum crustas abradere, eo modo, quo Judæi ex legis edicto jubebantur cubiculorum, in quibus leprosus aliquis habitasset, parietes crusta denudare, & flore calcis obducere, solum

autem in hoc casu muros eradere sufficiet; timere enim licet, ne recentis calcis odor hyemali tempore Bobus inibi conclusis possit officere. In id quoque erit incumbendum, ut pura, & munda sint illorum alimenta, cavendo, ne fœnum, paleæ, & alia, à pluviis, & illuvionibus fuerint inquinata; parcius quoque erunt alendi, ne plus æquo pingueſcant; non enim hoc anno polysarcia, sed sanitas procuranda. Æstate quidem, quo tempore, in frugum tritura, aratione, & plaustrorum vectura exercentur, ac multum est quod diflatur, plenius sunt alendi; ast hyeme, hoc anno præcipuè, quo suspecta est saginatio, & macies tutior visa est, moderata diæta in iis nutriendis erit utendum.

Frictiones pluries in die adhibendæ, non solum manu, sed strigilibus quoque, multum enim conferent ad sanguinem in sua fluiditate continendum, simulque ad superfluitatem exhauriendam, si præsertim frictiones sint validæ: habet enim hoc præsidii genus varias facultates, modo implendi, modo extenuandi. Celsus ex Hippocrate scripsit; *Frictione, si vehemens fit, durari corpus, si lenis molliri, si multa minui, si modica impleri.* Si nimis pingueſcant, quandoquidem hoc anno copiosa erit bubuli generis annona, posset etiam institui phlebotomia, sed diæta si fuerit conveniens, venæ sectionis, atque etiam purgationis erit vicaria. Postremo cum ex observatione Boum, qui in hac tempestate evaserint, satis constet, naturam per crustas, & ulcera excitata in corporis ambitu, & multam saniei expurgationem, morbosum illud miasma, luem hanc expugnasse, sanum consilium foret emissarium aliquod in bobus sanis aperire, per quod si qua sint vestigia morbosi seminii, illa sensim extrudantur. Aureum documentum habemus ex Hippocrate in 6. Epid. ad rem nostram accommodandum, hisce verbis. *Decubitus quidem, in quibus facta tollit, hæc ante facta prohibet.* Locus quidem subobscurus est, uti sunt Hippocratis Oracula, sed illum egregiè explicat Vallesius, ait enim, decubitus à natura factos, *qui sunt aliorum morborum medela, eosdem morbos antevertere, & præservare, si tales decubitus arte procurentur, non simpliciter tamen, quemcumque decubitum, sed illum, qui facta tollit.* Non inutile igitur foret sanis Bobus, palearia sub mento candenti ferro perforare, atque funiculo indito, apertum, illud diu servare, ut per illud paulatim egerantur impuritates illæ, quæ hujus contagiosi fomitis sunt soboles, & in capite potissimum acervari solent.

Sed cur ingenii mei tenuitatem frustror, ac divexo, ut morbi hujus Naturam, & causas explorem, ac Medicinæ præcepta ad veterinariam traducam? Jamdudum veram, & immediatam hujus ferini morbi causam agnovit, ac patefecit Purpurati Principis, ad hujus Urbis incolumitatem cœlitus demissi admiranda pietas; & sollicitudo: nullam aliam scilicet esse causam, quàm Deum justissimum criminum vindicem, nobis iratum; sicuti etiam idem ipse unicum & verum aperuit antidotum, decretis ad plures dies supplicationibus ad cœlestem iram placandam. Magna sane frequentia clausis ubique Officinis, ad

excellam

excelsam hujus Urbis Basilicam concursum est, ut nunquam alias tantus in unum populi conventus fuerit observatus, nec tanta erga Superos reverentia, ac pietas. Neque vero fervor hujusmodi postea refrixit, uti aliquando fieri consuevit, sed perstitit, magno ad alia celebriora Urbis Templa Populi confluxu, quin cœteris Civitatibus, quæ eodem malo premuntur, exemplo fuit, ut ad divinam opem implorandam publicis precibus confugerent. Hæc tam subito mutata rerum facies & recens nata hic, & alibi pietas, quam graviorum malorum metus expressit, in mentem revocant magnam illam Romanæ Urbis consternationem, quam Livius hujus Civitatis immortale Decus, tam egregie descripsit, quando nimirum Annibal, fusis, ac deletis Romanis exercitibus, ex improviso Romam petiit, ac illam tam arcta obsidione pressit, ut trepidantis Civitatis clamores audiret; subito enim terrore perculsus Romanus Populus, ad Templa, & Aras Deorum tumultim concurrebat, ut victimas mactaret, & pro publica salute vota conciperet; visebantur mulieres passis crinibus, effusæ in lachrymas, cum parvis liberis ad Templa convolantes, ac ibi ad Simulacra Deorum armillas, annulos, aurea monilia appendere, ferreas scilicet Pœnorum catenas, & asperrima vincula metuentes. Hanc eandem consternationem eleganti carmine descripsit Silius Italicus. Lubet hic Carmina hujus Poetæ verè aurea ad rem nostram apponere.

Tanta adeò, cum res Trepida, reverentia Divum.
Nascitur, & raræ fumant felicibus aræ.

Nunc hisce temporibus congruant hi duo versus, Vobis A. O. judicandum relinquam.

THOMÆ

Manuel

ESTANTE 8.º
Tabla 6.ª
N.º 3

SYDENHAN
OPERA
MEDICA

1

12.979